
versity Library
76531688




Conferantur les Jugemens des savans de Baillet Tome IV. part ii. pag: 475. & Th: Crenii Animadv: de ao. 1699. part. v. pag: 23. nec non Stahlii Bibl. Philos. Struviana Tom: II. pag: 24. & Fabricii Biblioth: Latina Lib: II. Cap: XI. §. 4. pag: 609. addantur Pand: Brand: Hendreichia na pag: 18.

FLAVII AVIANI
FABULAE,

CUM COMMENTARIIS SELECTIS
ALBINI SCHOLIASTAE VETERIS,
NOTISQUE INTEGRIS
ISAACI NICOLAI NEVELETI
ET CASPARIS BARTHII:
QUIBUS ANIMADVERSIONES SUAS ADJECIT
HENRICUS CANNEGIETER.
ACCEDIT EJUSDEM DISSERTATIO
DE AETATE ET STILO
FLAVII AVIANI.



AMSTELODAMI,
Apud MARTINUM SCHAGEN,
MDCCXXXI.



VIRO CELEBERRIMO

ATQUE ERUDITISSIMO

PETRO BURMANNO

S. D.

HENRICUS CANNEGIETER.

Venit ad Te Flavius Avianus, ut neglectus diu & male habitus in tuam fidem sese conferat. Nec spero fore, ut hanc ei nunc deneges, quem dudum consilio & re adjuvisti. Nam cum tecum communicarem, quae legenti mihi olim Aviani Fabulas, cum de maculis, tum de interpolamentis earum, natae erant suspiciones, auctor mihi fuisti, ut detractis sordibus atque inhonestis centonibus, mundiores illas ornatioresque darem. Fateor, facile ad id inductus sum eo tempore, quod opus tenue credebam, atque exigui laboris. At vero vehementer me haec decepit opinio. Posteaquam enim rem ipsam bona fide sum adgressus, hoc Virgilii verissimum sum expertus

In tenui labor est.

Neque enim cum ludimagistrorum ac librariorum, qui turpissimos naevos induxerunt huic Poëtae, flagitiis duntaxat confligtandum mihi fuit, sed & cum iniquioribus eruditissimorum virorum judiciis certandum. Et ta-


men neque aut hic me aut Avianum destituisti. Quicquid enim armorum, quicquid telorum fuit in tuo, Heinsiano & publico Academiae Lugduno-Batavae armamentario, cujus cura tibi demandata est, benevole expromsisti. Qua arte ea tractarim, & quid consecutus fuerim, aliorum esto judicium, ac potissimum tuum, cujus in judicando elegantiam & candorem, quem pravi merito expavescunt, cum in meis, tum in alienis rebus saepius sum admiratus. Ceteras laudes tuas praedicarem, neque enim abhorret hic locus, si aut iis par esset facundia, aut illa dudum Fama non loqueretur, & praeclara ingenii tui monumenta non testarentur. Servet autem Te Deus, ut grandia, quae moliri pergis, opera, aetate hac tua vergente alacris & vegetus consummes. Quandoquidem vero felicitati tuae & meritis contigit retrahere ab interitu exoptatissimos Nicolai Heinsii in Virgilium commentarios, sufficiat tibi vires rerum arbiter, ut brevi in luce hos thesauros exponere possis. Ita namque fiet, ut Roma olim AEneidos conservatori majores paene gratias non debuerit, quam aetas nostra nunc, & sera deinceps posteritas tibi sit debitura, quod illos labores a pernicie revocasti, sine quibus haud raro Virgilium in divino opere quaesivimus. Vale.

ARNHEMIAE CIƆIƆCCXXXI.

IDIB. FEBRUAR.

PRAE-

PRAEFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

Uibus auxiliis ad castigandas Flavii Aviani Fabulas sim usus, paucis praefari est visum. Primo Excerpta librorum MSS. quatuor nobiscum communicavit Vir Clarissimus Arnoldus Drakenborch. Ex his tres extant in Bibliotheca Colbertina, in qua his numeris designantur 1512. 5254. 6260. Nos illos littera C notatos his numeris eodem ordine distinximus 1. 2. 3. Quartus vero servatur in Bibliotheca Benedictinorum S. Germani ad Prata. Hic credebatur septingentorum vel octingentorum annorum aetatem praeferre. Descripsit haec Excerpta ex libro Cl. Drakenborchi Vir Eruditus Henricus Dreux, qui Scholae Hieronymianae Trajecti ad Rhenum operam navat. Deinde ex schedis Heinsianis sex antiquorum Codicum Lectiones Vir Celeberrimus Petrus Burmannus depromsit, easque in usum nostrum describendas tradidit Fratris sui Filio Francisco, qui in familiae Musarumque decus crescit. Tres inter hos Colonienses esse adnotarat Nicolaus Heinsius: Unum Langermanni, unum etiam Vossii. Sextus cujus esset, non constabat; Clarissimus tamen Burmannus suspicabatur eum esse Mediceum. Et ne in illis erres, his litteris eos distinxi, Col. id est Coloniensis 1. 2. 3. L. Codicem Langermanni indicat; At vero Vossianum hunc primum dixi, Mediceum autem litera M signat. Colonienses hi tres in paucis discrepant a Colbertinis eodem

numero recensitis; & si nonnulla in his aut oculorum, aut manuum festinationi dederis, iidem videri possunt, atque ex Coloniensi urbe in Bibliothecam Colbertinam migrasse. Ut autem post fabulam XXVII. Colbertinus tertius, ita & Coloniensis tertius desinit. Rarus etiam inter Codicem Langermanni & Benedictinorum dissensus: a quibus & haud frequenter in diversa abit Mediceus. Praeter subsidia autem, quae ex Heinsianis thesauris Flavio Aviano nostro paravit, duos etiam manu exaratos Codices Cl. Burmannus suppeditavit nobis ex Leydensi Bibliotheca, cui publice praefectus est; denique ex sua supellectile commodavit antiquam fabularum harum Editionem. Hos libros tres diligenter cum vulgatis contendit Doctissimus Vir Otto Arntzenius, qui eo tempore studiorum caussa Leydae versabatur, cum maxime autem litterario Trajectensium Gymnasio Pro-Rectore praeest. In Bibliothecam Leydensem transierunt illi manu exarati Codices ex Bibliotheca Vossiana: quare Vossiani secundi & tertii nomen iis imposuimus. Ille in Catalogo Bibliothecae Lugduno Batavae, qui anno 1716. vulgatus est, recensetur pag. 386. col. 1. Hic pag. 390. col. 1. Vossianum quartum debemus Cl. Abrahamo Gronovio, similiter, ut audio, ex Leydensi Bibliotheca descriptum, tametsi nullum ejus vestigium hodie, nisi indices fallunt, in illius Bibliothecae Catalogo, quem modo nominavi, extant. In plurimis hic similis est Vossiano tertio, qui litteris fugitivis atque exolescentibus est exaratus, id quod ex Arntzenio nostro, qui manibus eum versavit, cognovi. Reliqui sunt tres Codices, quos consuluit Gotlieb Cortius Vir Clarissimus, Professor Lipsiensis, &

quae

quae in his variabant, nobis impertiit. Ea commemorata videbis hoc modo Cort. 1. 2. 3. His Viris recente beneficio obstrictus est Avianus. Quod autem illi hujus meriti sui me interpretem voluerunt, gratus agnosco. Superest, ut de illis dicamus, qui dudum bene de Aviano meruerunt; Quorum in numero sunt cum Scholiastae seu Commentatores, tum Editores. Disputabo de utrisque junctim, ut rei & temporis ordo dabit. Si qui horum notitiam nostram fugerunt, eos aliorum diligentiae ac felicitati relinquo: fugisse autem non paucos auguror, non mea culpa, sed loci, in quo versor, injuria: neque enim ulla in eo Bibliotheca publica. Quae & caussa est, quod haud raro praestantissimis Scriptorum antiquorum editionibus, quos ad partes vocavi, usus non fuerim. Quare & metuo ne aliis inventa dudum, ipse nunc denuo repererim. In quo si qua culpa est, excusabunt eam, *scio*, *illi*, qui humanitatem colunt: Inhumanos autem atque iniquos nil moror. Inter eos vero, qui commentariis has fabulas illustrarunt, primum sibi locum vindicat Albinus, vetus Scholiastes. Commentarios hujus oculis nunquam usurpavi, quae autem inde decerpta vides, depromsimus ex Adversariis Barthii, cujus de illo judicium cognovisse operae pretium est. Ita autem Adversariorum libro XXXIX. c. 7. *Commentarius est antiquus, quem possidemus, satis grandis, & auctorem praefert Albinum, non semel expresso nomine. Nescio tamen an ille sit Caroli Magni praeceptor; cujus cum alia, tum egregium opus Collectaneorum in Euangelia habemus. Etsi quid & hoc credere vetat? cum curiosus etiam Poëtices & Grammatices fuerit, ut in utraque scientia scriptis testatum reliquit.* Et mox ad fab. VI. *Grammati-*

maticus noster tam distentus hic est futilitatibus exscriptorum, ut me ejus misereat: & nescio, quo fato sensim ejus notae deteriores fiant, licet minime contractiores: plura enim balbi loquuntur; quibus, etsi deest lingua, vox tamen superest. Sed tu vide Dissertationem nostram cap. xv. ubi hoc crimen purgavimus. Et sane mirum est tam abjecte hoc loco de Albino seu Alcuino illo sentire Barthium, quem passim summis laudibus ornat. Quanto magis inde confirmatur opinio nostra, non esse omnia ab Albino profecta, quae in commentario isto spisso prostant, sed addita multa aut a discipulis ejus, aut a magistris insequentibus. Hoc verisimilius fiet, si cogitaverimus alia hujus Albini opera similiter a discipulis ejus interpolata esse. Certe haec de iis sententia est Barthii, quem vide Adversar. lib. XLIII. cap. 26. & XLVI. cap. 2. Quae loca tanto vehementius evolvi & cognosci cupio, quod in utroque honorificentissime de Albino hoc sentit. Illo namque loco hominem eum dicit *suorum temporum sine controversia eruditissimum.* Hoc autem ita de eo censet. *Quo* (Alcuino) *doctiorem tum orbis terrarum non putabatur habere: & quidem vere putabatur. Siquidem nihil non litterarum Alcuinus iste, omnia barbaricis armis personantibus, ita tractavit, ut dignus sit, qui, quoad doctrinam, veteribus scriptoribus subjungatur.* Adde his lib. XLVI. c. 12. nec non lib. VI. c. 20. quod totum ejus laudibus impendit; quin & Terentium eum recensuisse & ob insignem eruditionem *Calliopium* nominatum scribit. Quicunque autem is commentator fuerit, hoc constare arbitror, hominem fuisse non illiteratum, optimosque Poëtas Latinos cognitos habuisse. Commentarios hos typis descriptos esse non memini. Prorsus

ſus autem diſcrepant ii ab *optimo commento*, ut in titulo operis appellatur, quod antiqua Burmanni Editio habet; mihi quidem Monachi alicujus inficeta ſtribligo videtur, qui verborum plane ſecurus ſatis habuit proſa oratione, ſi tamen oratio dicenda inepti hominis barbaries, utcunque ſententiam Poëtae expreſſiſſe. Neque alium fuiſſe puto commentarium Anonymi, quem in Editione vetuſta invenit Neveletus, de quo ipſe in Praefatione Notarum ſuarum ad Avianum. Quod autem ad Editiones Aviani attinet, Editionum omnium antiquiſſima eſt illa, quam nobis commodavit Cl. Burmannus, certe earum, quibus nos uſi ſumus. Nam fuiſſe eam priorem Editionibus caſcis duabus, quas ex Palatina Bibliotheca accepit Neveletus, difficile eſt dicere. Altera harum prodiit, ut ipſe teſtatur in Praefatione Notarum ſuarum, Anno MCCCCXCIV. non addita urbe. Altera quae Ulmam urbem praefert, annum omiſit. Quam autem Cl. Burmannus ſervat, ei nonnulla in fine libri detracta ſunt, quae forte annum deſignarunt. Quantum autem ex indiciis haud obſcuris intellexi, diverſa eſt Burmanni Editio antiqua ab illis, quas Neveletus inſpexit. Non ea indicia dico, quae colliguntur ex lectionum varietate. Quanquam enim haec probatiſſima multis videbuntur, exemplis tamen didici, fallere ea nonnunquam, quod recenſentium oculos & diligentiam (ſi tamen omnes diligentiam adhibent) multa fugiunt. De Neveleto quidem ſuſpicio mihi eſt, cum ex aliis cauſſis, tum ex dictis ejus ad Fab. IV. nata, non accurate ſatis excuſſiſſe libros antiquos, quibus ad emaculandas has fabulas eſt uſus. Fatetur enim ibi, *tanti haud quaquam eſſe Avianum, ut velit vel de-*

beat in eo ubique emendando vel enodando tempus consumere. Quanquam autem Ulmensis Editio similior est Burmannianae, quam altera illa anni MCCCCXCIV. quae tamen ipsa in multis etiam conspirat, eas tamen ex Editione Ulmensi nominatim producit lectiones, quas frustra in Burmanni libro quaesivi. Deinde commentum illud, quod supra Burmannianae Editioni adjectum diximus, abesse videtur ab Ulmensi. Quin complures haec fabulas, quam illa, habere videtur; quod utique affirmare licebit de altera illa Editione, quam excerpsit Neveletus. Vetusta namque Editio, quam a Cl. Burmanno accepimus, ex omnibus Aviani fabulis non ultra septem & viginti ostentat. Reliquae autem exclusae ab ea sunt, non temporis injuria deletae aut discerptae, sed consulto Editoris consilio praetermissae, cujus tamen caussam ullam nullo in loco reddit; nos tamen nonnihil de ea diximus in Dissertatione cap. XV. & XVI. Quas praeteriit fabulas auctor Editionis Burmannianae, hae sunt IV. X. XII. XVI. XXI. XXIII. XXIV. XXX. XXXII. XXXIV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. Praefatio quoque abest ab hoc libro. Cetera, quae ad hanc Editionem pertinent, declaravit Vir Eruditissimus Joh. Fredericus Nilant in Praefatione fabularum, quas edidit. Illud tamen hoc loco non omittendum esse duxi in Cl. Burmanni libro fabulis illis, quas Extravagantes auctor nominat, calamo adscriptas esse dein plures alias Laurentii, ut puto, Vallensis. Ex qua re confirmatur opinio mea, quam in Dissertatione cap. XV. de caussis corruptarum, auctarumque fabularum proposui. Accipe nunc Editiones reliquas, quae ad manus nostras pervenerunt. Prima est Theodori Pulmanni Craneburgii. Ejus co-

copiam nobis similiter fecit Celeberrimus Burmannus. Prodiit Antverpiae CIↃIↃLXXXIV. Errorem Pulmanni Neveletus in Praefatione Notarum ad Aviani fabulas perstringit, quod is sibi visus est primus has fabulas edidisse. Hanc Pulmanni opinionem collegit, ut suspicor, ex indice seu titulo, quem is in hunc modum libro suo praefixit. *Aviani AEsopicarum Fabularum Liber, a Theodoro Pulmanno Craneburgio ex membranis in lucem aeditus.* Et tamen forte Neveletum hic fefellit ratio, neque enim a se primo editas has fabulas fatetur Pulmannus, tametsi primus esse videtur, a quo ex tribus membranis emendatiores in lucem sunt datae. Neque enim novi quenquam, qui ante illum fabulas has cum libris antiquis composuit, ut emacularet. Verius autem ipsius Neveleti hic lapsum arguimus, qui Pulmannum ordine tertium fuisse scribit, inter eos, qui Aviani fabulas vulgarunt. Solas enim Editiones Antiquas duas, quas Palatina Bibliotheca servabat, Pulmanniana priores fuisse, ut credo, est opinatus; quum certum sit, Burmanni illam Editionem vetustam, quam saepe memoravimus, similiter antiquiorem esse; id quod ex forma litterarum seu typorum, quibus liber procusus est, manifeste cognoscitur. Hi vero ejusmodi sunt errores, si tamen ignorantia error dicendus, quorum neminem pudeat. Neque enim doctrinae est sed felicitatis, Editiones omnes etiam minimorum librorum, inspectas & cognitas habere. A qua quidem felicitate nos longe absumus. Quae & caussa est, cur in nulla re veniam petimusque, damusque vicissim promtius, quam si circa Editiones librorum titubatum alicubi fuerit. Certe non dubitavi ultro errores istius modi nostros in ipso

ipſo hoc libello redarguere. Verum redeo ad Pulmanni Editionem. Membranae tres, ex quibus meliorem nobis Avianum reliquit, in calce libri hae memorantur: Liber Canonicorum Noviomagenſium Collegii Catharinae. 2. Ejuſdem Collegii alter. 3. Ipſius Pulmanni. Pulmannum dein excepit Petrus Pithoeus, qui Aviano locum dedit inter vetuſta Epigrammata. Protracta haec ſunt in lucem primo Pariſiis CIƆIƆXC. poſtea Genevae CIƆIƆCXIX. quae editio parum differt a priore. Ante vero, quam haec poſterior Editio Genevae vulgata eſt, Lugduni bis prodiit Avianus, ſemel apud Hug. a Porta anno CIƆIƆCIII. in Corpore omnium veterum Poëtarum Latinorum Vol. II. pag. 461. atque iterum interpoſitis quatuor annis, apud Petrum Rigaud anno nempe CIƆIƆCVII. ſimul cum AEſopi Phrygis fabulis, *elegantiſſimis iconibus* (ita habet inſcriptio) *veras animalium ſpecies ad vivum adumbrantibus.* Additae praeterea ſunt Gabriae Graeci fabellae XLIII. Βατραχομυομαχία Homeri, hoc eſt *Ranarum & Murium pugna.* Γαλεωμυομαχία, *hoc eſt Felium & murium pugna Tragoedia Graeca*: & tandem ſequuntur Aviani Fabulae, ſeu, ut eſt in eodem titulo, *Avieni antiqui auctoris fabulae.* In Praefatione, quae praemiſſa eſt Aviani fabulis, Prologus tria ſe exemplaria nactum eſſe ſcribit, ex quibus emendatiores eas exhibuit. Haec autem exemplaria alia eſſe iis, quae Pulmannus conſuluit, facile is deprehendet, qui utriuſque Editiones interſeſe contulerit. Non autem illam Praefationem Rigaltii, ſive mavis Rigaudi, Editioni primum acceſſiſſe, ſed ex alia antiquiore, ad quam & ipſe Rigaltius fabulas ſuas expreſſiſſe videtur, repetitam eſſe, inde auguror, quod auctor illius Praefationis ſibi viſus eſt A-

viani

viani fabulas primus edidiſſe: id quod utique non convenit Editioni iſti Lugdunenſi, cujus titulus haec praefert *Editio poſtrema, ceteris omnibus caſtigatior*, quae verba Editioni primae non congruunt. Sed placebit forte aliis haec ita excuſare, quaſi verba illa non tam Avianum ſpectent, qui poſtremo loco in eo libro recenſetur, quam priores fabulatores. Quid? ſi damus hoc; nihilo enim ſecius manet ſuſpicio non primum adjectam eam Praefationem Editioni Rigaltii. Hujus enim Editionem praeceſſit ſeptendecim annos Pithoeana Editio prior. Num autem veriſimile per hoc temporis intervallum Editori Lugdunenſi non innotuiſſe Pithoei Editionem, non in loco obſcuro patriae ſuae, ſed in ipſo imperii domicilio, Pariſiis, emiſſam ab eo viro, cujus illa aetate ob eximiam doctrinam, & immenſa in rem litterariam merita, fama nobiliſſima fuit. Sed, crede, ſi potes, non innotuiſſe Lugduni in Gallia Pariſienſem Pithoei editionem, num & hoc perſuadere tibi poteris, plane ignoratum fuiſſe Rigaltio, aut prologo ejus Editionem, quae quatuor annis ante ex celeberrima Hugonis a Porta officina in eadem Lugdunenſi urbe in vulgus exiit? Non ergo Joannes de Tournes, de quo in Diſſertatione noſtra diximus cap. 1. culpandus magis eſt, quam ipſe Rigaltius, quod Praefationem parum idoneam Editioni ſuae adpoſuit. Veruntamen ſive Praefatio illa Rigaltii Editioni primum adjecta fuerit, ſive ea ex anteriore Editione, quae nobis ignota eſt, repetita ſit, hoc, puto, nemo negabit, falſum eſſe Prologum eum, quod ſe primum omnium has fabulas edidiſſe eſt ratus; nam, ut de Pithoei Epigrammatibus vetuſtis aliiſque aliorum Editionibus nil dicam, dudum eae in lucem pro-

prolatae fuerunt Editionibus, quas ex Palatina Bibliotheca Neveletus produxit, atque illa, quam hodie Cl. Burmannus custodit a nobis inspectam. Ex officina autem de Tournes publicatus est Avianus Genevae anno CIↃIↃCXXVIII. In qua Editione omnia eadem reperiuntur, quae recensuimus modo ex Editione Lugdunensi, ut adeo haec ad illam, aut utraque ad eandem castigata sit. Tametsi autem perquam sibi similes videntur hae Editiones duae, Lugdunensis & Genevensis, ut etiam paginae maximam partem conveniant, easdem tamen non esse paullo accuratior perspiciet. Non tamen intercedo, quominus discrepantes harum lectiones errori operarum, non judicio tribuantur. In Germania quoque sub idem fere tempus non cessatum est in publicandis emendandisque Aviani fabulis. Anno namque CIↃIↃCIII. Hanoviae typis Wechelianis repetita est Pulmanni Editio. Additi hic sunt comites Aviano Aphthonius Sophista, Babrias seu Gabrias & Phaedrus. Quin & interjecto inde haud longi temporis intervallo Isaacius Nicolaus Neveletus anno CIↃIↃCX. Heidelbergae inter fabulas variorum auctorum, AEsopi, Aphthonii, Gabriae, Babriae, Anonymi, Phaedri, Abstemii denuo publicavit Avianum, in quo purgando usus est Palatino Codice manu exarato, & duabus Editionibus antiquis, de quibus ante multa disputavimus. Atque hunc primum arbitror, qui ab instauratis litterarum honoribus fabulatorem hunc Notis est dignatus. Has Neveleti Notas Albini commentariis selectis attexuimus. Circumfertur praeterea altera Neveleti Editio Francofurtana CIↃIↃCLX. verum in hac nihil novatum est, si recte memini, praeter Titulum & Praefationem, non eam, quam Notis praemisit

Ne-

Neveletus ad Avianum, ſed quam operi univerſo praefixit: Cetera prioris Editionis ſunt. Rurſus in Gallia exierunt hae fabulae Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoyſi CIↃIↃCXXX. In hac Editione ſubjungitur Avianus Phaedro, edito cum Notis Nicolai Rigaltii. Quandoquidem autem de Aviani edendi conſilio nihil in Praefatione ſua monet ille Rigaltius, ſuſpicor non ejus auctoritate, ſed à Typographo Fabulatorem noſtrum eſſe adjectum. An ſuperioribus Rigaltii Editionibus, quae ad manus non ſunt, ſimiliter acceſſerit, ignoro. Ex Hiſpania quoque ſimul cum Rufi Feſti Avieni operibus editus prodiit Madr. CIↃIↃCXXXIV. typis luculentis, ut Alb. Joh. Fabricius in Bibliotheca Latina teſtatur; qui & addit, opuſcula Avieni vix uſquam hic, quam Pithoeus ediderat, caſtigatiora exiiſſe. De Aviani fabulis id veriſſimum eſſe deprehendi ex variantibus Madritenſis Editionis lectionibus, quas ad Neveleti Editionem compoſitas Vir ille Clariſſimus, qua eſt humanitate, ad me miſit. Videtur ergo Petrus Melian ex Rameſii Bibliotheca, ex qua ea opuſcula publicavit, nullas antiquas, ſed ſolas Pithoei Editiones accepiſſe. In Batavia hac noſtra crebro deſcriptus eſt Avianus, eodem tamen, quantum quidem mihi intelligere eſt datum, exemplo ſemper. Neque enim is Doctorum Virorum uſibus fuit deſtinatus, ſed Scholis, quare cum ſelectis AEſopi fabulis Graecis conjunctus ſemper fuit. Ex illis, quae in Batavis Editionibus fabulae extremae ſubjectae ſunt, cognoſcimus, eas ab aliquo emendatas eſſe; cujus autem aut qua ope, non additur. Non damnandae quidem ubique ſunt lectiones ſingulares harum Editionum, ſed dubitavi ſaepe an ex MSS., ex quibus

po-

potissimum Criticis sapiendum est, sint haustae. Inter Editiones Batavas jure referimus Arnhemiensem anni CIƆIƆCXLIX. quam Fabricius in Bibl. Lat. recensuit; nobis enim inspicere non licuit, tametsi dudum urbem, in qua ea prodiit, habitamus. Fuerunt hic semper, atque etiam nunc sunt instructiores bibliothecae, miror autem Editionem eam nusquam in his reperiri; nisi forte extat in illa, quae una praestantior, Musis omnibus invitis, nostris etiam lugentibus, haud ita pridem hinc exulare coepit. Parum ergo definire liquet, quo Arnhemiensis illa Editio loco sit habenda, ad Codices MSS. an ad Pithoei Editionem, ad quam pleraeque omnes, sit castigata. Ad extremum in Anglia bis prodiit hoc saeculo, quod nunc agimus, Avianus. Utrique Editioni praefuit Vir Doctissimus Michael Maittaire, qui eum Operibus ac Fragmentis veterum Poëtarum interposuit Vol. II. pag. 1338. mox etiam Phaedri fabulis, una cum Graecis quibusdam & Latinis ex variis auctoribus collectis, Appendicis nomine adjecit. At vero cum de iis omnibus agere decrevimus in hac Praefatione, qui bonam operam Aviano nostro navarunt, nequaquam nobis praetereundus est Barthius; qui quidem fabularum hunc libellum non edidit, attamen ex vetustis membranis, quantumvis mutilatis, plerasque earum recensuit. Quin & potiora quaeque ex Albini commentariis, de quibus supra diximus, descripsit, & simul cum animadversionibus suis Adversariorum libris innexuit. Unde haec resoluta ipsis Aviani Fabulis in nostra Editione subjecimus. Cabeljavii curas in hunc Poëtam nunquam vidi, meminit earum in Biblioth. Latina Fabricius. Nuperrime tamen ex Cl. Burmanno cognovi, quocum eas

Fa-

Fabricius communicaverat, tyronibus illas ſcriptas, & non magni pretii eſſe. Quare exiſtimo aequo iis animo cariturum eſſe Lectorem. Me quidem hoc Clariſſimi Viri judicio repreſſum ſenſi, quo minus de iis comparandis laborarim. Hi ſunt, Lector Benevole, qui optima fide de Aviano noſtro merere ſtuduerunt. Superſunt illi, qui fabulas ejus vel in aliud carminis genus, vel in ſolutam orationem converterunt, vel verſibus a ſe inventis interpolarunt. Siquidem autem hi peſſime conſuluerunt Poëtae noſtro, parum dignos opinor, quorum hoc loco ratio habeatur. Ut autem de Interpolatoribus nil dicam, quorum nomina in obſcuro, imo penitus hodie ignota ſunt: Perottus, Barlandus, Guilielmus Hermannus, & ſi qui forte ſunt alii, qui Aviani ſententiam mutata oratione ſuis verbis enarrarunt, quid aliud effecerunt hoc ſuo conſilio, quam ut excuſſis ex manibus Aviani Fabulis atque Elegis, ſpurii foetus ſub ejus nomine foverentur? Sed de his omnibus plura ſumus queſti in Diſſertatione noſtra c. XV. & XVI. Ex his tamen Perotti conatus, qui jambico carmine nonnullas ejus fabulas reddere eſt adgreſſus, non extra parietes evolavit. Nunquam enim editae ſunt in lucem hae Perotti fabulae. At vero *Aniani fabulae Hadriano Barlando interprete*, ita enim Index libelli ſive Inſcriptio habet, quatuor tantum feruntur. *De Quercu & Arundine* Fab. XVI. *De Piſcatore & Piſciculo* Fab. XX. *De Formica & Cicada* Fab. XXXIV. & tandem *De Leone & Tauro* Fab. XIII. quas ille oratione proſa eſt interpretatus. Contra autem Gulielmus Hermannus tantum non omnes Aviani Fabulas ſimili ſermone extulit, Fabulas enim duntaxat XXIII. XXXIX. XLI. XLII. omiſit, cujus rei cauſſam reddidimus in Diſſertatione noſtra cap. XVI. Siquis tamen

cognoſcere cupit Editiones harum Fabularum, quae ad manus noſtras pervenerunt, ei has nominamus: Lipſienſem CIƆIƆXXX. Titulus libri hic erat. *Fabularum, quae hoc libro continentur, Interpretes atque Auctores ſunt Guilielmus Goudanus, Hadrianus Barlandus, Eraſmus Roterodamus, Aulus Gellius, Laurentius Valla, Angelus Politianus, Petrus Crinitus, Joannes Antonius Campanus, Plinius Secundus Novocomenſis, Anianus, Guilielmus Hermannus, Nicolaus Gerbellius Phorcenſis, Laurentius Abſtemius, Rimicius jam denuo additus, AEſopi vita ex Maximo Planude excerpta & aucta.* Ante fabulas praemittitur AEſopi vita ex Maximo Planude & Philoſtrati imaginibus; dein ſequitur Epiſtola ita inſcripta, *Martinus Dorpius Joanni Leupe, Jacobo Papae, & Joanni Ninivitae eruditiſſimis in Flandria ludimagiſtris S.* in fine epiſtolae haec erant, *Lovanii ex nominatiſſimo Lilianorum Gymnaſio ad* x. *Kal. Decembris.* Hinc ſequitur Index Fabularum omnium, quem ordine excipiunt Fabulae Auctorum in titulo mox commemoratorum. Sub exitu libri extabat Epiſtola ſive Dedicatio Guilielmi Canonici ad Florentium Iſelſteinium. Inſcriptio haec eſt *Guilielmus Canonicus Divi Aurelii Auguſtini Florentio ſuo illuſtri Baroni Iſelſteinio.* Proximum huic epiſtolae ſuccedebat Petri AEgidii Antwerpiani Endecaſyllabon ad Lectores. Ad extremum Colophonem haec addebant, *Lipſiae excudebat Nicolaus Faber anno* CIƆIƆXXX. Haec cur accuratius deſignavimus, cauſſam pete ex Diſſertatione c. XVI. Librum illum nobiſcum communicavit Cl. Drakenborch, petitum, ni fallor, ex Bibliotheca Civitatis Trajectinae publica. Exiſtimavi, fateor, hanc Editionem primam eſſe fabularum Gulielmi Hermanni; idque teſtatus ſum in eo Diſſertationis capite, quod nominavi

minavi modo. Sed paucis abhinc diebus copia mihi facta est Editionis antiquioris, quae Argentorati prodiit apud Joannem Knoblouchium anno CIↃIↃXXIV. In illa eadem, qua in Lipsiensi Editione, serie, fabulae relatae erant; quin & cetera, quae de Lipsiensi editione monui, in ea comparebant. Easdem Fabulas, detractis tamen iis, quae Remicii sunt, editas habeo Lutetiae ex officina Roberti Stephani Typographi Regii CIↃIↃXLV. item Antverpiae excudente Joanne Latio Anno CIↃIↃLXIII. Cui Editioni non Remicii tantum Fabulae accesserunt, sed & *jucundae ac honestae Fabellae selectae ex omnibus Facetiis Poggii Florentini.* Reliquum nunc nihil est, nisi ut Notarum explanationem adtexam, quibus in Animadversionibus meis sum usus.

A. Liber Canonicorum Noviomagensium Collegii Catharinae, quem consuluit Pulmannus.
Ant. Ed. Antiqua Editio Burmanni.
B. Codex MSS. Benedictinorum S. Germani ad Prata.
Bat. Batavi Editores, seu Batavae Editiones.
C. 1. 2. 3. Colbertinus primus, secundus, tertius.
Col. 1. 2. 3. Coloniensis primus, secundus, tertius.
Cort. 1. 2. 3. Cortianus primus, secundus, tertius.
Ed. Ant. vide Ant. Ed.
Ed. Gen. Editor vel Editio Genevens. CIↃIↃCXXVIII.
Ed. Lugd. Editor vel Editio Lugdunensis CIↃIↃCVII.
Genev. Genevensis Editor. vide Ed. Gen.
L. Codex MSS. Langermanni.
Lugd. Lugdunensis Editor vel Editio. vide Ed. Lugd.

M. Codex MS. Mediceus.
N. Liber Canonicorum Noviomagensium Collegii Catharinae, a Pulmanno excerptus.
Nev. Neveleti Editio.
P. Codex MS. Pulmanni.
Palat. Codex MS. Palatinus, quo usus est Neveletus.
Pith. Pithoei Editio Aviani inter Epigrammata & Poëmatia vetera.
Pul. Pulmanni Editio.
V. vel. Voss. 1. 2. 3. 4. Vossianus Codex MS. primus, secundus, tertius, quartus.

Ad extremum hoc monendum, quarum Editionum nullam habuimus rationem in Notis, eas ad priorum exempla esse expressas, & nihil peculiare referre.

PRAEFATIO

Praemissa Editionibus Petri Rigaud Lugdunensi anni 1607. & Joannis de Tournes Genevensi anni 1628. quam tamen Praefationem ostendimus in Praefatione nostra antiquiorem esse utraque illa Editione.

Lectori S.

Avieni Poëtae meminerunt Servius Grammaticus & D. Hieronymus. Servius eum Virgilianas Fabulas & Livianas carmine descripsisse nobis auctor est. Hieronymus vero, Aratum, cujus ante extabant Ciceronis & Germanici interpretationes, eundem suis temporibus Italis Musis consecrasse. Nec puto dubitandum esse, an, quae sequun-

quuntur fabulae, ejusdem sunt Avieni. Videtur enim hic auctor operam suam posuisse in omnis generis fabulis explanandis, quarum aliae pertinent ad corpora coelestia, ut Arati. Aliae ad Heröes, ut Virgilii & Livii Andronici. Tertium genus ad bruta animantia, ut AEsopi. Et has quidem nunc primi edimus, cupimusque, ut operam nostram in his fabulis restituendis Lectores aequi bonique consulant. Quos & hoc admonitos velim, has olim quidem a Gregorio Gyraldo esse lectas (is enim in suis libris quandam particulam Praefationis adfert) ab eo autem & alio quovis non esse editas, hac de caussa, ut credimus, quod nacti non essent satis emendatum exemplar. Nos feliciores, qui nacti fuimus tria exemplaria, quae simul Avienum nobis integrum & quam emendatum exhibuerunt.

ISAACI NICOLAI NEVELETI

PRAEFATIO

Ante Notas suas in Avianum.

Si requiris, Lector, quis Avianus iste fuerit, sic enim eum omnes tum MSS. Codices, tum Editiones indigetant, quod compertum habeam, nihil respondebo. Fuit sane Avienus quidam, qui plura carmine descripsit. Hunc eundem esse, non ausim affirmare. Hinc tamen erui posse videtur, quod ille tempore Theodosii vixisse censeatur, hic itidem vixerit, ut ex Praefatione sua ad Theodosium liquet: si modo supposititia non est (eam enim neque in Palatinis schedis, neque in prisci aevi Editionibus reperi) Fabulas praeterea Virgi-

lianas ſcripſiſſe teſtis eſt Servius. Hic itidem non Virgilianas quidem, ſed AEſopicas edidit. Ut ut ſit, veriſimilius eſt eum alium eſſe a veteri illo Avieno. Neque vero multum refert, ſciamus id, an ignoremus. Non indoctum tamen hunc omnino fuiſſe, quiſquis is fuerit, indicant hae fabellae, in quibus ducem ſibi delegit AEſopum. Quid vero in his Aviani notis praeſtiterimus, ſi ſcire deſideras: cum Palatino codice manu exarato eas contulimus. Acceſſere itidem Jani Gruteri Doctoris mei (de quo Viro melius nihil dicere, quam non ſatis dicere) opera ex eadem Bibliotheca Editiones duae exoletae: quarum altera Ulmenſis ſine anni adnotatione. Altera anno cIↄcccccxciv. abſoluta, ſine loci nota cum commentario Anonymi cujuſdam. Ex quarum collatione ſiquid emaculatius eruere potuimus, huc rejecimus. Sed paucula ſunt illa, poſt Doctiſſimi Viri Theodori Pulmanni lucubrationes, qui fabulas haſce e tribus manuſcriptis emendatas edidit. Non quidem primus, ut arbitrabatur, ſed, cui par fere gloria debetur, tertius. Latebant enim ante illum hae fabellae in pulverulentis Bibliothecarum ſcriniis, ſalvae quam pauciſſimis, perditae fere omnibus. Sed ad rem.

Gyraldi, Voſſiique de Aviano judicia in Diſſertatione noſtra protulimus, & refutavimus, ubi vide. iſtic etiam cognoſces nonnulla ex Praefationibus his ad examen revocata.

IN-

INDEX FABULARUM.

Q.

FLA-

FLAVII AVIANI

PRAEFATIO.

AVIANUS THEODOSIO.

DUbitanti mihi, Theodosi optime, quonam litterarum titulo nostri nominis memoriam man-

AVIANUS THEODOSIO] Deest haec praefatio in iis, quos vidi, libris. NEVELETUS. Habent tamen eam Vossii Codices omnes, & plerique alii, quorum aliqui alieno loco, ut in calce libri, exhibent. quam caussam fuisse arbitror, cur ea nonnullorum oculos fugerit. Pithoeus & Pulmannus addunt S. D. quae tamen abesse possunt: vide epistolas Symmachi atque Ausonii; quibus adde exempla epistolarum passim prolata ab Historiae Augustae scriptoribus, ut Capitolino in Clod. c. II. Gordian. c. XXIV. Maxim. & Balb. c. XVII. Lampridio in Diadum. c. VII. & VIII. & saepe alias. Denique Rescripta Imperatorum in Codice Theodosiano & Justinianeo & Legum Roman. & Mosaic. Collationem, aliaque juris Romani monumenta. De Aviano & Theodosio plura diximus in Dissertatione, quam libro huic adjunximus.

Dubitanti] B. M. Col. 3. *Dubitandi* habent. *Dubitanti* id est cogitanti, deliberanti. Virgilius AEneid. IX. 190.

percipe porro
Quid dubitem, & quae nunc animo sententia surgat.

ubi vid. Serv. Non vox haec, quam casus aptior ingressui orationis, Cicero Famil. IV. 13. *Quaerenti mihi jam diu, quid ad te potissimum scriberem, non modò certa res nulla, sed ne genus quidem litterarum usitatum veniebat in mentem.* & XI. 29. *Dubitanti mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant magnum pondus accessit.* de Divinat. II. I. *Quaerenti mihi, multumque & diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla major occurrebat.* adde Senecam de Tranquill. anim. init. Apulej. de mundo init. Minuc. Felic. init.

Theodosi optime] In Voss. 2. est *optime Theodosi.* Quis *optimus* dicatur ostendimus in Dissertatione.

Quonam litterarum titulo] Vitiatum hic aliquid esse ex diversa codicum vetustorum lectione arguimus; B. L. M. pro *quonam* exhibent *quomodo.* sed corruptius Voss. I. *quonam modò tita.orum titulo nominis.* sed levis est menda: scribe *cuinam litterarum titulo.* haud fere aliter Cicero pro Arch. c. IX. dixit *mandare versibus laborum praeconium.* neque porro hinc longe abeunt *mandare historiae, litteris, libellis* quae vulgatissima sunt. usu autem didici, vocem nullam crebrioribus librariorum erroribus obnoxiam fuisse, quam pronomen *qui,* quod omnes ejus flexiones paene eadem scri-

mandaremus, fabularum textus occurrit: quod in his urbane concepta falsitas deceat, & non in-

scribebantur nota, adde Gronovium ad Pompon. Mel. I. 2. 23. *qui* pro *cui* inemendatum adhuc apud Rutilium in Itiner. I. 110.

Auxilio fluxit cui rediturus erat.

nisi *qui* pro *cui* scriptori placuisse dicas, de quo vid. Terentianus Maur. pag. 238. edit. Putsch. Donatus ad Terent. Andr. I. I. 140. quare & infra fab. V. 18. *qui* & *ceu* permutata reperiuntur, & fab. VI. 6. *ceu* & *quod.* plena manu alia opportuniore loco dabimus. possis tamen *quonam* servare, si *tibi* inseras hoc modo, *quonam litterarum tibi titulo.*

Textus] Proprie de araneis, Claudian. Rap. Proserp. III. 157.

spatiumque relictum
Audax sacrilego supplebat aranea textu.

inde facilioris materiae & tenuis argumenti versus texi dicuntur, vid. Broukhus. ad Tibul. IV. I. 211. Scite ergo de fabulis noster, ut & Capitolinus in M. Antonin. Philos. c. XIX. *Ac talem fabellam vulgari sermone contexunt.* Sulpicia v. 2.

Fabellam permitte mihi detexere paucis.

Similiter Graeci ὑφαίνειν μῦθον: quod fabulae non tantum oratione tenui ac vulgari scribebantur, sed & inter prima stili rudimenta pueris praecipiebantur. Quintilianus Inst. Orat. I. 9. *Adjiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus aetates nondum Rhetorem capientes, instituant. Igitur AEsopi fabellas, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, & nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stilo exigere condiscant.* Priscianus etiam ex Hermogene in Praeexercitamentis Rhetoricae primo loco fabulas ponit. perite autem Avianus mox *ordiri ridicula*, nam & illa vox propria araneis, & rei gracili, Auctor Culicis II.

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia;
Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.

ubi vid. Scalig. quare & Caper tanquam solenne verbum ponit *ordiri telam*, in Geographia pag. 2243. edit. Putsch. apposite Ausonius in praefatione Technopaegniae ad Pacatum Procos. *Et simul ludicrum opusculum texui, ordiri majuscula solitus.* Hinc glossae Cyrilli *orditur* διάζεται, sic & *orsum* διάσμα. vocem illam exponit Pollux in Onomast. VII. 10. 33. perperam interpretes *disjungere* reddunt. veriora docuit Salmasius ad Julium Capitolin. de vita Pertinac. c. VIII.

Occurrit] *Occurrunt* M. Voss. I. quod sono non sensu discrepat.

Deceat] Ita MSS. omnes praeter Voss. 2. qui praefert *doceat.* illud probant Pulmannus, Pithoeus & qui hunc sequi solet Petrus Melian in editione Avieni Madritensi. Contra autem *doceat* habent Editiones Lugdunensis, Genevensis & Batava, id quod & ante in textum receperat, atque in notis laudarat Neveletus: mihi tamen τὸ *deceat* huic loco aptius videtur. Non ignoro alteram fabularum dotem, quod, ut scribit Phaedrus,

prudenti vitam consilio monent.

sed eam dotem in hac praefatione non commendare instituit Auctor, qui id solum demonstrat, quae caussa sit, cur fabulas potius, quam alterius argumenti opus conscripserit. Caussam autem hanc prodit, quod solutum magis sit fabulas scribere. Cum enim in rebus ceteris tradendis necessaria sit veritas, eam recte negligi in fabulis ostendit, imo de-

incumbat necessitas veritatis. Nam quis tecum de oratione, quis de poëmate loqueretur? Quum in utroque litterarum genere & Atticos Graeca eruditione superes, & Latinitate Romanos? Hu-

decere, id est decorum esse in his *falsitatem*, *urbane conceptam*. In hac autem parte non errare Auctorem ex definitionibus fabularum intelligimus. Aphthonius progymnasm. sub initio, & Suidas in μῦθος. Μῦθος λόγος ψευδὴς εἰκονίζων τὴν ἀλήθειαν. *Fabula sermo falsus imitans veritatem.* Priscianus Praeexercit. *Fabula est oratio ficta verisimili dispositione imaginem exhibens veritatis* similia Macrobius in somnio Scipionis I. c. 2. *Fabulae, quarum nomen indicat falsi professionem.* & paulo post, *Per mendacia ipse relationis ordo contexitur, ut sunt illae Aesopi fabulae.*

Incumbat necessitas] Quid in hoc dicto sit observandum, ne barbare loquamur, monet Joannes Vorstius de Latinitate merito suspecta c. XXVI. pag. 227. Ulpianus l. v. D. de accusat. *Post hoc igitur rescriptum accusandi necessitas incumbat domino servum suum.* Marcianus l. XXI. D. de probat. *Quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit.*

Nam quis] Lacunam hic esse suboleo, neque est, unde expleam. Nevel. Omnia bene habent, neque quidquam hic deest. caussam reddit Avianus, cur fabulas potius ad Theodosium mittat, quam de oratione aut poëmate, id est de arte Grammatica aut Critica opus: quae artes per haec tempora praecipue celebrabantur, id quod ostendimus in Dissertatione nostra. Caussam vero sibi hanc esse scribit, quod nolit praecepta de lingua Graeca atque Latina ad eum scribere, qui ipse iis abundet, Atticosque Graeca eruditione superet, & Latinitate Romanos.

Quis tecum de oratione, quis de poëmate] Vox *Orationis* si stricte capitur, recte poëmati & carmini opponitur, & orationem prosam significat Quintilianus Instit. Orator. I. 8. *Quae adeo debent esse notae in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur.* Suetonius Calig. c. XXIII. *Succensebatque, si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum Caesarum insererent.*

Et Atticos Graeca eruditione superes, & Latinitate Romanos] Miseros illos Romanos, qui Graecae orationi quod opponant, nihil habent, nisi Latinitatem: Imo scelestos librarios, qui laudem meritam iis invidentes infortunio sibi debito Aviani locum opponendum Graecae eruditioni curam Romanam corruperunt. Qui non nobis bene tibi facere nobiscum lege *& Atticos Graeca eruditione superes, & Latina arte Romanos.* Cultus & cura tribuitur Romanis litteris. Eutyches Grammaticus praefatione. *Cratere, quem in omni Graecorum facundia tuos aequiparantem majores in sapientia & maxime laudibus excellentes etiam gaudebam doctrina superavisse Romanos.* Alcimus sive Alcinous de Virgilio, non incertus auctor, ut vulgo circumfertur,

Maeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat: & lectum credat utrumque sibi.
Illius immensos miratur Graecia campos,
Ast minor est nobis, sed mage cultus ager.

Ita fide vetustae membranae eos

versus legendos ducimus, vulgo *sed bene cultus*, minus ad rem *bene*. Claud. panegyr. Mallii v. 83.

Grajorum obscuras Romanis floribus artes
Irradias.

Clara res sic erit, cum oppositioni debita ratio claudat in vulgatis. BARTHIUS Adversar. XIX. 24. adde ad Stat. Silv. III. 5. 94. Nil dicimus de verbis & mente scriptorum, quos hic ad partes suas citat Barthius, solum namque Avianum illustrandum suscepimus. Verum hoc contendimus, nullam hic librariorum esse culpam, sed Barthii, qui ut hic, sic mox iterum, atque in locis quam plurimis non est adsecutus sensum Poëtae. Graecam eruditionem, & Latinitatem nominat facultatem, non tantum Graece & Latine scribendi, sed & utriusque linguae auctores praestantissimos enarrandi. Artem hanc Latini vel simpliciter *Eruditionem* nominarunt, ut hoc loco Avianus, & Suetonius in Calig. c. LIII. *E disciplinis liberalibus minimum Eruditioni, eloquentiae plurimum attendit.* vel *Eruditionem variam* Graeci φιλολογίαν καὶ πολυμάθειαν, vid. Casaubonus ad Sueton. in Aug. c. LXXXIX. quam artem qui tenebant *eruditi* vocabantur: Cicero de Finibus bonorum & malorum I. 7. de Epicuro. *Vellem equidem doctrinis fuisset instructior. est enim, quod ita tibi videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur.* non obscure autem designat eas artes, quas paullo ante in Torquato & Triario laudarat, *litteras, historias, cognitionemque rerum, poëtarum evolutionem, multorum versuum memoriam.* Eruditionem Graecam nominat & Idem Academ. Quaest. I. 2. *Nam cum philosophiam viderem diligentissime Graecis litteris explicitam, existimavi, si qui de nostris ejus studio tenerentur, si essent Graecis doctrinis eruditi, Graeca potius quam nostra lecturos: Sin a Graecorum artibus & disciplinis abhorrent, ne haec quidem curaturos, quae sine eruditione Graeca intelligi non possunt.* Quemadmodum autem in Graecia his artibus atque hac eruditione Attici, ita in Latio Romani praestabant, quare eorum sermonem praecipue imitandum monuerunt, qui bene dicendi praecepta dederunt. Idem de Orator. III. II. *Quae quidem,* sermonis suavitas, *ut apud Graecos Atticorum, sic in Latino sermone hujus est urbis maxime propria.* Gemina habet Quintilianus Inst. Orat. VIII. I. atque ob eam caussam Diomedes de Oratione lib. II. pag. 434. edit. Putsch. *Latinitas*, inquit, *est incorrupta loquendi observatio secundum Romanam linguam.* adde Maximum Victorinum de re Grammatica sub initio. Ineptit ergo more suo Isidorus Origin. IX. I. dum, quae sit lingua Latina & Romana, exponit. ob linguae vero praestantiam Athenas Romamque studiorum atque eruditionis caussa petebant adolescentes. De Athenis res certa: de Roma vid. Sitzman. ad Rutil. Itiner. I. 209. adde l. XVIII. §. I. D. de judic. l. XVII. D. de reb. credit. l. V. §. 5. ad L. Cornel. de injuriis. l. XXXVI. D. ad Municip. Ut autem hoc loco Avianus Latinitatem & Graecam eruditionem dicit, sic contra Theodosius ac Valentinianus Imperatores *Graecitatem & Romanae eloquentiae doctrinam* l. III. Cod. Theodos. & l. I. Cod. Justinian. de studiis liberalibus Urbis Romae & Constantinopol. In vulgatioribus libris hodie *Gravitatis* legitur, sed mendose. Augustinus libro singulari ad Modestinum *Graecanitatis* legisse videtur, sed τὸ *Graecitatis* verum existimamus formatum ad modum *Latinitatis*, quae dictio proba est & vetustis usitata. *Atticam Romanamque doctrinam* appellant Imperatores Valens,

Gra-

Hujus ergo materiae ducem nobis AEsopum noveris, qui responso Delphici Apollinis monitus ridicula orsus est, ut legenda firmaret. Verum has

Gratianus & Valentinianus l. XI. Cod. Theodos. de Medicis & Professoribus.

In utroque litterarum genere] Malo hic litteras Graecas & Latinas accipere, quam poëma ac solutam orationem. Suetonius in Tiber. c. LXX. *Artes liberales utriusque generis studiosissime coluit.* in Calig. c. III. *Ingenium in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens.* Cicero de Offic. 1. 1. *Utriusque sermonis facultatem* appellat. *utramque linguam*, Suetonius in Aug. c. LXXXIX. *duplicem loquelam*, Sidonius Apollinar. XXIII. Carm. 231. *utrasque litteras*, plures. adde Spon. Miscell. Antiq. pag. 36.

Ducem nobis AEsopum noveris] Voss. 1. *ducem esse nobis.* Voss. 3. *Exopum.* quod ad rem ipsam attinet; sequitur Phaedrum auctor in Prol. lib. 1.

AEsopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.

Monitus] Vox usitatissima in oraculis & sortibus divinis. Virgilius AEneid. III. 712.

Helenus cum multa horrenda moneret.

VII. 110.

sic Juppiter ille monebat.

Suetonius in Tiber. c. XIV. *Et mox cum Illyricum petens juxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos mitteret.* atque inde *monita* & *monitus* pro oraculis, Virgilius AEneid. VIII. 335.

matrisque egere tremenda
Carmentis nymphae monita, &
Deus auctor Apollo.

Statius Thebaid. I. 490.

stupet omine tanto
Defixus senior, divina oracula Phoebi
Adgnoscens, monitusque datos vocalibus antris.

Florus 1. 2. 3. *monitu Egeriae Deae.* Seneca Oedip. 16.

hoc me Delphicae laurus monent.

sed tamen non omittendum esse duxi, quod B. M L. praeferunt *munitus*, quae forte verior lectio est. AEsopus scripturus fabulas de hoc consilio ad Apollinem retulit, duas, ut puto, ob caussas: primo ut hujus majestate sese hominem Fortunae injuria contemtissimum, atque in omnia obnoxium, adversus potentium aliorumque hominum odia, quorum mores fabulis ridicule taxabat, muniret. Deinde ut dicta scriptave sua ob materiae exilitatem vix lectorem inventura divina auctoritate firmaret. Posteriorem hanc caussam Avianus memorat. Notum est quemadmodum Lycurgus, Lysander, Philippus aliique excellentes ingenio Viri in Graecia Oraculorum ac potissimum Apollinis Pythii auctoritate suis consiliis pondus addiderint, ac sese adversus inimicorum calumnias muniverint.

Ridicula orsus est] Id est fabulas, quae risum movent. Phaedrus Prol. lib. 1. simili modo Aristophanes Ἀισώπυ γελοῖα dixit, non intellecta Scholiastae, ut docuit Cl. Bentlejus. vid. Fabricii Biblioth. Graec. II. 9. 5.

Ut legenda firmaret.] Hic valet fine suo justo mactaret. *firmare* claudere, concludere aevo cadenti sonat, quo sensu hic capiendum, & in idiomate Gallico & Italico superest. Ridicula orsus est AEsopus, ut legenda aut lectione digna concluderet. Sed videtur Avianus iste ad firmamentum Rhetorum adlusisse, quod a Cicerone definitur firmissima argumentatio

has pro exemplo fabulas & Socrates divinis operibus indidit, & poëmati suo Flaccus aptavit; quod in se, sub jocorum communium specie, vitae argu-

tatio plerumque defensioni congrua, cum ei contrarium accusatoris remedium (ut cum Jureconsultis loquamur) adsertionem notet dici Victorinus commentario ad I. Rhetoricorum. Qualia habes & apud Cassiodorum libro de Tropis scripturae, & magistrum Alcuinum Flaccum dialogum de Rhetorica. BARTHIUS Adversarior. lib. XIX. cap. 24. Alienissima haec sunt a mente Aviani. AEsopus, ut ridiculis suis auctoritatem conciliaret, hominesque ad audiendum legendumque invitaret, firmavit ea Apollinis oraculo. congrue Cicero de Divinatione I. c. 43. *Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum rem publicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit.* Sed quia Barthius barbarismi hic auctorem nostrum insimulare videtur, consule, quaeso, quae adversus hanc sententiam in Dissertatione de aetate ac stilo Aviani disputavimus, in qua id operam dedimus, ut dicta ejus a Neveleti Barthiique calumniis vindicaremus.

Pro exemplo] *Per exemplum* Voss. I. innumera sunt loca, quibus *pro*, *per* & *prae* permixta reperiuntur; adde notas nostras ad fab. XVII. de Socratis fabulis AEsopiis vid. Plutarchus de audiendis Poëtis c. VI. & Suidas in voce Σωκράτης. Ceterum de fabularum utilitate & Scriptoribus consule Abstemium in prooëmio fabularum suarum: Joachim. Camerarium in vita AEsopi: Caelium Rhodogin. Antiquar. Lection. XVIII. c. 7. Vossium Instit. Orat. IX. c. II. n. 3. Jo. Alb. Fabricium Biblioth. Gr. II. c. 9.

Poëmati suo Flaccus] *Poëmate* Voss. 4. *Flaaus* B. Col. 3. Flaccum autem Horatium intellige, & ne dubites, cum plures sint hoc nomine Poëtae (vid. Nic. Heinsius ad Valer. Flaccum initio:) inspice Sermon. II. 6. 77. Epist. I. I. 73. & 2. 42. 3. 18. 7. 29. 10. 34. 17. 50. Art. Poët. 139.

Jocorum communium] Minime ego editionibus Pulmannianis accedendum reor, qui *jocorum* prae se ferunt: Cum enim *locus communis* sit, qui argumentum pro veritate aut virtute contra omnia adferat, quid fabulis ea appellatione dignius, qui totum vitae ordinem vitiis opponunt? De loci vero communis definitione disputare operae hic loci non est. vid. Victorin. ad lib. II. Rhetor. Priscian. Progymn. Aliud genus locorum communium, qui genera velut virtutum vitiis opposita faciunt, quales a Cicerone editos auctor Quintilianus lib. II. c. I. cui erit convenientius, quam fabulis? Optime & his congruum, quod a Sulpicio Victore traditum est, locum communem esse illud *argumentum, quo summum bonum vel maximum crimen admirationem in sese aliquam ipsa novitate convertit.* Haec tuendae Aviani lectioni satis superque esse autumo. BARTHIUS Adversar. lib. XIX. c. 24. Fruatur hoc suo sensu Barthius, equidem conspirationem ac consensum codicum vetustorum atque editionum sequor. Solus Voss. 2. *locorum* habet idque editum reperitur a Neveleto & Lugdunensibus. *Joci communes* sunt comes, hilares, festivi, quos Cicero de Officiis lib. I. c. 29. *elegantes, urbanos, ingeniosos, facetos* dicit, atque a *petulantibus, flagitiosis, obscoenis* discernit. Quintilianus Inst. Orat. lib. VI. c. 3. *superbis, sal-*

argumenta contineant: quas Graecis jambis Babrius

falsis, lascivis, contumeliosis opponit. Hoc modo *animum communem & lenem* dixit Terentius Heaut. v. 1. 39. egregia sunt in hanc sententiam Suetonii verba in Claud. c. XXI. *Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos prolata sinistra pariter cum vulgo voce digitisque numeraret; ac saepe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, dominos identidem appellans, immissis interdum frigidis & arcessitis jocis.* Fabularum autem plurimus usus fuit in jocis, risu, lusu. Auctor ad Herenn. lib. I. c. 6. *Si defessi erunt audiendo; ab aliqua re, quae risum movere possit, exordiemur, ab apologo, a fabula verisimili, imitatione,* & quae plura in hoc genere persequitur auctor. Cicero de Inventione lib. I. c. 17. *Sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova aut ridicula incipere: aut ex tempore quae nata sit: quod genus strepitum, acclamationem: aut jam parata, quae vel apologum, vel fabulam, aut aliquam contineat irrisionem: aut si rei dignitas adimet jocandi facultatem.* Communes hos apologorum AEsopiorum jocos ita describit Gellius lib. II. c. 29. *AEsopus ille e Phrygia fabulator haud immerito sapiens existimatus, quum quae utilia monitu suasuque erant non severe, non imperiose praecepit, & censuit, ut Philosophis mos est, sed festivos delectabilesque apologos commentus, res salubriter ac prospicienter animadversas in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illecebra induit.* quare & Phaedrus fabulas suas *jocos fictos* nominat lib. III. Prol. & *jocorum genus* lib. IV. fab. 6. Martialis epigram. III. 20. 5.

An aemulatur improbi jocos Phaedri,

ut adeo dubitandum non sit, quin Cl. Burmannus vere vindicaverit hanc lectionem Phaedro lib. II. Prol.

Quicunque ergo fuerit narranti jocus.

Tibullus III. 4. 68.

Non est in vanum fabula ficta jocum.

inde & *jocari fabulis* Phaedrus lib. I. Prol. Ausonius epist. XVI. 19.

Suescat peritis fabulis
Simul jocari & discere.

Et tamen si haec expositio alicui minus placet, per me licet existimet, *communes jocos* hic dici eo sensu, quo apud auctorem Queroli, *Nemo*, inquit, *sibimet arbitretur dici, quod nos populo dicimus, neque propriam sibi caussam constituat communi ex joco.* nam & ita Phaedrus praefatur lib. III. ut fabulas suas communes esse ostendat,

Suspicione siquis errabit sua,
Et rapiet ad se quod erit commune omnium;
Stulte nudabit animi conscientiam.

Nec tamen deerunt forte, qui *communes jocos* hic vulgares, usitatos interpretabuntur, ut *communem sermonem* apud Petron. c. CXIII. & *communia verba* apud Auctorem vitae Virgilii, quem ego in plerisque Suetonium arbitror. adde porro Burman. ad Quintil. Institut. Orat. lib. II. c. 14. *jocus* autem & *locus* saepe confusa reperiuntur. vide Pierium ad Virgil. Georg. I. 182. Heins. ad Ovid. Fast. I. 299. & 396. Trist. I. 8. 34.

Argumenta] *Augmenta* Voss. 3. argumenta, id est historiam. Virgilius AEneid. VII. 789.

At laevem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam saetis obsita, jam bos

brius repetens, in duo volumina coartavit. Phaedrus

Argumentum ingens, & custos virginis Argus.

Ovidius Trist. v. I. 10.

Sumque argumenti conditor ipse mei.

Quas] Batavi *quae*, ut scias ad *argumenta* referri, sed praestat *fabulas* intelligi.

Graecis] *Graecus* Voss. I. sed illud malo.

Babrius] Ita scripti libri omnes praeter B. & M. in quibus *Brachius*. illos secutus est Pithoeus & qui hunc sequi solent, ut Melian, tametsi Maetaerio placuit *Gabrias*, quod Pulmanno est editum; aliter Vossio Institut. Orator. lib. II. c. 5. Neveleto in praefatione & Lambecio in Biblioth. Vindebonensi. *Babrias* autem editur Neveleto, Lugdunensi, Genevensi & Batavo. Junius de Coma c. x. addubitat *Babrias* an *Gabrias* dicendus. Mihi tamen *Babrius* probatur. Gruter. p. 167. n. 8.

POST. MIMESIUS. C. F. T. MIMESIUS. SERT. F. NER. CAPIDAS. C. F. RUF. NER. BABRIUS C. F. C. CAPIDAS.

Idem pag. 672. 9.

C. BABRI. RUFI
VIX. ANN.
XX
BABRIA. PRIMA
MATER. FIL.
B. M. F.

Fabrettus Inscript. c. 9. n. 298.

SER. SUETI. SCR. L. BAL.
P. BABRIUS. L. L.

In eodem lapide

. . BABRIUS. L. L.
P. SERVILIUS. M. L.

adstipulatur his Etymologici magni auctor. Suidas in voce *Babrius* Babriam & Babrium eum nominatum arguit, in quibus tamen locis versus ejus meminit, *Babrium* appellat. vide in Αμᾶν ἑκάστοτε, χαμειραία, κιγκίας. Sed metuo ne Suidas Babriam & Babrium confuderit, quorum uterque fabulas AEsopias scripsit tempore, metro, numero diversas. Ille prior fuit Aviano, atque, ut suspicor, Phaedro. Hic posterior. Ille jambis, hic Scazontibus, nam χωλιάμβων legendum apud Suidam in Βαβρίας & χορίαμβος dudum vidimus, & ante nos Lud. Kusterus monuit. Ille libris duobus, hic decem, nisi Suidae librarii fallunt. Nam tot volumina Babrium non reliquisse ex Aviano discimus, qui eum duobus voluminibus *coarctasse* fabulas testatur, quas Phaedrus in quinque libellos *resolvit*. Videtur & hos fabulatores confudisse Joannes Tzetzes, ita tamen ut diversum genus jambi probe animadverterit, quare lib. XII. v. 258.

ὥσπερ Βαβρίας γράφει
Ἐν μυθιάμβοις τοῖς χωλοῖς, οὐ τοῖς Ἰάμβοις λέγω.

ut Babrias scribit
In mythiambis claudis, non jambis dico.

Et v. 264.

Ἄκουον καὶ Βαβρίου δὲ τινῶν χωλῶν ἰάμβων.

Audi vero & Babriae aliquot claudos jambos.

Idem autem lib. XIII. v. 493. τοῦ Βαβρίου jambos ὀρθοὺς, ut Hephaestion nominat, citat. Ceterum omnia fere incerta feruntur de his Fabulatoribus, quibus & Gabriam adjungunt, cujus & Tzetzes meminit lib. VIII. v. 515. De illis autem cui nostra non placet sententia, is veriora quaerat ex iis, quae studiosissime, ut solet, collegit Vir Cl. Fabricius Biblioth. Graeca lib. II. c. 9. n. 7. Fabulatorum vero cum Graecorum, tum Romanorum & scripta & nomina misceri, alial-

drus etiam partem aliquam quinque in libellos resolvit. De his ergo ad quadraginta & duas in

aliasque fabulas ex aliorum libris, ad alios translatas ostendimus in Dissertatione nostra. Quam & erroris caussam opinamur, quo Suidas Fabulatoris, nescio cujus, versus Hexametros Babrio adscripsit in voce ἑταιρεία.

Coartavit] *Cohortavit* Voss. 3. an autem & hoc includere, coërcere notat a cohorte avium? Scio qui his inventis delectantur. Equidem autem barbaris saeculis *coharto* pro *coarto* scriptum reperi, & inde error. Vitalis Gallicus Blesensis

fato fatum sic explicat ut sors
Ipsa necessaria lege cohartet iter.

Solet autem Voss. 3. praeter consuetudinem voces adspirare, atque aliis adspirationem detrahere.

Phaedrus] In hanc scripturam libri omnes consentiunt, cum scripti tum editi, nisi quod B. M. *Phaedris*, Melian *Phoedrus*, manifesta scribentium incuria. ut adeo vix dubitandum, quin more Graecorum nominum in ρος Latine dictus fuerit Phaedrus & Phaeder, de quo more Dausq. in Orthogr. part. I. pag. 72. 73. & Vossius de Anal. lib. II. c. 5. Attamen Gudius unice τὸ *Phaeder* probavit ex duobus antiquis monumentis, quorum alterum est apud Gruterum p. MCII. n. 3. Sanctum Bartolum in *Antichi Sepolchri* pag. 104. alterum produxit Fabrettus Inscript. c. IV. n. 160. utrumque nuper dederunt Salvinius & Gorius in Inscriptionibus antiquis Etruriae p. 282. n. 14. & p. 413. n. 247.

Partem] *Parte* B. col. 3.

Libellos] *Libellis* Voss. 2. sed illud venustius.

De his] *Ad quae* Col. 3. nullo sensu.

Ergo] *Ego* quod non negligendum. Sed neutrum in Vossiano 2. comparet.

Ad quadraginta] Ita B. M. & Vossiani uno ore praeter Voss. I. in quo *usque ad quadraginta*: quae vocula occupavit etiam ceteros Codices, nec non Editionem Pulmanni, Neveleti: desideratur in Pithoeana anni 1590. additur in altera 1596. Reliqui Editores omiserunt. neque nos requirimus. At vero M. *ad* XLV. quem res ipsa refellit. Praepositio *ad* in numeris non semper circiter notat, de quo Graevius ad Sueton. in Caes. c. XX. Sed saepe numerum ipsum, quem exprimit, comprehendit. Curtius III. 3. 13. *Proximi ibant, quos Persae immortales vocant ad decem millia.* Fallitur qui circiter exponit ita, namque Herodotus de eo immortalium numero lib. VII. Ἐκαλέοντο δὲ ἀθάνατοι οἱ Πέρσαι, οὗτοι ἐπὶ τῶδε: Ἔστις αὐτέων ἐξέλιπε τὸν ἀριθμὸν ἢ θανάτῳ βιασθεὶς ἢ νόσῳ, ἄλλος ἀνὴρ ἀναίρητο: καὶ ἐγίνοντο οὐδαμὰ οὔτε πλεῦνες μυρίων, οὔτε ἐλάσσονες. *Vocabantur immortales hi Persae ob hoc, quod si quis eorum aut morte aut morbo numerum imminueret, alius sufficiebatur: nec unquam plures erant aut pauciores decem millibus.* eundem numerum definit Hesychius. Caesar Bello Gallico lib. I. c. 5. *Oppida sua omnia numero ad duodecim*, quae recte Graecus interpres vertit πάσας μὲν τὰς πόλεις δώδεκα οὔσας. Hinc vulgatae loquendi formulae *ad eam summam*, *ad numerum*. Cicero epist. famil. VII. 23. Caesar Bell. Gall. V. c. 20. *Caesar imperat obsides XL. frumentumque exercitui*,

in unum redactas fabulas edidi: quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus. Habes ergo opus, quo animum oblectes, ingenium exerceas, sollicitudines leves, totumque vivendi ordinem cautus agnoscas. Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere fecimus; ut pro singulorum necessitatibus vel ab ipsis animis sententia

Mandrubiatumque ad eos mittit. Illi imperata celeriter fecerunt: obsides ad numerum, frumentumque miserunt.

Dedi] Unus Voss. 1. sed a manu secunda *edidi*, quod receperunt Neveletus, Lugdun. Genev. Batav. non est, cur ab antiquis libris recedamus. Terentius Prol. Eunuch. v. 9.

Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.

Elegis] *Elegiis* in Pithoei editione secunda, quam sequitur Melian. sed Voss. 2. *elegico versu* ex glossa ut puto.

Explicare] Grande & difficile opus paucis tradere. Catullus ad Cornelium Nepotem

quum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis.

Oblectes] *Ablectes* B. M. perperam.

Sollicitudines] Hoc probatur scriptis omnibus, si a Voss. 3. & 4. discedas. probatur & Pithoeo & Pulmanno. reliqui *sollicitudinem*. parvi refert utrum praeferas.

Loqui vero] Τὸ *vero* delet Voss. 2.

Gemere] De hac voce prolixe in Dissertatione.

Ridere fecimus] Ita non tantum sequioris aevi scriptores sed & Latinissimi, Terentius Heautont. prol. 31.

Qui nuper fecit servo currenti in via
Decesse populum.

Cicero de optimo genere Orator. c. VI. *Quin ipsum Isocratem, quem divinus auctor Plato suum fere aequalem admirabiliter in Phaedro laudari fecit a Socrate.* Sedegitus apud Gellium Noct. Attic. XV. c. 25.

Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet
Nono loco esse facile facio Luscium.

Voss. 1. *facimus* hic legit. Idem ut & M. mox *singularum*. neutrum arridet.

Animis] Sensus hujus loci me fugit, an *exanimis* legendum? NEVEL. Omni procul dubio legendum *inanimis*. Inanima in his fabulis sententias proferunt fabula XI. olla aerea & lutea fab. XVI. quercus & arundo fab. XLI. nimbus & testa, BARTHIUS Adversar. lib. XIX. c. 24. Eadem olim mihi nata est conjectura, Cicero de Natura Deor. I. c. 14. *Sed rebus inanimis atque mutis per quandam significationem haec docet tributa nomina.* Nil tamen discrepant hic MSS. ne quidem editi, nisi quod Pithoeus in priore editione *mimis* vulgavit, in altera *minimis*, quod & inde in suam editionem transtulit Melian. Dicit autem *vel ab ipsis inanimis*, quia excusabilius feris, quae vocem habent, sermo tribui-

tia proferatur.

buitur, quam mutis & inanimis, a quibus forte abstinuit AEsopus; quod inde suspicor, quia Phaedrus in Praefatione jam professus sese AEsopum auctorem sequi, mox diligenter amolitur invidiam calumniae, quod arbores loquentes inducat, non tantum feras. Quae invidia utique nulla foret, si sapientissimi AEsopi exemplo sese tueri potuisset. Praeterea Scholiastes Apththonii eo in loco ubi fabularum differentias docet, non diserte fabulas inanimorum AEsopo dedit, οὐδὲ Αἴσωπος, inquit, τὺς ἐξ ἀλόγων ϗ λογικῶν μύθυς ἀνεπλάσατο. Scio hodie reperiri, rerum inanimarum fabulas in AEsopiis, sed nemo sapiens omnes eas AEsopi dixerit. & tamen non intercedo, quo minus quis subscribat Isidori sententiae Origin. lib. 1. c. 39. *Sunt autem fabulae aut AEsopicae aut Libysticae. AEsopicae sunt, cum animalia muta inter se sermocinasse finguntur, vel quae animam non habent, ut urbes, arbores, montes, petrae, flumina.* Quid si ita medeamur huic loco, *vel ab ipsis animi sententia proferatur?*



FLA-

FLAVII AVIANI FABULAE.

FABULA I.

Rustica & lupus.

Rustica deflenti parvo juraverat olim,

Ni

Rustica & lupus] Semel hoc animadvertendum, fabularum lemmata seu titulos in aliis MSS. deesse, in aliis autem aliter formari. Quae quidem res indicio est, hos titulos ab auctore fabularum profectos non esse. Idem de Phaedri titulis monuit Praschius ad lib. IV. fab. II. Et sane non in his tantum, sed in plerisque scriptoribus lemmata supposita sunt. Quare nos ea recepimus, quae fabularum sententiae optime convenire sunt visa.

Deflenti parvo] *Deflenti* supra modum flenti. Virgilius

Haec ubi deflevit corpus miserabile.

SCHOLIAST. versus hic est 59. AEn. XI. qui hoc modo in optimis hodie editionibus legitur

Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat.

frustra hunc versum in sententiam Aviani detorquet Scholiastes. Servius *deflevit* interpretatur *flendo dixit*, malo tamen flere desiit, flendo finem imposuit, ultimum flevit; de quo Gifan. Indice Lucret. in *Flere*, & sic forte AEn. VI. 220.

Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt.

& Apulej. Metam. II. pag. 38. *Ecce jam ultimum defletus atque conclamatus processerat mortuus.* & tamen recte hic Scholiastes *deflere, supra modum flere* exposuit, nam & sic Valerius Maximus VI. 2. 8. *Vidi cruentum Cn. Domitium Ahenobarbum deflentem, quod summo genere natus integerrimae vitae, amantissimus patriae in ipso juventutis flore, tuo jussu esset occisus.* Maximianus Eleg. I. 57.

Rusticus expertum deflet cessisse juvencum:
Cum quo consenuit miles honorat equum.

in hanc sententiam emendavit dudum Scaliger Propertium I. 16. 13.

Has inter gravius cogor deflere querelas
Supplicis a longis tristius excubiis.

ita *dequeri* vehementer queri, Valerius Flaccus V. 448.

Ante omnes secum dequesta labores.

Iscanus de Bello Trojano I. 292.

Haud secus exilium grata dequestus arena
Armenti princeps.

II. 72.

paucis ubi tracta diebus
Ocia dequestus cedit.

ubi vide Dresemium in notis. Ceterum in B. L. M. C. I. 2. Col. I. 2. *Deflentem parvum.* Editio antiqua pro *parvo* habet *puero*, idque fluidius existimat Neveletus. idem reperitur in editione

Ni taceat, rabido quod foret esca lupo.
Credulus hanc vocem lupus audiit, & manet ipsas
Pervi-

tione Batava, quae & pro *deflenti* dedit *ploranti*, utrumque, ut mihi persuadeo ex glossa. nam Scholiastes ad hunc locum *parvus*, inquit, *puer*, *ut majores dicuntur puberes*. Nos ergo & hunc & auctoritatem vetustorum Codicum sequimur, praesertim cum parvi aetas rei hic optime conveniat. *parvus* enim infantem tenellum notat, & pueritiae proximum, Prudentius Enchirid. 113. de pueris Bethlemensibus

Impius innumeris infantum caedibus hostis
Persurit Herodes, dum Christum quaerit in illis,
Fumant lacteolo parvorum sanguine cunae.

contra Symmachum I. 206.

Sacratumque domi lapidem consistere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem.
Mox humeris positus nutricis trivit & ipse
Impressis silicem labris, puerilia vota
Fudit.

peristephan. de Romano XIV. 663.

Amplexus unum de caterva infantium
Parvum, nec olim lacte depulsum.

Fabrettus Inscription. cap. III. n. 636.

NON POTUI PARVUS PUERILEM IMPLERE JUVENTAM,
NEC VESTIRE MEAM FLORE NOVO FACIEM.

Virgilius ecl. VIII. 37.

Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.

Quintilianus Instit. I. c. 3. *Ingenii signum in parvis praecipuum memoria.*

Rabido] *Rapido* Voss. I. & 4. Cortii tres & praeterea editio antiqua nec non Pulmanni & Neveleti, a quibus dissentio. non enim rapiditate, id est celeritate, lupi deterret mater puerum, sed rabie & crudelitate, Ovidius Art. III. 8.

rabidae tradis ovile lupae.

ubi vid. N. Heins. & Gebhardus in Crepund. II. 6. Virgilius Georg. II. 151.

Et rabidae tigres absunt & saeva leonum
Semina.

quo in loco Pierius, quod miror *rapidae* probare potuit, quod in nonnullis libris vetustis invenerat. scio Illustrem Heinsium ad Ovid. Heroid. X. 96. *rapidas feras* rapaces exponere, sed necdum persuasit. *rapidus* & *rabidus* ubique miscent in hoc scriptore libri, ut infra fab. VII. 8. XXIV. 16. XLII. 14. de aliis idem monet Cl. Drakenborch ad Sil. Ital. V. 451. adde Gifan. Indic. Lucret. in *vinctus*. Pier. ad Virgil. AEneid. VII. 443. Heins. ad Ovid. Art. II. 374. & Metam. I. 36.

Quod foret] Id est fore. fuerunt olim, qui hunc loquendi modum Latio excludendum censuerunt, sed intercedunt Vorstius de Latinitate falso suspecta c. XXIV. Cl. Perizonius ad Sanctii minervam lib. III. c. 40. n. 16. Cl. Duker de Latinit. veter. Jurisconsf. pag. 352.

Audiit] *Audit* Cortii tres & ed. ant. quae praeterea delet τὸ *&*. in editione altera Pithoei *adsit*, errore, ut credo, operarum. Barthius in membranis suis offendit versum hoc modo dispositum

Credulus has audit voces lupus.

sed auribus jucunda magis accidit lectio vulgata.

Irri-

Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam lassata puer nimiae dat membra quieti,
Spem

Irrita vota] Vana, ratum enim est, quod exitus probavit. SCHOLIAST.

Gerens] *Ferens* Vossian. I. 2. sed nihil muto, est enim hoc verbum ex eorum ordine, quae variis diversisque loquendi formulis aptari solent, quare saepius lapsi reperientur illi, qui stilo critico id confixerunt. *gerere votum* latinissime dicitur pro sustinere vota, sperando durare. congruit illud expositioni Varronis de L. L. lib. V. *Imperator dicitur res gerere. in eo neque agit neque facit, sed gerit, id est sustinet, translatum ab heis, qui onera gerunt, quod sustinent.* Sic *gerere famem* fabulator Anonymus a Neveleto editus fab. XV.

Vulpe gerente famem, corvum gerit arbor, & escam
Ore gerens corvus, vulpe loquente, silet.

Virgilius AEneid. IX. 311.

Ante annos animumque gerens curamque virilem.

pacem & bellum gerere, Sallustius Jug. c. L. Virgilius AEneid. VII. 443.

Cura tibi Divum effigies & templa tueri
Bella viri pacemque gerant.

Idem IX. 278.

Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus,
Seu pacem seu bella geram.

neque video, cur mutatum velint viri docti, quod Sallustius scripsit, Bello Jugurt. c. LIX. *Interim Romae gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus, ut seque & exercitum more majorum gereret.* ubi vid. Cl. Cortius. neque audiendus Casaubonus haec Suetonii loca sollicitans in Vespas. c. penult. *Annum gerens aetatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum.* in Domitian. c. I. *Pubertatis ac primae adolescentiae tempora tanta inopia, tantaque infamia gessisse fertur.* haud aliter *aetatem gerere* dixit Sulpicius in epistola ad Ciceronem, vide hujus famil. ep IV. 5. *Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario conjuncta aetatem gereret?* ex propositis exemplis paret, *aetatem geri* potissimum dici, quae aliquo incommodo gravis est, negandum tamen non est in rebus laetis & secundis usurpari.

Nimiae] Offendit vox ista *nimiae*, neque auxilium a libris. Editiones saltem *nimium* habent. NEVELETUS. Editio antiqua, qua ego sum usus, similiter *nimium* praeferebat. Mihi vero *nimiae* validius probatur: *nimiae* autem hic perquam multae notat, aut magnae. Lucretius VI. 1161.

Nec nimio quoiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam fervescere partem.

Thucydides, ex cujus historia hanc pestilentiam descripsit Poëta, ita habet; Καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα ὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν. *Et corporis quidem extremitas non erat admodum tactu calida.* & sic *nimio* pro multo frequentatum Plauto, vid. Lexicon Crit. Parei. inde in glossis *nimium* ἄγαν. *nimis* ἄγαν, πάνυ, κομιδῆ, σφόδρα, ἄγαν, λίαν. Sed quid aliena consectamur? Ipse auctor hoc sensu fab. IV. 8.

Et gelidus nimias depluit imber aquas.

v. 8.

nimio surgeret igne jubar.

porro hanc significationem *nimiae* persuadent verba, *dat membra quieti*, id est plane se permittit

Spem quoque raptori sustulit inde fames.
Hunc ubi Silvarum repetentem lustra suarum
Jejunum conjux sensit adesse lupa:
Cur, inquit, nullam refers de more rapinam,
Languida consumtis sed trahis ora genis?
Ne

tit, effuseque indulget quieti seu somno. Valerius Maxim. IX. 12. 7. extr. *At Pindarus cum in gymnasio super gremium pueri, quo unice delectabatur, capite posito quieti se dedisset.* Sic Terentius Eunuch. III. 3. 10.

ipsa accumbere mecum,
Mihi sese dare.

Suetonius in Caes. c. XXXI. *Convivio se frequenti dedit.* & forte simplicius ad verbum fere Aphthonius, qui Avianum studiose legit & sequitur, fab. XXXIX. ἐδεδώκει ἑαυτὸν ὕπνον. Glossator Barthii, vide Adversar. XXXIX. c. 7. legit *nimie*, & addit, quia diu fleverat, & notandum est *nimie* pro nimium.

Spem quoque] Edit. ant. *spemque.* pro *sustulit* Voss. 3. *subtulit.*

Inde] Id est deinde, porro.

Fames] B. Voss. 1. Lugdun. editor & Genev. *famis*, & monet Flavius Caper *fames* scribendum non *famis*, quae res arguit, ea aetate nonnullos perperam in hac voce *e* in *i* mutasse, id quod in verbis quam plurimis factum reperimus. adde Nicol. Heins. ad Prudent. in Cathemer. VII. 162. & maxime in Psychom. 479.

Repetentem] Edit. ant. *repentem.*

Jejunum] Cortii tres *jejunium.*

Conjux] *Conjunx* Cortii tres & praeterea Voss. 3. 4. & ita edidit Neveletus. diversissime haec vox scripta reperitur. vid. Manutius & Dausquius de Orthographia, id quod non scribentium errori, sed diversae saeculorum consuetudini tribuendum: de qua re forte alias prolixius. Romani posteriores in multis vocibus ante *c. g. s. x.* cognatasque his litteras *n* inseruerunt, in quibus eam prisci ignorarunt.

Sensit] *Sentit* Cortii 1. & 2. sed in hoc adscriptum postea *sensit.*

Refers] *Defers* C. 3. Col. 5. Voss. 3. 4. Cortii 1. 5. idque codicibus, quos consuluit, obtemperans edidit Pulmannus, a quo stat etiam Neveletus & Edit. ant. nec non Batav. Ceterae membranae atque Editiones manifeste *refers* ostentant: nisi quod hoc in Cortii 2. corruptum erat ab altera manu, quae *defers* reposuerat. In Voss. 1. tamen *referes* scriptum erat. Haec eorum Ludimagistrorum commenta existimo, qui versui metuebant, si *refers* legerent. Sed exemerunt hunc scrupulum viri docti complures: Scaliger ad Auson. Parent. IV. 10. & ad Manil. II. pag. 57. v. 10. Vinetus ad Auson. de sapientibus in Thal. v. 10. versus Ausonii hic est.

Missum ac remissum rursus ad
me referunt.

eum inquinarat similis librariorum inscitia *deferunt* legentium. adde Erythr. Indic. Virgil. in *Religio.* Isaacum Vossium ad Catullum carm. LXXVII. Broukh. ad Propertium III. 4. 18. Cl. Drakenborch ad Silium Ital. I. 309. producitur haec vox a Prudentio, si Weitzii libris fides, ex quibus ita edit in Psychom. v. 511.

Vincimur heu segnes nec nostra
potentia refert.
Vim solitam.

referre hic est iterum ostendere, mavult tamen N. Heinsius *perfert.*
Con-

Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
Vix miserum vacua delituisse fuga.

Nam

Constat de producta syllaba: de caussa, ambigi video, de qua olim diligentius inquiremus, cum Ennium hujus inventi auctorem ostendemus, primum illum, qui ausus Musarum scopulos Latinis reserare. Tertullianus de judicio Domini c. III. qui tamen licentius utitur metro

Assimilemque sibi jubeat resurgere formam.

& mox:

Resumtisque suis homines adstare figuris.

& c. IX.

Et fluvius siccas trepidus refugit arenas.

syllabam hanc produxit & Propertius II. 19. 41.

Miles depositis annosis recubat armis.

frustra hic legunt *secubat*. *recubare* enim dicuntur otiosi, non *secubare*. Et tamen non antiquorum librorum magis fide, quam auctoritate optimorum scriptorum vocem hanc Aviano reddimus, qui praedam, spolia aliaque *referri* ubique dixerunt Ovidius Heroid. XXI. 120.

Sicut ab Hippolite praeda relata tibi est.

Virgilius AEneid. IV. 93.

Egregiam vero laudem & spolia ampla refertis.

Martial. epigr. III. 58. 28.

Aut impeditam cassibus refert damam.

Ausonius epist. IV. 56.

domus omnis abundat
Littoreis dives spoliis; referuntur ab unda
Corroco, letalis trygon mollesque platessae.

Ovidius Remed. v. 158.

Et refer ad patrios bina tropaea Deos.

Prudentius Cathem. v. 103.

Qui de furente monstro
Pulchrum refert tropaeum.

Idem contra Symmachum I. 540.

Ergo triumphator latitanti ex hoste togatus,
Clara tropaea refert sine sanguine.

adde Cl. Duker. ad Flor. III. II. II.

De more] Cortii 3. *ex more*, atque ita edidit Pulmannus, inductus scriptura Codicum A. & N. utrum praeponam nescio. Virgilius AEneid. I. 318.

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum.

atque ita AEneid. III. 65. IV. 57. V. 96. VI. 39.
Ovidius Fastor. II. 361.

Cornipedi Fauno caesa de more capella.

sic Fast. VI. 121.
contra *ex more* Virgilius AEneid. V. 244.

Tum satus Anchisa cunctis ex more vocatis.

VIII. 185. Ovidius Metam. XIV. 156. glossae *ex more* *κατά τὸ ἔθος*, & sic in multis aliis dictis *de* & *ex* promiscue usurpantur. *de conspectu fugere* Phaedrus I. 17. alii *e conspectu*. idem III. 9. *e populo nescio quis*, alii *de populo* vid. infra fab. VII. II.

Deceptum fraude maligna] Nihil hic variant Codices, nisi quod *maligne* B. L. M. & *me miserum* pro *vix miserum* Cortii tertio adscriptum erat, tanquam varians lectio. Vix idoneum sensum in his perspicio. Barthius Adversar. XXXIX. c. 7. hunc versum

Vix miserum vacua delituisse fuga.

ex illo capiendum monet, quod Graecus fabulator, *ἐὰν ἔλθη ὁ λύκος δεῦρο, φονεύσομεν αὐτόν.* *si venerit lupus huc, occidemus eum.* Do hoc: sed *fuga* non placet. non enim fugit continuo lu-

Nam quae praeda, rogo, quae spes contingere posset,
Jurgia nutricis cum mihi verba darent.

Haec sibi dicta putet, seque hac sciat arte notari,

Fe-

lupus, sed mansit pervigil ante fores. quare lego

Ne mireris, ait, deceptus fraude maligna
Vix miser in vacua delitui usque via.

in via ad casam lupus nequicquam exspectans haesit. recte Scholiastes *vacuam* exponit *inanem rei speratae*: addo inanem praeda. Martialis I. epigr. 61.

Inter ampla licet torvi lepus ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat.

VI. 72.

Dum non vult vacua manu redire,
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

Plinius I. epist. 6. ubi de Venatione, *ut si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem.* Sidonius Apollinar. Carm. II. 42.

Lustra feris vacuant.

Consimiliter *vacuum lectum* dixit Propertius II. 2. 5. & III. 4. 33.

Nam, quae praeda, rogo] Haec verissima est nonnullorum MSS. nonnullarumque Editionum scriptura. Exponit namque caussam, cur sibi nulla praeda obtigerit in via. C. I. 2. Voss. I. Cort. 2. *Nam quae praeda rogas.* his accedit Editio Lugdunensis & Genevensis. Sed C. 3. Col. 3. P. A. Cort. I. 3. Editio ant. ita habent, *Namque rogas praedam.* contra B. L. *Nam quia praeda rogas.* his congruit M. nisi quod pro *quia* exhibet *qua.* at vero Vossii 2. & 3. *Nam quae praeda roga.* quod autem dicit *quae praeda, quae spes,* hoc illustratur his verbis Aphthonii fab. 39. Κενὸς δὲ ὁ λύκος ἀπεχώρει θήρας, τῆς τε παρούσης, καὶ τῆς ἀλλαχόθεν ἐλπιζομένης γενήσεσθαι. *Lupus vero & praeda praesenti caruit; & spe alterius aliunde parandae excidit.*

Posset] P. *possit.*

Haec sibi dicta putet] Editiones ambae Ionotius legunt

Haec sibi dicta putet, hac se sciat arte notari.

nisi quod Ulmensis *patat*, neque est quod impediat caesura (ut vocant) brevis usitata aliis & huic Aviano. NEVELETUS. Imo non ob caesuram tantum hic producitur posterior in *putet*, sed & ob adspirationem, quae sequitur, Pierius ad Virgil. ecl. II. 53. Reinesius Inscript. pag. 61. nec movent, quae contra haec disputat Vossius de Art. Gram. I. c. 16. & II. c. 15. Si non omnibus, saltem quibusdam ex veteribus *h* littera est visa. Terentianus Maurus de metris non caesurae hanc productionem brevis syllabae in medio pentametro imputat, sed legi perpetuae, de qua ita

Quidam, qui gemino constat de commate, versus
Cludere comma prius non timuere brevi.
Ut sit pentameter talis, qualem modo fingo
Hoc mihi tam grande munus habere datur.

nam ita scripsisse Terentianum arbitror. *putat* agnoscit quoque Edit. ant. ut & *ac* pro *hac.* Glossator, quem inspexit Barthius, *arte* interpretatur Apologo, atque ita quodque scriptum *Ars* appellabatur. Sic Servius *Artem* scripsit

Femineam quisquis credidit esse fidem.

de centum metris, atque inde Cledonii *Ars.* Cassiodorus de libro suo

Ars mea multorum es.

malo tamen *artem* hic accipere calliditatem obscure per fabulas & jocos notandi hominum mores. Aut enim ad eludendas jocis calumnias, ut scribit Phaedrus Prol. lib. III. aut ad figendos aculeos arte ac callide finguntur fabulae, consule porro Cl. Burmannum ad Phaedrum in epil. lib. II.

Femineam quisquis] Perelegans hoc quasi nulla unquam fuisset. non poterat melius dicere vel summus aliquis Poëta. BARTHIUS Adversar. XXXIX. c. 7. in Vossiano 3. est *Femineum*, quod non spernendum, si plures Codices addicerent. Haud quaquam enim ineleganter dictum videri potest ex imitatione Menandri apud Stobaeum Flor. tit. LXXXIII.

Ὡς ἐς' ἄπιςον ἡ γυναικεῖα φύσις.

Quam est infidum mulieris natura.

atque ita ex nostra castigatione fab. VIII. 7.

Turpe nimis gibbis se ridendumque videri.

convenit & hoc Virg. AEn. IV. 569.

varium & mutabile semper Femina.

cujus & hoc est Ecl. III. 80. *Triste lupus stabulis.* 82. *Dulce satis humor.* & Claudian. IV. Consulatu Honorii *Triste rigor nimius.* magis apposite Ovidius Art. III. 765.

Turpe jacens mulier.

At vero *femineam fidem* dixit Poëta, nescio quis, vide Scaligerum in Catal. Veter. Poëtar. pag. 209.

Crede ratem ventis, animum nec crede puellis.
Namque est feminea tutior unda fide.

porro Cort. 2. pro *quisquis* scriptum edit *siquis.* Edit. ant. *quisque.* Pro *credidit* Voss. 3. *credit*, quod tamen deinceps mutatum est in *credidit.* Equidem ut ceteros epilogos omnes, ita & hunc Aviani esse nego, nec convenit Aphthonii ἐπιμύθιον. vide hujus fabulam XXXIX. qui ceteroquin a sententia nostri discedere non solet. tu ea evolve quae de epilogis diximus in Dissertatione & ad fab. II. 15.

FABULA II.

Aquila & Testudo.

Pennatis avibus quondam testudo locuta est;
Si-

Pennatis avibus quondam testudo locuta est.] Versum hunc corruptissime exhibet Voss. 2.

Pennatus quondam testudo sicone locuta est.

Voss. 3. *testudo* delet. Voss. 1. & praeterea B. M. L. *Pinnatis* legunt. Sic mox v. 9. pro *pennis* habent *pinnis* M. Voss. 1. De hac scripturae diversitate Critici fere omnes monuerunt. Plerique Quintilianum lib. 1. c. 4. Inst. Orat. auctorem secuti *Pinnas* & *pennas* origine, scriptura, sensu inter se alienas tradunt: quibus non adsentior, sed de eo opportunior disputandi locus, ut puto,

Si quis eam volucrem constituisset humi;
Pro-

to, alias dabitur. *Locuta est* elegans hujus vocis usus in jactatione & magniloquentia. Tibullus II. 6. 11.

Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia verba fores.

ubi vid. Broukh. Catullus LXVI.

Alloquar? audierone unquam tua facta loquentem.

Propertius IV. 11. 30.

Afra Numantinos regna loquuntur avos.

Horatius Serm. I. 3. 13.

alebat saepe ducentos,
Saepe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens.

Martialis epigr. I. 62. 7.

Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

mox autem cum hoc verbo mutat *gloriari.* 11.

Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
Nec me tacebit, Bilbilis.

Virgilius Ecl. V. 27.

Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse Leones
Interitum, montesque feri silvaeque loquuntur.

Persius V. 7.

Grande locuturi.

Florus IV. 10. 7. *Ite & bene valete, Romani, merito vos Victores fama gentium loquitur.* vid. Cl. Burm. ad Petron. c. CXVII. ad Ovid. Heroid. XVII. 251. Construitur autem cum casu tertio pro, *apud aves*, similiter ut *jactare* Justinus XXIV. 5. *Nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos jactavit.* Et *Gloriari* apud Suetonium in Cal. c. XXXVIII. *Gloriatusque est expergefactae somno Caesoniae. Laudare,* Terent. Eun. V. 8. 23. *Mihi illam laudas.* Sed & cum simpliciter dicere notat aut narrare, hunc casum recipit, Coelius ad Ciceron. Fam. VIII. ep. 12. *Tum quidem aliquot amicis; qui testes erant meorum in illum meritorum, locutus sum.* ubi vid. Manut. Ovidius Heroid. XVI. 259.

Quae mihi non aliud, quam formidare, locutae,
Orantis medias deseruere preces.

Silius Ital. III. 288.

Indomitasque loqui & sedare Leonibus iras.

citat hunc Aviani versum Joannes Saresberiensis in Policrat. Prol. *Neque adeo excors sum, ut pro vero adstruam, quia*

Pennatis avibus quondam testudo locuta est.

Dubitavimus tamen, si forte scripserit Auctor

Pennatis avibus quondam testudo locavit.

Sed de hoc in Dissertatione.

Siquis eam.] Forte malit quispiam *si quae se.* sed invitis Codicibus nihil hic sollicitandum puto. Primo ex epicoenorum genere est; *in quibus*, ut scribit Quintilianus I. c. 4. *sexus uterque per alterum apparet* inter aves enim cum mares sunt, tum feminae, non autem his magis, quam illis locuta est testudo. tu vide quae dicta a nobis sunt infra ad fab. XXXIII. 1. an & huc pertinet, quod Jurisconsulti monuerunt, verbum hoc *si quis* tam masculos, quam feminas complecti? non puto. Sequuntur id fabulatores, quos edidit Cl. Nieland. vid. Fab. antiq. XLIX. 51. imo & infra fab. XIV.

Jupiter in toto quondam quaesiverat orbe,
Pignora natorum qui meliora daret.

qui dicit, tametsi cum hominibus pecora, feras atque animantia omnia citata accipimus. ad-

de Serv. ad Virg. ecl. III. 34. Dein & *quis* saepe feminine usurpatur, praesertim in Compositis. Terentius Eun. II. 3. 82.

Quandoquidem illarum neque te quisquam novit, neque scit, qui sies.

ubi Donatus. *Quisquam multis exemplis probatur etiam feminino genere veteres protulisse, ita ut in numeris & generibus haec pronomina infinita sint.* & Glossae Terentianae, *quivis* pro *quaevis*, *quisnam* pro *quaenam.* Ausonius Cupid. Crucif. v. 63.

se quisque absolvere gestit.

intelliguntur autem Heroides. Augustinus de Grammatica pag. 1993. *Antiqui quis genere communi dixerunt.* Quod attinet ad *eam.* saepe hoc cum pronomine reciproco confuderunt. vid. Sanct. Min. II. c. 12. atque ibi Cl. Perizon. Addatur Cl. Dukerus in Opusc. de Latin. Vet. Jurisc. pag. 323. Potissimum autem iis in locis relativum pro reciproco poni videas, in quibus hoc positum aliquid obscuritatis inducere possit, dubitationemque afferre ejus hominis, qui designetur: certe Cicero reprehenditur a Quintil. Inst. Orat. VII. c. 9. quod cum *sibi* dixisset, incertum reliquisset, ad quem referretur. Similiter hoc loco Avianus. si *se* scripserat, dubium fuisset *avis* an *testudo* intelligeretur. at vero *eam* cum dixit, obscuritatem omnem sustulit. eodem modo Suetonius de Illustr. Gramm. c. XVII. *Ab Augusto quoque nepotibus ejus Praeceptor electus.* si Grammaticis paruerat, scribendum fuit *suis*, sed hoc fugit, ne dubium faceret, Verrii nepotes an Augusti significentur.

Volucrem constituisset humi] Non capio illud *constituisset*, nam ante velut affixa est terrae testudo. Albinus [is est Commentator seu Scholiastes vetus] cum suo codice consentit, *destituisset* legens, idque exponit *humo removeret & sursum sublatam reduceret.* sed omnis difficultas tollitur *Volucrem* legendo, quod tamen est contra MSS. BARTHIUS Advers. XXIX. c. 7. Non tamen contra MSS. omnes, nam aperte id praeferunt B. M. receperunt dudum hanc lectionem, haud dubie in membranis suis inventam, editores, Lugdunensis, Genevensis & Batavus. in Voss. I. erat *volucri.* in reliquis *volucrum.* pro *constituisset* Voss. 3. *custinuisset.* Voss. 4. *custituisset.* C. 3. Voss. 2. Coitii & Col. omnes *destituisset* tuentur, idque expresserunt Ed. ant. Pulm. Pith. Nevelet. ceteri autem & scripti & editi *constituisset.* τὸ *humi* sola Ed. ant. mutat in *humo*, id quod tamen etiam videtur Scholiastes antiquus probasse. Confundi in libris antiquis *humi* & *humo* docuerunt Carrion & Heins. ad Valer. Flacc. I. 710. ulcus hic esse & vetus & grave cum ex Scholiaste suspicamur atque ex varietate scripturae, tum ex re ipsa intelligimus. neque enim aut *constituisset* aut *destituisset humi* commodam sententiam recipiunt, ne quidem si *destituisset* exponas in eam sententiam, qua accepit Scholiastes, homo, ut mihi quidem videtur, non prorsus indoctus, pro sursum sublatam rursus in terra collocare, de qua significatione vid. Nonius & Cujac. Observ. x. 24. Quare ex vestigiis veterum Codicum legendum puto

Si quis eam volucrem conripuisset humo.

Sic enim nonnulli veterum *conripio* scribebant. Pier. ad Virg. Georg. III. 103. ad verbum Babrias, seu is quem hoc nomine edidit Nevelet. fab. VIII.

Ὕψυ δὲ ταύτην αἰετὸς συναρπάσας.

Alte vero ipsam aquila corripiens.

Corripere autem significat celeriter

Protinus e rubris conchas proferret arenis,
Quis pretium nitido cortice bacca daret.

In-

ter tollere. vid. Serv. ad Virg. AEn. IX. 502. atque de omnibus iis dicitur, quae vi atque impetu aliquid invadunt rapiuntque. de ventis Lucretius I. 293.

trudunt res ante ruuntque
Impetibus crebris; interdum vertice torto
Corripiunt, rapidoque rotanti turbine portant.

Virgilius AEn. I. 45.

Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

de lupo Phaedrus I. I. de serpente idem I. 2. ubi vid. Gudius & Cl. Draekenb. ad Sil. VI. 198. eodem sensu *rapere* dixit Virgilius de aquila AEn. XII. 247.

cum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit armiger uncis.

recte ergo emendat Cl. Burman. Valer. Flacc. I. 57.

Et validis fixam eripit unguibus agnam.

Prudentius Cathem. IV. 63.

Suspensum rapit & vehit per auras.

Sed tamen Barthius mox ad v. 7. omnia liquida fore pollicetur, si versus hi ita distinguantur

Pennatis avibus quondam testudo locuta est,
Si quis eam uolucrem constituisset; humi
Protinus e rubris conchas proferret arenis,

rationem addit vir doctus hanc; pollicetur enim avibus, quae ipsae adsequi non poterant, thesauros maris in terram prolaturam. credat huic qui volet, non ego.

Protinus e rubris.] *Rubri* M. *rubris* Cort. I. *rubis* 2. sed supra scriptum *rubris*: quae verissima est lectio. margaritas autem omnium praestantissimas promisit testudo, quae sunt maris rubri. Plinius IX. 35. *Praecipuae autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri.* AElianus de Animal. lib. XV. c. 8. Ἄριστος δ' ἄρα ὁ Ἰνδικὸς γίνεται, καὶ ὁ τῆς θαλάττης τῆς Ἐρυθρᾶς. *Optima est Indica & maris rubri.* Adde l. XIX. § 18. D. de auro arg. Hieron. ad Principiam *Rubri maris pretiosissima grana suspendere.* Claud. Epist. ad Seren. v. 14.

Ore legunt rubri germina cara maris.

& laud. Serenae v. 4.

& rubro radiare mari.

de 3. Cons. Honor. in fin.

Vobis rubra dabunt pretiosas aequora conchas.

ut autem hic *arenas rubras* dixit Avianus, sic *rubra littora* Seneca Thyest. v. 370. Claudianus epigr. de Sene Veronensi. v. 18. & Prudentius Cathem. v. 60. *Proferret* ponitur pro prolaturum esse, sive quia particula *quod* intelligitur, sive *ut*, quae pro *quod* saepe ponitur. vid. ad fab. III. in fin.

Arenis] *Arenas* Voss. I.

Quis] Sic in lapide apud Gruter. pag. 748. n. 7.

NUMINA NUNC INFERNA PRECOR PATRI DATE LUCOS,
QUIS EST PURPUREUS PERPETUUSQUE DIES.

adde Augustinum de Grammatica pag. 1992. edit. Putsch. & Broukh. ad Propert. II. 10. 47.

Nitido cortice bacca] *Bacca* est margarita, quae in conchis Indicis reperitur, aut ad mare rubrum SCHOLIASTES. Adde Scholiasten Horatii Epod. VIII. I. 14. Serm. II. I. 241. Scholiasten Persii II. 66. Gronovium Observ. II. c. 21. pag. 394. in constructione haec conjungenda *bacca nitido cortice.* Gruterus in Thesauro Inscript. LIX. 2. ANULUM AUR. GEMMA MELIORE. in Voss. 3. & Cort. 2. *Bacha*, sed correctum

bacca.

5 Indignans sibimet, tardo quod sedula gressu
Nil

bacca. illud servat Edit. antiq. *bacas* & *bagas* alibi scriptum invenit Gifanius Indic. Lucret. in *vestis.* dandum hoc diverso saeculorum genio, diversaeque pronunciationi; sic *Arcadius*, *Archadius*; *Arcanus Archanus*, de quo infra fab. XV. 8. Geminationes etiam litterarum non omnium sunt saeculorum, ut nec omnium hominum: ut autem *baca* & *bacca* eodem sensu, sic & *bacar* & *baccar*, utrumque enim in codicibus Festi antiquis reperi. quare falluntur, qui illa distinguunt, vid. Drakenborch. ad Sil. Ital. VIII. 134. Sic *bucina buccina*; *bucula* & *buccula* scriptura discrepant, non sententia. commendat baccam ex *nitido cortice* Avianus, quod in *niveo* non est mutandum, tametsi Horatius Serm. I. 2. 80. *niveos lapillos* laudat. nitor est cujusque coloris vibrans splendor & fulgor, & potissimum in candore usurpatur, Germanicus Arat. in Andromeda.

Sic magnis humeris candet nitor.

Scaliger Catal. pag. 248.

tibi primum candidus aether
Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.

Sed praecipue huc pertinet illud Maecenatis de Horatio, quod descripsit idem Scaliger Catal. 195. qui ita sunt legendi

Lugent, o mea vita, te smaragdus,
Berillus quoque, Flacce; nec nitent, ut
Nuper, candida in margarita. quaero
Nec, quos Thynica lima perpolivit,
Anellos, nec Jaspios lapillos.

Priscian. Perieges. v. 1018.

Scrutantur ripis alii torrentibus imbri
Berylli gemmas glauci, nitidumque adamanta
Atque aura viridi legitur quae splendet Iaspis.

inde *baccarum fulgura*, Sidonius Apollin. Carm. II. 83.

depressaque lumine vultus
Nigrescunt vincto baccarum fulgura collo.

Candidus autem hic nitor pretium conciliabat unionibus. Plinius, IX. 35. *Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere.* adde AElianum de Animal. X. 13.

Indignans] *Indignum* C. I. 2. M. Voss. I. 3. nullo certe non bono sensu.

Tardo quod.] *Quod tardo.* Cort. 3.

Sedula.] *Sedulus* utique a sede appellatur, quomodo etiam *assiduus*, cum qui sedeat rem attentius extricare posse videatur. eam etymologiam in testudine alludere Avianum vetus magister docet hoc versu. BARTHIUS Advers. XXIX. c. 7. Hanc sententiam de origine hujus vocabuli *sedulus* deinceps sua, qua in hoc doctrinarum genere polluit, auctoritate confirmavit Vossius in Etymologico, mihi tamen probabilior visa est plerorumque veterum Grammaticorum sententia, qui a *se*, id est *sine*, & *dolo* dictum opinantur. Servius ad Virg. AEneid. II. 374. *Segnis autem est proprie frigidus, sine igne, ut securus sine cura; sedulus sine dolo.* Donatus ad Terent. Andr. IV. 2. 56. *Sedulo id est ex animo & sine dolo.* atque iterum Eun. I. I. 58. *Sedulo sine dolo, hoc est impense.* & Adelph. I. I. 25. Acron. ad Horat. I. epist. 13. 5. qui & idem videtur docuisse ad Terentium. vid. Sosipater Charis. pag. 173 & 194. neque aliter de etymo hujus verbi sentiunt Nonius aliique Grammatici. caussa dicti nata est ex Jurisconsultorum cautionibus, quas doli clausulas, exceptiones, sti-

Nil ageret, toto perficeretque die.

Ast

stipulationes vocarunt. non una autem fuit earum formula. vid. Brissonius de Formulis lib. VI. pag. 571. vulgatissima autem fuit ea, ut subjiceretur stipulationi, pacto aut contractui, sine dolo & fraude rem actam esse, qua clausula dolum abesse jubebant, ut est in alia formula l. 121. D. de verb. oblig. quae & in monumentis compluribus his notis significatur H. M. D. M. A. de illa constat ex Festo an Paullo in *Doli, unde adhuc dicimus sine dolo malo.* at vero antiquiores *se* & *sed* pro sine dixerunt, idem in *secordia*, inde & scripserat forte Festus, *se dolo id est sine dolo*, quod mutatum, ut pleraque antiqua, a Paullo. Formula haud dissimili certe eadem sententia SED FRAUDE in vetusto monumento, quod citat Scaliger ad Excerpta Festi in *Sed.* & Gruterus pag 203 & 509. quare & in glossis *sedulo* ἀδόλως, atque inde in cautionibus & stipulationibus Graecis ἉΠΛΩΣ ΚΑἸ ἈΔΌΛΩΣ. Gruter. Inscr. pag. 515. Scite profecto Comicus hoc forense verbum Jurisconsulto tribuit in Phormione II. 4. 13. *Ego sedulo hunc dixisse credo*, ubi sane nil aliud notat, quam sine dolo: inde & vox frequens in syngraphis & pactis in vulgus abiit, ut in affirmationibus omnibus adhiberetur. Terent. Eun. I. 2. 58. *Sedulo ait, ... velle se illam mihi dare.* & Plaut. Capt. IV. 2. 106.

Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo.

id est sine dolo, arte, fallacia, sed sincere, ex animo atque optima fide. quae autem eo animo fiunt, ea solent diligenter, industrie fieri, dum nullus dolus studium remoratur, inde *sedulo* pro diligenter & studiose, largiter ponitur, non alia sane ratione ac *sine fraude*, in Ityphallico v. an & sic Horatius Carmine saeculari XLI.

Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus AEneas patriae superstes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis.

Scioppius etiam ex Ityphallico LXXXIII. in eum sensum exponit

Tuas sine arte deligavimus comas.

pertinent & huc *cum fide bona*, *optima fide*, *fideliter* quid agere. Terent. Adelph. V. 9. 7.

Res apparet & quidem haec porro, obsonare cum fide,
Scortum adducere, apparare de die convivium.

haec autem *cum fide* respondent τῷ *sedulo*, dixerat enim Syrus

Ego istos vobis usque a pueris curavi sedulo,
Docui, monui, bene praecepi semper, quae potui omnia.

de reliquis vide quae notata Cl. Dukero ad Florum II. I. I. & III. 5. 13. atque ita *ex animo*. Ovidius Amor. II. 5. 51.

Risit & ex animo dedit osculа, qualia possent
Excutere irato tela trisulca Jovi.

ut Petronius c. cx. *bona fide basium dare*, harum autem locutionum eadem est natura, eademque translationis ratio, quam non perspexit Sosipater pag. 173 & 174. *Sedula* autem testudo dicitur non a sedendo, neque enim sedet, sed repit & quantum potest, sese agit, sed quia tardo gressu est, nil proficit, eodem modo ut apud Terentium Davus Andr. IV. 1. 55.

Parum succedit, quod ago: at facio sedulo.

aut nutrix, quae cum sedulo se moveret, nihil tamen promovebat, de qua Eun. V. 3. 4. ubi Donatus *promoves* exponit *proficis.*

Nil ageret.] Deest hic versus in

Ast ubi promissis aquilam fallacibus implet,
Experta est similem perfida lingua fidem.
Et male mercatis dum quaerit sidera pennis,
Oc-

in B. pro *toto* Edit. ant. *totoque*.

Perficeretque] Ita C. I. 2. Col. I. 2. 3. M. L. Voss. 2. 4. Corr. I. 2. 3. editum id quoque a Pulm. ex N. Pith. Neveleto, Lugd. Genev. Bat. adeoque haec major pars, cui refragari nolui, si tamen fatendum est, quod animus fert, malo *proficeret*. quanquam enim illa sedula est, nil tamen proficit, ut adeo non absimilis sit testudo nutrici Terentianae, de qua modo dixi.

Implet] Hoc est inflat, & ita dixit Horatius [Serm. II. 5. 96.]

Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

SCHOLIASTES. Petron. c. CXV. *Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete.* vid. Barth. ad Claudian. de Consul. Mallii 101. atque ita Albinov. ad Liviam 23.

Gradivumque patrem donis implere parabas.

& 383.

Quod spes implerunt, maternaque vota Nerones.

Plinius I. ep. 10. *Atque utinam sic ipse quam spem tunc ille de me concepit impleverim.* Uterque hac voce delectatus videtur, illum consule, v. 285. 449. Hunc I. ep. 20. II. ep. I. & 14. III. ep. 14. Dictio est elegans, nec sine caussa Barthius hos versus perelegantes affirmat.

Experta est] Τὸ *est* delet Ed. ant. & pro *perfida* reponit *provida*, utrumque per errorem.

Fidem] Intellige perfidiam, quare in formulis *bona fides*, nam malam fidem Cornelius Nepos dixit in Datam. c. VI. *Pisidae nova re commoti in opinionem adducuntur, perfugas mala fide compositoque fecisse*. & sic Phaedrus fab. I. 16. ex emendatione nostra.

Non rem expedire, at se mala fide expetit. & simpliciter *fides* pro perfidia. Terentius Adelph. IV. 4. 12.

Satis diu verba dedisti; sat adhuc tua nos frustrata est fides.

per ironiam putat dici haec Vossius ad Valer. Argon. I. 244. quod non puto. namque & ita *ulcisci fidem* dixit Florus I. c. I. Cicero Fam. I. ep. 9. *Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo, eam fidem cognosse hominum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram.* hoc porro significatu in proverbium abiit, *Graeca fides*, *Punica fides*; hanc dixit Sallustius Jug. c. XVI. quam Florus *perfidiam Punicam & fraudem* nominat. II. c. 2. n. II. & 2. c. 6. n. 13. & 36. Graecorum autem fallaciam & levitatem in multis locis perstringit Cicero. Juvenalis X. 174. *mendacem Graeciam* dicit, non est ergo, cur arguteturBarth. ad Rutil I. 361.

Male mercatis dum quaerit] *Male*, si ad mercatis refers, expono care & pretio nimio emtis ex Terent. Eun. IV. 4. 2. atque ita Donatus *male conciliate*: adde Burm. ad Ovid. Amor. I. 8. 44. Et sane volatus hic magno constitit testudini, dum vitam eripuit. si ad τὸ *quaerit* adjungas notat infeliciter. Ovidius Trist. III. I. 7.

Id quoque, quod viridi quondam male lusit in aevo,
Heu nimium sero damnat & odit opus.

Mercatus passive dixit antique: Propertius IV. 5. 32.

Postmodo mercata pace tremendus erit.

Vossius 2. legit *quaerit dum.*

Oc-

Occidit infelix alitis ungue fero.

Tum

Occidit infelix alitis ungue fero] Ea est etiam Palatini Codicis lectio, utrum vera, facit ut dubitem Editio prisca, quae hunc versum sic exprimit

Decidit infelix alitis ab ungue feroci.

a qua facit Ulmensis, nisi quod *occidit* legit, an legendum erit,

Decidit infelix alitis ungue fero

AEsopus siquidem [fab. LXI.] quem sibi materiae ducem elegit noster, non in *sublimes* mortuam *auras* ait, sed in saxa ab aquila dejectam collisamque, cujus haec sunt verba: *Λαβὼν οὖν ταύτην τοῖς ὄνυξι, καὶ εἰς ὕψος ἀνενεγκὼν εἶτ᾽ ἀφῆκεν, ἡ δὲ κατὰ πετρῶν πεσοῦσα συνετρίβη.* neque alias potis est aquila corneam testudinis domum effringere, ideo aquilae *τὰς χερσαίας χελώνας συλλαβόντες, εἶτα ἄνωθεν προσήῤῥαξαν ταῖς πέτραις: καὶ τὸ χελώνιον συντρίψαντες, οὕτω ἐξαιροῦσι τὴν σάρκα καὶ ἐσθίουσι.* ut AElian. libro *περὶ ζώων ἰδιοτ.* VII. c. 16. inde est fabula Phaedro XXXVII. petita. NEVELETUS. *Decidit* legitur etiam in Cortii I. in reliquis maxima est discrepantia, pro *ungue*, *ungui* B. *ab ungue* Ed. ant. pro *fero*, *ferro*. *feri* Voss. I. sed a manu secunda *fera* Voss. 3. *ferae*. Pulm. ex N. & Nevelet. *feroci*, Edit. antiq. denique pro *ungue fero*. Voss. 2. habet *unguifero*. sed genuinam lectionem puto, quam nonnulli exhibuerunt

Occidit infelix alitis ungue fero.

nisi mavis ex vestigiis MSS. legere

Occidit infelix ales ab ungue fero.

hoc pacto ales infelix dicetur testudo, quod pennas & volatum mercata vitam perdidit. occidere autem ungue vel ab ungue dicitur, ut Valerius Max. V. 6. I. extr. *hostili manu occidisset*. similiter Justinus IX. 8. 3. *ferro perire*. Suetonius in Cal. c. ult. praepositionem addit, & in Othon. c. V. *Nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus, caderet*. Ovidius Metam. XIII. 597.

primisque sub annis
Occidit a forti (sic vos voluistis) Achille.

Sic *periit ab illo* frequens est. Porro unguem ferum dixit Cicero in Mario de aquila

Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem.

& *saevos ungues* Phaedrus I. 31. Si quis tamen malit *ferae*, non intercedo. Seneca OEdip. 102.

Ac triste carmen alitis solvi ferae.

Neque movent me ea, quae adferuntur a Neveleto ex fabula, ut dicit, AEsopi, atque ex AEliano, ut ostendat, non videri ab unguibus periisse testudinem, sed lapsu in petram. Nam primo quis affirmabit, eam fabulam ab ipso AEsopo esse confictam? deinde Avianus & fabularum scriptores omnes ita materiae suae ducem AEsopum sequuntur, ut haud raro in semitam divertant, atque in rebus, imo & in personis, nonnulla mutent: exemplo potest esse ipsa haec fabula, AEsopus, ut creditur, finxit, testudinem orasse aquilam, *ἵπτασθαι διδάξαι*, *ut doceret volare*, quod non sequutus Pseudo-Babrius, neque etiam Avianus. AElianus vero de terrestribus testudinibus loquitur; *χερσαίας χελώνας* appellat, marina autem fuit, quae uniones maris rubri prolatura fuisse fingitur quae si forte eodem modo in escam super scopulo conteri debuit, tamen cum aquis adsueta est, celerem & diu-

Tum quoque ſublimis, quum jam moreretur, in auras
Ingemuit, votis haec licuiſſe ſuis.
Atque ait: exoſae poſt haec documenta quietis
Non ſine ſupremo magna labore peti.

Sic,

diuturniorem motum, unguibus aquilae per aerem inuſitatum ſibi elementum raptata, non ſuſtinuit ac periit. verum age tandem uſque adeo vitalis ſpiritus meatus omnes in teſtudine undequaque munitos praecluſosque dicemus, ut, qua penetrent validiſſimi acutiſſimique aquilarum ungues, rima nulla ſit? habet ſane vipera, quo congreſſa cum teſtudine in terra eam extinguat. vid. AElian. VI. 12. & puto occidi ab aquila haud difficulter poſſe teſtudinem, ad eviſcerandam tamen nihil expeditius illi eſſe, quam dejicere in ſcopulos.

Tum quoque ſublimis cum jam moreretur, in auras] Vix video, quomodo Latine dici poſſit, *ſublimes in auras mori.* Sed cum ſcirem, exigendam minime a recentioris aevi ſcriptoribus locutionis rationem, locum hunc intactum praeteriiſſem, niſi editiones oblata lectione, a vulgata diverſa, remoratae fuiſſent. Ambae enim legunt

Tunc quoque ſublimis cum jam veheretur in aſtris.

quae priorem noſtram conjecturam fulciunt. NEVELETUS. Noſtrum quidem judicium expoſuimus in Diſſertatione, ubi vide. Quanquam vero non probo hic Neveleti ſententiam, non tamen ob id aut verſuum ordinem, aut dicta omnia, quae vulgatas editiones occuparunt, collaudo. imo ſcripturae varietas de vitio & mendo arguit. in v. 11. pro *tum*, *tunc* habent Voſſ. 2. P. Cort. 2. Ed. ant. Burm. & duae Neveleti. illud *cum jam* convertit Ed. ant. in *jam cum*; dein pro *moreretur*, *veheretur* Ed. ant. Burm. & eae, quibus uſus eſt Neveletus. *Auras* retinet pars maxima vetuſtorum Codd. ſed *aura* erat in Voſſ. 1. Batavi ſoli ediderunt *auris.* ſed editio antiqua Burm. & duae Neveleti *aſtris* legunt. at vero in verſu 12. nil variatur, niſi quod Voſſ. 2. *collicuiſſe*, Voſſ. 4. *hoc licuiſſe* exhibent, quod hodie legitur *haec licuiſſe.* Arbitror autem, Avianum hoc modo ſcripſiſſe,

Tum quoque ſublimis cum jam moreretur, in auras
Ingemuit, votis haec licuiſſe ſuis.
Atque ait: exoſus poſt haec documenta quietis
Non ſine ſupremo magna dolore peti.

Non libet ſingulorum hic elegantiam enarrare. *In auras ingemere* notat fruſtra ingemiſcere atque iſtic, ubi nemo audit. Ovidius Metam. XII. 469.

Verbaque tot fudit vacuas animoſus in auras.

paſſim Poëtis *in auras* fieri dicuntur, quae irrito conatu fiunt. Si quis liber *libuiſſe* pro *licuiſſe* adduceret, non improbarem. Non nego *exoſus* ut & *peroſus* uſitatius cum quarto caſu conſtrui. vid. Erythraeus indice Virgil. ſed non auſus ſum recedere ab antiquis codicibus, ſoli Col. 1. 2. 3. & C. 1. 2. 3. nec non L. & B. *quieti* habent, ſectatoreſque invenerunt Pulmannum, Neveletum & Pithoeum; reliqui *quietis.* Fraudi

fuit

SIc, quicunque nova sublatus laude tumescit,
Dat meritò poenas, dum meliora cupit.

fuit librariis & magistris usus activus vocis *exosus*, diversus ipsorum saeculo, quo passive usurpabatur, unde in glossis *exosus* μεμισημεν☉. non abhorruisse autem *exosus* a casu secundo intelligimus ex Servio ad Virg. AEn. VI. 435. ubi de voce *perosus*, quae ejusdem naturae est, scribit, figurate eam cum accusativo construi, si quidem *perosi illius* dicatur. eadem videtur sensisse Donatus pag. 1749. in Grammaticis Putschio editis, cum *exosus bella* & *praescius futura* figurate dici monet. *Supremum laborem* dixit Avianus mortiferum periculum, malum, incommodum. ita *supremam maciem*, Virgilius AEn. III. 590. *supremum iter*, Horatius I. 17. 11. *Ultimum laborem*, Virgilius AEneid. II. 473. ut *ultimum vulnus*, Florus II. 6. 15. *Ultimi metus*, II. 6. 43. adde Festum in *Supremus*. de voce *Labor*, Philargyr. ad Virgil. Crediderim autem obversata esse animo Poëtae nostri, cum haec scriberet, illa Virgilii AEneid. II. II.

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros
Et breviter Trojae supremum audire laborem:
Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit;
Incipiam.

Pete autem dicit verbo directo, ut solent imprecantes & suprema ordinantes, ut in testamentis, unde & suspicatus sum aliquando Phaedrum scripsisse fab. I. 9.

Lepus semianimis mortis in solatio:
Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querela fata deplora tua.

Inepte Cort. 3.

Non sine labore magno suprema peti.

& Voss. 2. pro *peti*, *pati*.

Sic quicunque nova] Nemo credo hunc epilogum desiderabit, post restitutum a nobis priori disticho sensum, quod elegantissimum ἐπιμύθιον complectitur, & quidem tale, post quod hoc novum plane languet & frigescit. Existimo itaque non hoc auctoris esse, sed magistri alicujus, a quo hominum genere plura ἐπιμύθια huic Scriptori adjecta sunt, quod existimarent, fabulam sine iis non constare. Et ut verum fatear, nescio, quae verborum in his sit fatuitas. Equidem hoc distichon aliis literis a reliquis versibus, quos germanos puto, distinctum notavi, id quod deinceps in ceteris faciam, quae suspecta videbuntur. Quod neminem aegre laturum puto, dum cogitarit ea re non aliud nos spectare, quam ut nostram opinionem de iis versibus declaremus, laudaturi magnopere eos, qui nostro posthabito, suo sensu frui malent. B. & L. non *sublatus* sed *sublatis* ostendunt. Cort. 2. *sublatos*.

Tumescit] *Timescit* C. 3. Col. 3.

Dat.] *Fert* Ed. ant.

Dum meliora cupit] *Magna labore peti*, Cort. I. sed vulgata lectio adscripta est. pro *cupit*, *trahit*, Cort. 2. *petit*, Batav. Scholiastes vetus haec verba ita interpretatur, *dum sortem suam votis egreditur.* quae dictorum elegantia longe praefero illis, quae plebejum, & si quid plebejo vilius est, sapiunt. De voce *meliore* alias dicemus, ad fab. XI. Quis ulli mortalium poenas unquam meruisse est visus cupiendo meliora, nisi inepto alicui & semibarbaro magistello. forte tamen & hic menda insedit, in qua eluenda equidem operam nunc insumere nolim.

FA-

FABULA III.

Cancer & mater.

Curva retrocedens quum fert veſtigia cancer,
Hiſpida ſaxoſis terga reliſit aquis.
Hunc genitrix facili cupiens procedere greſſu,
Talibus alloquiis praemonuiſſe datur.
Ne tibi tranſverſo placeant haec devia, nate,
Rur-

Quum] *Dum* Voſſ. 1. Cort. 1. Ed. ant.

Hiſpida] Id eſt aſpera. Claudianus rapt. Proſerp. I. 70.

Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali,
Hiſpidus, & Getica concretus grandine pennas.

Sidonius Apollin. Carm. XXIII. 51.

Non te foſſa patens, nec hiſpidarum
Objectu ſudium coronat agger.

Terga reliſit] Cecidit & petrae illiſus eſt. SCHOLIASTES. *Releſit* B. L. M. forte legendum *tergora laeſit*. Plinius IX. 30. *Similiter cancri, qui eodem tempore occultantur, & ambo veris principio ſenectutem anguium more exuunt, renovatione tergorum.* eſt autem *laedere* vulnerare, rumpere. Virgilius AEneid. II. 231.

ſacrum qui cuſpide robur
Laeſerat, & tergo ſceleratam intorſerit haſtam.

vel allidere Lucretius V. 998.

nec turbida ponti
AEquora laedebant naves ad ſaxa viroſque.

Genitrix.] *Genetrix* B. L. illud ratio poſtulat, ſed hoc uſus non reſpuit. vid. Manut. Dauſq. & Schurtzfl. de Orthogr.

Cupiens] Batavi *non vult* ediderunt. in Cort. 1. 3. ut & in Edit. ant. *cupiens facili*, verum noſtris auribus alterum ſuavius ſonat.

Procedere.] *Praecedere.* Col. 1. 2. 3. C. 1. 2. 3. ſic Cortii tres, Pulm. Pith. mihi illud magis placet, neque enim filium ut praecedat monet, ſed ut facili greſſu & inoffenſo pede procedat. *pro*, *prae*, *per* ubique inter ſe confuſa reperiuntur, ut alibi obſervavimus. *Greſſu* in *greſſum* mutant B. L. haud plane nullo ſenſu, ſi & *facilem* legatur, ſequor tamen plurimorum conſenſum.

Praemonuiſſe] *Semonuiſſe* Voſſ. 2. male.

Datur] Notatur atque ſcribitur, aut recitatur, ut (Virg. Ecl. I. 19.)

Da Tityre nobis.

ita accipere ſumimus pro audire. SCHOLIASTES. Gemina his ſunt, quae monet Servius ad illum Virgilii verſum, & AEn. VI. 66. pluraque alia exempla ſuppeditat Nonius c. IV. in lit. D. In editionibus Batavis editum eſt *ferunt*. ſed nihil muto. vide Parrhas. & Barth. ad Claudian. de raptu Proſerp. III. 339.

Ne tibi tranſverſo placeant haec] Ed. ant. *Non tibi tranſverſa placeant haec.* Voſſ. 2. *Hoc tibi tranſverſo placeant nec.* B. & L. pro haec

Rursus in obliquos neu velis ire pedes.

Sed

haec exhibent *hac.* in ceteris congruunt vulgatis. Vox *placeant* admodum hic valet ad reprehensionem, quasi obliquus ille incessus non naturalis sit, sed ex animi arbitrio atque industria formatus: propria namque edictis ac sententiis Magistratuum & Judicum. Suetonius Rhetor. c. I. *Neque placent, neque recta videntur.* adde in Aug. c. XLIV. & ibi Casaub. Pulchrius ergo Avianus, quam Babriae fab. VI.

Μὴ δήγε λοξὸς τὴν ὁδὸν παρατρέχεις.

Neque obliquus viam praetercurre.

certe pulchrius hoc Aphthon. fab. XI. Τί δὲ λοξὴ ἦν, vel ἦν, ἦν ὦ παῖ, βαδίζεις ὁδόν. sic enim legendum puto. *Quid vero obliqua est, o fili, qua incedis via.*

Rursus] Fateor, si hic distinguas, & cum priori versu rursus connectas, sensus nequaquam incommodus exit; monet namque mater, ut ne offensus semel iterum offendat, & sane negandum non est *rursus* pro iterum & denuo optimis Scriptoribus usitatum aliquando, atque eo sensu nostro usurpatum est, fab. IX. in fine

Rursus ab insana ne capiare fera.

Verum si in eum modum hoc loco exponas, non video, quid differat hic versus a prioris sententia. Quod ut ferendum opere in longo, & aliquando etiam laudandum, sic vitiosum puto in fabulis & epigrammatis, quae concinna brevitate commendantur. His inductus aliisque rationibus τὸ *rursus* cum sequenti *ire* conjungo, ita ut *rursus ire* idem notet, quod versu I. *retrocedere.* Sic invenietur mater duo cavenda proponere; primo ne in locis deviis & saxosis aut transversus aut retro eat. Plinius lib. IX. c. 32. *Cancri in pavore etiam retrorsum pari velocitate redeunt.* Isidorus lib. III. c. ult. *Cancrum quoque inde dixerunt, eo quod, cum ad signum mense Junio sol venerit, retrogradìtur in modum cancri.* ὀπισθοβάμων dicitur Statyllio Anthol. VI. 3. 14. & sic sane his quatuor versibus nihil Latinius, nihil elegantius dabitur. Hexameter opponetur Hexametro, Pentameter Pentametro, & *nisu contenta ferens vestigia recto* opponetur *transverso*, & *sistens gradus prorso tramite* opponetur *eunti rursus in obliquos pedes.* Sic *rursum, prorsum* opponuntur a Terentio Hec. III. I. 35.

Trepidari sentio: & cursari rursum, prorsum.

ad quem locum vere Donatus *Rursum proprie retro, prorsum ante significat.* in eandem sententiam Nonius cap. IV. citat Varronem atque Ennium. Illius haec sunt verba *Mortales multi rursus ac prorsus meant.* Hujus *Rursus, prorsus reciprocant fluctus feram:* eadem ante memorat cap. II. in reciproca, ubi nunc corruptissime leguntur. Quanquam autem eleganter haec conjuncta in his locis reperimus, non tamen Meursio atque aliis adsentior, qui ea Plauto obtrudunt Amphytr. V. 2. 60.

Ego cunas recessim rursum vorsum trahere & ducere.

& Epid. II. 2. 63.

Coepi rursum vorsum ad illas pauxillatim accedere.

in his *rursum* notat vicissim & *prorsum* hic nequaquam quadrat, neque convenit Gronovii expositio ad Gell. IX. 4. potiore sane jure quis contendat *rursus* pro retro & retroversum, ut hoc loco, sic similiter adhiberi Aviano in fab. XV. 8.

Sparserat arcanum rursus in astra jubar.

rur-

Sed nisu contenta ferens vestigia recto,
Innocuos proso tramite siste gradus.

Cui

rursus id est retro post se,: ad quem tamen locum nostram conjecturam animadverti velim. ita *prorsus* pro ante apud Lucil. quem citat Nonius in *Ferre*, versus ita legendi & constituendi,

Quid sibi vult, quare fit, ut introversus, & ad Te
Spectent atque ferant vestigia se omnia prorsus.

in quibus nunc *sed* pro *se* ponitur, ut *med* pro me. imo ne quidem necesse est, *rursus* hoc loco pro adverbio capere, sed & adjectivum esse poterit, nempe *rursus* cancer, qui *prorsus* non est. Sic *seorsus* adjective usurpatum Ausonio & Terentiano Mauro, ille namque Eidyl. XVII.

Ναὶ κ̀ͅ ὃ ... *saepe seorsis*
Obsistunt studiis.

ubi vid. Vinetus. atque cum Plautus dixit teste Varrone de L. L. VI. pag. 78.

Transversus non proversus cedit quasi cancer solet.

cur similiter non liceat dicere de cancro *retroversus*, & quod tantundem valet *rursus?*

Neu velis] *Ne* C. 2. Col. 2. P. A. Cort. 1. 3. sed in 1. erat *non* a m. sec. quod & in Cort. 2. Nota posteriorem in *velis* hic corripi, ut fab. XXIII. 10. ubi vide notas nostras.

Sed nisu contenta ferens vestigia recto,]

Ed. ant.

Sed nisa contenta feres vestigia recta.

Cort. 1. *Contempta* legit. Scholiastes *contenta* hic interpretatur *uno ordine stricta*, ut

Contenta cervice trahunt.

quod ἡμιςίχιον Virgilii est ex Georg. III. 535. in quo Nonius cap. IV. *contentum* exponit *colligatum*, *conjunctum*. equidem malo *intentum*, obfirmatum, ut Cicero dixit Tuscul. II. 23. *Contenta corpora*, *remissisque* opposuit, ut dicimus *contendere nervos*, *contendere vires*. alibi Nonius hic *contendere* exposuit certare. Sed contenta vestigia sunt aut non lubrica, sed certa & firmata, aut ante se extenta. Virg. AEneid. V. 513.

Tum rapidus jam dudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit.

& sic forte Ennius apud Varronem lib. VI. de Xerxe

Isque Hellesponto pontem contendit in alto.

nisi si quis illic arcum contentum accipiat καθ' ὑπαλλαγήν. hic autem *contendere* componere, conjungere. haec certe frustra sollicitavit Columna. Manilius Astron. I.

Subsequitur rapido contenta canicula cursu.

Innocuos.] Qui tibi non noceant, ut iterum decidas. SCHOLIASTES.

Proso.] in MS. *prenso* male legitur, quod eraso altero etiam magistro [ita appellat Scholiastem] adscriptum est, qui tamen *recto* atque *contento* & *prenso* eadem esse dicit, illud alterum exponens, si per rasores liceret. in aliis editur *prono*. sed optime vetus editio Basileensis *prosis*, unde *prorsis* est fabricandum. Paulus ex Festo, *Prorsum ponebant pro recto*. BARTHIUS Adverf. XXXIX. c. 7. Sed quorsum *prosis* aut *prorsis?* *proso* aut *prorso* unice probo, idque perscriptum extat in Codd. MSS. compluribus, receptumque est ab Editoribus nonnullis, certe Genevensi & Lugdunensi. *Prono* tamen agnoscunt C. 2. 3. Col. 2. 3. Cortii tres. Voss. 3. 4. sed

Cui natus; Faciam, si me praecesseris, inquit,
Rectaque monstrantem certior ipse sequar.

Nam stultum nimis est, cum tu pravissima tentes,

Al-

sed in Voss. 2. *oro.* idem mendum usque adhuc insedit Statii versum 109. Sylv. IV. 3. de via Domitiani,

Proso limite commeate Gentes.

male *prono* legitur, nisi omnino *pronum* facile velis, deducta a pronis viis metaphora. sic per *prona volvi*, Gell. II. 30. via namque publica a pronitate non magnam laudem habet, quae enim prona euntibus & facilis est, eadem redeuntibus adclivis est & difficilis. sic Ovidius Heroid. XVIII. 121.

ad te via prona videtur,
A te cum redeo clivus inertis aquae.

Justius *pronum* Lucretio vindicamus lib. VI. 25.

Exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes
Quid foret, atque viam monstravit tramite prono,
Qua possemus ad id recto contendere cursu.

Haec enim ea prona via est, qua dicunt neminem redire. Sed frustra hic laborat Barthius *prosum* in *prorsum* mutando, videtur sequi Calcagninum & Muretum, quos tamen Scaliger in Conject. ad Varr. pag. 64. & Lectionib. Auson. I. c. 14. & praecipue Voss. in Etym. confutatos dederunt. Isidor. I. 38. *Prosum enim antiqui productum dicebant & rectum. Unde ait Varro apud Plautum prosis rectis significare rectis.* Adde Gell. XVI. 16. & Velium Longum apud Putsch. pag. 2237. ubi docet ad evitandam litteram caninam, ut levius pronunciarent, veteres nonnullos non tantum *rusum retrosum* pro *rursum retrorsum* dixisse, sed & *dossum* pro *dorsum.* ut autem noster *tramite proso* dixit, sic *tramite recto* Sidonius Apollin. carm. XXIII. 404.

Tortum tramite transis ipse recto.

Gradus] *Pedes* P. Cort. I. Glossam puto.

Certior.] *Certius* C. 3. Col. 3. Ed. ant. *Certus* est, qui nil dubitat. Virgilius AEneid. V. I.

Interea medium AEneas jam classe tenebat
Certus iter.

vel qui non errat, quod huic loco aptius. Valerius Argon. I. 365.

mollique a littore Pellae
Deucalion certus jaculis.

Ipse] Cortii 2. *ipsa.* perperam.

Nam stultum nimis est, cum tu pravissima tentes.]

Hunc & sequentes versus sine ullo dispendio delere licebit, continent prioris Distichi explicationem. adde quod minus decorum est matrem stultam arguere. *pravissima* in *turpissima* transiit in Cort. 3. in margine tamen emendatum *pravissima.* Quicunque autem auctor fuit. vox huic loco admodum idonea, *pravum* enim recto & flexuoso opponitur. Gloss. *pravus* διάστροφος, *pravo* στρεβλῶ. *pravae* σκολιαί. Terentius Heaut. III. I. 76.

Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit, pravumne an rectum siet, quod petet.

& Phorm. V. 2. 6.

His nunc praemium est, qui recta prava faciunt.

Schol.

Alterius censor ut vitiosa notes.

Schol. Horat. Epod. XIII. 13. *Pravi id est tortuosi non recti, sinuosi.* Senec. de Tranquil. animi c. 1. *Haec animi inter utrumque dubii, nec ad recta fortiter, nec ad prava vergentis infirmitas.* Terentianus de Syllabis pag. 2406.

Exemplis an prava sequar vel
recta probabo.

porro pro *tentes* in Cort. 1. *tentas.* in MSS. quos inspexit Barthius *tendas.* sic *tendere iter*, Ovidius Trist. 1. 10. 36.

Alta sub Anchiali moenia tendat iter.

Valerius Argon. 1. 717.

nec ad ostia ponti
Tendit iter.

sed *tentat* apud Horat. III. od. 2. 22.

Negata tentat iter via.

Censor ut] *Ut* hic pro *quod* ponitur. vid. ad fab. III. Cicero pro rege Dejotaro c. 1. *Accedit ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber.* Calpurnius Ecl. VI. 6.

Nyctilon ut cantu rudis exuperaverit Alcon
Astile, credibile est? ita vincat acanthida cornix.

nam sic legendum. Adde Vorstium ad Sulpic. Sev. Histor. II. 12. & de Latin. falso susp. pag. 240. Munkerum ad Hygin. in Indic. *Censor* feminine, sic *Auctor*, Festus voc. *Auctor.* ubi vid. Scal. Virgilius AEn. XII. 159. ubi Servius scribit, masculina & feminina in *tor* exire, additque *haec senator* & *haec balneator.* Carisius praeterea *haec victor, institor & tutor.* & pag. 66. *Successor* ex Cornelio Severo.

Ignea nam Phoebe ducebat sidera coelo
Fraternis successor equis.

& sic Hygin. fab. CLXXXXIII. *Eam* (*Harpalicen*) *uberibus nutrivit, & crescentem armis exercuit, habiturus successorem regni sui.* Avien. progn. 169. *Monitor.*

Hinc perpende oculis ipsa monitore dierum
Signa tene, ac totum discerne in tempora mensem.

Grotius *ipso* conjicit legendum, sed praeter caussam. *Sponsor*, Ovidius XVI. Heroid. 114.

Sponsor conjugii stat Dea picta sui.

ubi vid. Burm. *Consumtor*, in Monum. Felsineis pag. 419.

D. M.
ET TERRE MATRI TRIUM CORNE
LIORUM GEORGES
GNESI CLEMENTIS ET PHILIPPI
PATRIS CONSUM
TORI CORNELIA CRYSIS CONJUGI
ET CUM LIBERTO
ET FILIIS SUIS FECIT.

Defensor, l. 2. D. ad SC. Vellej. & *Persuasor*, vid. Voss. de Analog. XI. c. 27. argutias Grammaticorum in his nauci non facio.

FABULA IV.

Boreas & Sol.

Immitis Boreas placidusque ad sidera Phoebus,

Jur-

Immitis Boreas] Fabulam hanc & nonnullas alias editio Ulmensis omisit. *Immitis* Boreas hic proprio epitheto vocatur ab Aviano, qui *saevus* Catullo epigr. 23. ad Furium. *Horrifer*, Ovidio dicitur, vel

Jurgia cum magno conseruere Jove,
Quis

vel respexit Avianus ad posteriora fabulae, ubi ait *pretinus impulsus ventis &c.* NEVELETUS. Sic *immites ventos* Tibul. I. I. 39. *Boream trucem* nominat Virgilius Georg. I. 370. & sane ventorum huic violentissimo optime convenit hoc epitheton. Ovidius Heroid. XVIII. 37.

At tu de rapidis immansuetissime ventis
Quid mecum certa praelia mente geris.

quare & ventorum rex dicitur Pindaro Pyth. od. 4.

ϰ) γὰρ ἐχὼν
θυμῷ γελανεῖ θᾶσσον ἔντυεν βασιλεὺς ἀνέμων,
Ζήταν Καλαΐν τε πατὴρ Βορέας.

ferociam describit Valerius Flacc. I. 578. 596. & seq. Ut autem in Ulmensi, sic quoque in antiqua editione Burmanni fabula haec non apparet.

Placidusque] Non displicet Commentatoris explicatio hujus loci, dum refert epithetum hoc solis ad modum, quo pallium homini decussit, placide nempe radios emittendo. NEVELETUS. B. & L. *pladusque*, non caussae magis quam ipsi Apollini proprium est hoc epitheton, tum nempe, cum sagittarius non est, Horatius Carm. saecul. v. 33.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo.

adde Serv. ad Virgil. AEn. III. 138.

Ad sidera] Coram sideribus, ubi erant multi Dii, nam sidera sunt Ethnicorum Dii. SCHOLIASTES. Sic *ad populum reus* Cicero pro Milone c. XV. & saepe alias, ut & *ad praetorem, ad judicem.* Pomponius Mela III. 2. 25. *Vitamque alteram ad manes.* Sidera autem haec mox v. 15. *Numina* dicuntur, caussam tradit Macrobius Saturn. I. 23. ex Philosophis Crotoniatem Alcmaeonem nominat Cicero, qui sidera Deos existimaverit, de Natura Deor. I. c. II. & tamen non abhorruit ab ea sententia Plato. vid. istic c. 12. & lib. II. c. 21. & III. c. 16. nonnulla de hac Veterum persuasione monet & Apulejus de Deo Socratis, pag. 286. Edit. Colv. & Lactantius II. c. 5. adde & Barth. ad Claud. laudib. Stilic. II. in fine. Catullus de coma Berenic.

Non si me infestis discerpant sidera dictis.

Cornelius Severus in AEtna v. 34.

Neque extremas jus est demittere in artes
Sidera.

& v. 44. de Gigantibus

Tentavere, nefas, olim detrudere mundo
Sidera.

Jurgia cum magno conseruere Jove] Editio suspectam hujus loci reddit lectionem. Nam habet *jurgia cum magno commisere Jove.* Commisere scilicet jurgia Jovi dijudicanda, ut vult Commentator. Nec fuit e litigantibus unus Jupiter, sed judex & διαλλακτής. Sed tanti haud quaquam est Avianus, ut velim vel debeam in eo ubique emendando tempus consumere. NEVELETUS. Aliquid hic vitiatum esse facile largior Neveleto, sed vitii nihil inesse puto τῷ *conserere*: vox vetus, usitata & elegans. Ausonius Perioch. Odyss. 18. *Jurgium ergo inopiae communis aemulatione conseritur.* & sic *Nectere jurgia* Ovidius Amor. II. 35. *Conserere lites* Horat. Serm. I. 5. 54. exponenda inde ex antiquo usu conserendi manum ex jure, de quo Cicero pro Muraena & Gellius XX. 10. adde Vorst. ad Sulpic. Sev. histor. I. 36. *Inserere rixas* dixit

Quis prior inceptum peragat mediumque per orbem
Carpebat solitum forte viator iter.

Con-

dixit Tibullus I. I. 88. *Conferere amicitias* Auctor Queroli pag. 6. sed mendum haerere puto in his *cum magno*. nisi quis velit *conserere litem cum aliquo* interpretari, ut *queri cum aliquo* id est apud aliquem. & sic apposite Sabin. epist. Parid. ad Oenon. 64.

Testibus hic Divis eum Jove questus erat.

Cicero Fam. III. 7. *Te secum esse questum, quod tibi obviam non prodissem.* Tibullus II. 7. 15.

Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

equidem malim pro *cum* legere *sub*. Prud. Psych. 406.

ut malesuada
Luxuries, multo stipata satellite, poenas
Cum legione sua, Christo sub judice pendat.

Horatius Art. 78.

Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

& omissa voce *judice* Nemesian. in Bucol. ecl. I. 51.

plenum tibi ponderis aequi
Pectus erat. tu ruricolum discernere lites
Adsuetas, varias patiens mulcendo querelas
Sub te ruris amor, sub te reverentia justi
Floruit: ambiguos signavit terminus agros.

corrupta nonnulla, lege

Adsuetus, patiens mulcere querelas.

olim ita corrigebam

Atque alias, verum patiens, mulcere querelas,

Patiens verum, id est justum & aequum. sic *Pati legem* dixit Dionysius distichorum Auctor. *Patere legem, quam ipse tuleris.*

Quis prior inceptum peragat, mediumque per orbem &c.] Duo hi versus sunt mendosissimi, neque tamen est, quod ullam opem aut a libris vetustis, aut a commentatoribus exspectamus. nam in quibus maxime opus est dicto, in iis maxime tacent. B. tamen & L. delent illud *que* in *mediumque*. Ego hos ita emendo

Quis prior. Inceptum peragit, mediumque per orbem
Carpebat Sol tum forte citatus iter.

Ovidius Fast. I. 188.

Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.

Conseruerunt jurgia id est contenderunt inter se Boreas & Phoebus quis Prior, id est uter praestantior esset. his egregie concinit Phaedr. fab. IV. 23.

Formica & musca contendebant acriter,
Quae pluris esset.

notandum porro, ut hic Phaedrum, sic illic Avianum *quis* de duobus ponere, & pro *uter*, sic iterum Phaedr. fab. I. 24.

& simili quaesivit modo,
Quis major esset.

ubi vid. Axen. & Voss. de Analog. lib. IV. c. 2. adde Cl. Duker. ad Flor. I. 10. 7. imitati id sunt fabulatores, quos edidit Cl. Niland. *Musca & formica contendebant, quis illarum melior esset.* vid. fab. ant. 28. & 52. *Homo & leo cum inter se quaererent, quis eorum esset superior.* adde fab. Romul. 44. qua sententia hic *prior*, sic apud Ovidium Heroid. XVIII. 69.

A veneris facie non est prior ulla.

& Amor. II. 10. 6.

Artibus, in dubio est, haec sit an illa, prior.

Priap. 45.

Num

Convenit hanc potius liti praefigere caussam,

Pal-

Num tandem prior est puella quaeso
Quae sit, m. . . . . . quos habet capillis.

versus hi nunc mendosissime leguntur. Tibullus I. 4. 27.

Quam jacet infirmae venere ubi fata senectae,
Qui prior Eleo est carcere missus equus.

sollicitat locum Broukhus. quia *prior* non nisi de duobus dicitur. an autem magis *potior* de pluribus diceretur? & tamen sic idem Tibullus ad Messal. IV. I. 35.

Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique, quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potior, certamen erit.

sive autem *medium orbem* conjungas, sive *medium iter*, parum refert; hoc intelligitur, meridiem significari, quo tempore & in medio itinere, & in orbe medio citatior & ferventior sol est. Virgilius Georg. IV. 425.

Jam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
Ardebat; coelo & medius sol igneus orbem
Hauserat. arebant herbae & cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant.

Ovidius Fastor. II. 164.

Aut plus aut medium sole tenente diem.

364.

medias sole tenente vias.

Apulejus Metam. III. init. *Diem ferme circa medium, cum jam flagrantia solis caleret.* ubi vid. Pricaeus. Ovidius Metam. II. 417.

Ulterius medio spatium sol altus habebat.

Senec in ἀποκολοκυντ. init.

Jam medium cursu Phoebus diviserat orbem.

Ausonius Mosel. 178.

Dicitur & medio quum sol stetit igneus orbe.

quae facile tuentur veterem Tertulliani scripturam in Apologet. c. XXI. *Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est.* Sol autem signate orbem hic dicitur, ut stella vias Virgilio AEneid. II. 695.

Illam summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram se condere silva,
Signantemque vias.

& ardens arundo AEneid. V. 525.

Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis.

Rutilius Itiner. I. 197.

Sed coeli plaga candidior, tractusque serenus
Signat septenis culmina clara jugis.

Hanc potius liti praefigere caussam] C. I. & Col. I. a manu secunda

Hac potius litem praefigere caussa.

Cort. I. *praefingere.* mihi neutrum horum probatur. *praefigere caussam liti* notat rem definire & constituere, de qua lite atque in judicio contendendum & disceptandum est. sic *figere* Prudentius advers. Symmach. II. 481.

Et momenta premit pedibus, quaecunque putantur
Figere propositam natali tempore sortem.

Dicimus autem *figere caussam*, ut *figere legem* alicui, de quo vid. infra fab. XXXIII. 3. CONSISTERE CAUSSAM dixit Gellius lib. V. c. 10. *Et cum ad judices conjiciendae, consistendaeque caussae gratia venissent.* differunt enim *conjicere* & *consistere*, quae male confundunt interpretes. *Caussa* au-

Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulsus ventis circumtonat aether;
Et gelidus nimias depluit imber aquas.

Ille

tem rem litigiosam notat, unde *caussa cadere*, id est rem amittere, ut exponit Justinianus §. 33. Institut. de action. Fronto, *caussa*, inquit, *de qua agitur*.

Nudato.] *Nudat.* B. L.

Decutienda] *Discutienda* C. 3. Col. 3. P. & Cort. 2. 3. *Discutiente* Cort. 1. si ad solum Boream referenda haec vox, non etiam ad Phoebum, non improbarem hic *discutienda*. & sane aliud est *discutere*, aliud *decutere*. sic aliter dicuntur *discussae jubae*, Virgilio AEneid. IX. 810. & *galea discussa*, Valerio Maxim. lib. III. c. 3. n. 23. aliud *decussae jubae*, *decussaque galea*. *Decussas cristas* N. Heinsius olim suspicabatur reddendas Silio I. 524. *Discuti* enim dicuntur vestes, cum lacerae & diruptae disjiciuntur; Ovidius Metam. IV. 515.

Deque sinu matris ridentem, & parva Learchum
Brachia tendentem, rapit & bis terque per auras
More rotat fundae: rigidoque infantia saxo
Discutit ossa ferox.

sed male hoc de sole dicetur, qui non lacerat vestes, sed decutit, aut decutere & dejicere cogit. tantoque magis *decutere* hic retinendum, quod & recte de ventis adhibetur. Virgilius Georg. II. 403.

Ac jam olim seras posuit cum vinea frondes,
Frigidus & silvis Aquilo decussit honorem.

Horatius Epod. XI. 5.

Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.

paulo aliter Statius Silv. I. 154.

Excludunt radios silvis decussa vetustis
Frigora.

notat umbras arborum demissas. an & sic *decutere* ex superiore loco quatere apud Columell. in Praefat. de cultu hortorum.

Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus
Vel teretis mali vel tectae cortice glandis.

non puto. potius legendum existimo

Non aliter quam de quassa pluit arbore nimbus.

Expressit hoc Virgilii Georg. IV. 81.

Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.

Veteres nonnulli scribere soliti *cuassa* vel *qassa*, inde error. & sic *catere* pro *quatere* Palmerius in Spicileg. x. pag. 778. Tom. Crit. 4.

Impulsus ventis] *Impulsis venti*, Voss. 1. & Cort. 2. similiter olim *impulsis* habuit, sed mutatum dein. pro *ventis* Voss. 2. *venas* agnoscit. eleganter & tempestatem simul & caussam tradit Poëta. Aër namque effluens huc illuc ventos efficit, ut scribit Cicero de Nat. Deor. II. 39. Ovidius Met. III. 21.

mugitibus impulit auras.

Circumtonat] Ita libri omnes, cum veteres tum nuper editi, & recte. gravissima enim tempestas describitur, quam Boreae rabies concitavit, mista cum horrendis flatibus imbre ac tonitru. hanc ventorum potestatem persequitur in libro VI. Lucretius, & in I. AEneid. Virgilius, Valerius Flaccus Argon. I. sed & ipse ventus *circumtonare* dicitur. Epigramma vetus Pith. lib. IV.

Circius hinc dextro . . . . circumtonat antro.

in quo nihil mutandum.

Nimias.] Voss. 2. *nimios*. Cort. 3.

Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida summotos qua trahit aura sinus.

Sed

3. in margine *niveas*. id quod tametsi pro nivali aqua aut nive accipi queat, tamen illud vehementius placet: *nimias* est perquam multas. vid. ad fab. 1. 5.

Depluit] *Detulit* C. 3. Col. 3. Voss. 3. *impulit*, Voss. 1. *depulit*, Voss. 4. & Cortii tres. Sed haec interpretamenta aut commenta ludimagistrorum puto, existimantium, *depluere* non recte cum accusativo construi. Sed tu vid. Sanct. Min. lib. III. c. 1. & c. 3. qui & in hanc caussam testem citat Propertium lib. II. eleg. 16. 7.

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba,
Sollicito lacrymas depluit e Sipylo.

Varie exposuerunt atque emendarunt hunc locum viri docti, qui mihi integer semper est visus. *tantum* hic significat *tam*, *tantopere*, *usque adeo*, quod in versu 5. praecedit. Cicero pro Rosc. Amer. c. XXII. *Qui tantum immanitate bestias vicerit.* Ovidius Trist. 1. eleg. 6. 1.

Nec tantum Clario Lyde dilecta Poëtae,
Nec tantum Coo Battis amata suo est.

ipse Propertius eleg. 1. 7. 7.

Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, & aetatis tempora dura queri.

Creditur porro active usurpasse *depluere* Tertul. advers. Valentinian. c. XXIX. sed locus est admodum depravatus. vid. ibi Fr. Jun. non longe hinc abit Prudentius Perist. XIV. 1032.

Illapsus imber tabidum rorem pluit.

Duplicem lateri.] *Lateri duplicem* P. & Cort. 3. Scholiastes notat, ut scribit Barthius ad hanc fabulam, versum hunc esse adumbratum ex illo Maroniano AEn. v. 421.

Sic fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum.

amictus autem *duplex* dicitur non tantum quod crassus, de quo Ferrarius de re Vestiaria part. 2. lib. 1. c. 9. sed & vestimentum duplex fit, vel substringendo vel circa corpus constringendo, neque enim uno modo illud duplex dicitur. vid. Salmas. ad Tertull. de Pallio. pag. 306. Certe viatores pallium & quodcunque laxius vestimentum ad ingruentem tempestatem, eludendosque ventorum flatus, artius circa corpus constringebant. Hic autem viator, quanto graviorem Boreae impetum sensit, tanto magis duplicem id est duplicatum amictum sibi circumdedit. Si tamen *magis* ad verbum *circumdat* referre placet, per me licebit.

Turbida summotos qua.] Non displicet, ut cum editione vetere Pulmanni duobus Codd. *qua* legatur. NEVELETUS B. a manu priore *turpida summotis*. posterius hoc praefert etiam Voss. 1. similiter a manu priore. Cortii 2. habet *summotus*. *qua* in *quod* mutarunt C. 1. 2. Col. 2. B. *quos* edit. Lugd. verum in Voss. 2. & 4. *quo* reperitur. idemque probatum olim Cortii 2. 3. atque Voss. 3. sed in hoc postea manu alia repositum *quod*. receptum praeterea *quo* est a Pulmanno ex N. invitis duobus Codicibus aliis, qui *qua* ostendebant. Pulmannum sequitur Neveletus, Genev. Batav. idem etiam invenerat Scholiastes atque exponit, *quo magis*. cujus dicti exemplum

quae-

Sed tenues radios paullatim increscere Phoebus
Jusserat, ut nimio surgeret igne jubar.

Do-

quaero. placet *qua*, id est qua parte submotum fluctuansque pallium trahit atque excutere laborat Boreas, ea parte viator eam duplicat atque artius constringit. Germanicus in Arctophyl.

sinus qua vincula nodant.

Avienus Phaen. 271.

Aurea qua summos adstringunt cingula amictus.

qui hi summi amictus? ὑπὸ Ζώνη Aratus stellam collocat, Cicero subter praecordia. dubito an *sinuos* scripserit Avienus, id est sinuosos. eodem modo hic sinus constrinxit, quo venatrix apud Virg. AEn. I. nuda genu nodo sinus fluentes collegisse dicitur, unde Ovidius Metam. x. 536.

Nuda genu, vestem ritu succincta Dianae.

cingebatur autem haec, quo expeditior esset & strictior vestis duobus cingulis. vid. Auson. Epigram. 39. & Claud. laudib. Stilic. III. 248. tales *incingi* dicebantur; Virg. Georg. IV. 343.

incinctae pellibus ambae.

ubi vid. Serv. & sic *incincta Diana* Ovid. Her. IV. 87. Habitum hunc porro describit Poëta, quem inter Catalecta edidit Scal. lib. II. pag. 243. in picturam Februarii.

At quem caeruleus nodo constrinxit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem.

& in Diana Nemesian. Cyneg. 92.

Corrugesque sinus gemmatus baltheus artet.

hunc habitum tunicae duplicis & constrictae exhibet egregie in gemma de Wilde 56. tametsi vir Amplissimus alio rejecit; nos hiemem aut mensem aliquem hiemis, aut certe venatorem designari putamus, id certe portata avis significat. Scal. pag. 247.

Frigore pallet hiems designans alite tempus.

ut autem hoc loco, sic *qua* usurpatur Virg. Georg. IV. 286.

Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi,
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura Phaselis:
Quaque pharetratae vicinia Persidis urget.

hoc significatu autem saepe corruptum esse hoc pronomen docet Cl. Duker. ad Flor. II. 12. 5. Avien. Phaen. in equo

Rursus odorato qua vertex crine tumescit,
Andromedae capiti succingitur indiga pleni
Alvus equi, summo qua fax in vertice vibrat
Virginis.

sic emendavit Grotius. in v. I. hodie *quae* legitur, in 3. *quam.*

Aura,] *Arva* Cort. 2.

Increscere] *Crescere* Col. I. 2. 3. C. 3. Cort. I. 2. 3. & ita edidit Pulmannus & Pith. sed *in* hic augendi vim habet, de quo Festus in *clutum* & *in*. Ovidius Trist. I. 4 5.

Me miserum quantis increscunt aequora ventis;
Erutaque ex imis fervet arena vadis.

Valerius Argon. I. 315.

Increscunt matrum gemitus.

Surgeret igne] *Surgeret*, paulatim cresceret, ut (Virgilius AEneid. VII. 44.)

major rerum mihi nascitur ordo.

SCHOLIASTES. *Cresceret* C. 2. Col. 3. *igne* abest a Voss. 2. versum hoc modo refingo

Jus-

Donec lassa volens requiescere membra viator,
Deposita fessus veste resedit humi.

Tunc

Jusserat, & nimio surgere in igne jubar.

Valer. Argon. I. 485.

Horrentem in jaculis & parmae luce coruscum.

ubi vid. Heins. Huic adde, quos praeterea citat Duker. ad Flor. I. I. 15. fugit hic usus praepositionis hujus, eos, qui primum hunc locum corruperunt.

Lassa.] *Lapsa* Voss. 3. inepte Donat. ad Ter. Eun. III. I. 15. *Cessat desidiosus, requiescit defessus. requiescere membra*, est idem Virgilianum (ecl. VIII. 4)

requierunt flumina cursus.

vid. ad Ceirin pueriles notas nostras. BARTHIUS l. cit. Vid. Servius ad eum Virgilii versum. Propertius II. 25. 75.

Quamvis ille suam lassus requiescat avenam,
Laudatur faciles inter Hamadriadas.

sic enim versum emendandum censuit Scaliger, adprobante Broukh. quem operae pretium erit consulere: huic adjunge Sanct. in Min. III. c. 3.

Deposita veste] Longin. Pastor. I. pag. 18. Καὶ τὸν ἥλιον φιλόκαλον ὄντα, πάντας ἀποδύειν. *Solem venustatis amantem omnes vestibus exuere. Seposita* Voss. I. quod ita elegans est visum editoribus compluribus, certe Neveleto, Lugdunensi, Genevensi & Batavo, ut in contextum recipere non dubitarint, sed tu ne dubita hoc illi postponere verbo, quod dedi. Ovidius Heroid. XVIII. 33.

Ter mihi deposita est in sicca vestis arena.

& 57.

Nec mora, deposito pariter cum veste timore.

& XIX. 43.

Jamne suas humeris illum deponere vestes.

Seneca Troad. 881.

Depone cultus squallidos.

Martialis VI. 93. 7.

Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Deposita quoties balnea veste petit.

At vero aliam praeterea suspicionem injecerunt mihi Codices L. & C. 3. qui *si posita* habent, unde *sic posita* formavi, totumque versum hoc modo legendum puto

Sic posita fessus veste resedit humi.

Sic eleganter saepe habitum gestumque designat Virgilius Ecl. II. 51.

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat
Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo,
Et vos o lauri, carpam, & te proxima myrte
Sic positae quoniam suaves miscetis odores.

Horatius Serm. I. 2. 105.

leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit.

Idem II. Od. II. 13.

Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu jacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti?

Broukhus. refert huc illum Propertii versum. el. I. 3. 34.

Sic ait in molli fixa toro cubitum.

exponitque τὸ *sic* negligenter, languide, leviter, quod parum iratae Cynthiae convenit, *resedit*

Tunc victor docuit praesentia Numina Titan,
Nullum praemissis vincere posse minis.

dit autem Aviano reddidi non ex conjectura, nam reperit id in duobus codicibus Pulmannus A. & P. a quibus stant Voss. 1. & C. 3. nec longe hinc abit Cort. 1. in quo *recedit*. Voss. 3. olim *sedere* scriptum habuit, sed mutatum dein in *sederet*.

Praesentia Numina] *Nomina* B. a manu prima, sed hic vulgatissimus librariorum error. *praesens numen* interpretatur Barthius statim efficax, Scholiastes eodem teste, forte numen & gloriosum. memini Servium ad Virg. Georg. III. 452. *praesentem fortunam* efficacem exponere, & AEneid. v. 363. *praesentem animum* fortem interpretari: & *Divam praesentem* fortunam potentem verti ab Horatii Scholiaste Od. 1. 35. 2. neque me latet, quo sensu Virgilius Georg. 1. 10. *praesentia numina* dixerit, quidve illustris Spanhem. de usu & praestantia numism. dissert. v. pag. 390. aliique viri doctrina praestabiles in eam sententiam contulerint. Verum hoc contendo, eorum nihil hic locum habere, & miror sane doctissimum Barthium, & Scholiasten hominem non prorsus ineptum in luce manifesta hic caligare: *praesentia* hoc loco suo sensu & simplici ponitur. Titan sive Phoebus docuit numina praesentia, id est ostendit Diis praesentibus in hoc Deorum consilio, in quo caussam suam egerunt Phoebus & Sol. Sic Ovidius Metam. XIV. 812.

Concilio quondam praesente Deorum.

& sane *docere* haud raro notat: certo documento, proposito exemplo ostendere judicibus. Suetonius Caes. c. XVII. *Id vero Caesar nullo modo tolerandum existimans cum implorato Ciceronis testimonio, quaedam se de conjuratione ultro ad eum detulisse docuisset*. Exempla alia obvia sunt in Ciceronis aliorumque scriptis.

Nullum] Neminem, quod ego sane ita usurpare nolim. BARTHIUS d. l. Equidem aut non intelligo Barthium quid velit, aut ita verba Aviani accipit, quasi hoc significent, *Numina praesentia* id est Deos, qui statim vim & violentiam exercent, posse nullum vincere. quae prorsus discrepant a mente auctoris, quare & hoc sensu friget τὸ *nullum*. Nam cur *nullum* pro *nemine* hoc loco usurpare nolit Barthius, caussam nullam video, neque etiam ea differentia harum vocum unquam in mentem venit sagacissimis vocabulorum rimatoribus Frontoni & Popmae.

Vincere posse minis.] Post versus hosce duos postremos prisca editio amplius hos addit

Dura minando tu caveas armaveris hostem
Arte, valet vinci qui leviore modo.

sed quia hos sola habebat, reponere non ausus sum. NEVELETUS. Imo si vel Codd. omnes haberent, nihilo secius tamen rejiciendos putarem, nunc vero cum exulant hi a meis libris atque excerptis, per me licet in perpetuum hinc excludantur, ejusmodi enim epilogi haud pauci confecti sunt ab ineptis ludimagistris, quos haud dextra Minerva in lucem edidit, qui nunc Avianum, cujus nomine censentur, pessime deformant.

FABULA V.

Rusticus & Asinus.

Metiri se quemque decet, propriisque juvari
Laudibus, alterius nec bona ferre sibi.

Ne

Metiri se quemque decet] Qui magnitudinem suam nosse vult, suo se pede metiri debet, unde Horat. [Ep. I. 7. in fin.]

Metiri se quemque suo modulo ac pede decet. SCHOLIASTES. Fefellit hominem memoria non tantum sed & metri lex, neque enim *decet* in hoc versu Horatiano aut reperitur aut convenit, sed *verum est.* Cort. 2. non *quemque*, sed *quemcunque* exaratum habet, sed *quemque* supra adscriptum est. Notandum porro hunc versum a Scholiaste Horatii ad Artem poët. 38. tribui Catoni, credo ei, quem Distichorum moralium scriptorem censuerunt. Quae res suspicionem praebet, versus priores ut ceteros epilogos omnes, aliunde esse adsutos huic fabulae. Ita sane fab. XVII. adfabulatio ex Catonianis illis versibus huc translata est. Ubi vide notas nostras. Cujuscunque autem sunt, non indignos putavimus animadversionibus nostris, nam antiqui sunt & probandi.

Juvari] Contentum esse. BARTHIUS lib. XXXIX. c. 7. Non addit de suo haec, an de alieno depromserit, id est ex Scholiastae commentariis. tametsi autem Codices nil variant, impense cupio hic *tueri* legere; tueri se laudibus suis significat, sustentare sese sua dignitate, ita ut alienis non indigeamus. Lucan. VIII. 273.

Sparsit potius Pharsalia nostras,
Quam subvertit opes. Sed me vel sola tueri
Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,
Et nomen quod mundus amat.

adde Casaub. ad Suet. Caes. c. LXVIII. Si tamen retinendum *juvari* expono delectari, capi. Avien. descr. terr. de Parthis.

Non proni gregibus pecoris fera vita juvatur.

Bona] *Bona* in homine quae dicuntur, percenset Terent. Heaut. I. 2. 19. *Cetera boni varia est interpretatio*, ut scribit Seneca Epist. CXVIII. Add. Cicero Tusc. Quaest. V. 30. *Valuit tamen haec sententia, ut bona dicerentur vulgo, quaecunque animo nostro aut corpori honesta essent, jucunda & commoda; mala vero vocarentur omnia his contraria.* Ex his intelligimus fortitudinem non tantum, sed & pulchritudinem, & formam, quam potissimum respicit auctor, recte hic in bonis censeri; contra ignaviam & deformitatem inter mala. Phaedr. fab. I. 3. quae argumento simili est *Ne gloriari libeat alienis bonis.* de forma Corn. Nep. in Dion. c. I. *Dion autem praeter nobilem propinquitatem generosamque majorum famam, multa alia ab natura habuit bona. In his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendat.*

Ferre] Auferre, ut Ovidius Metam. XIII. 383.

Fortisque viri tulit arma disertus.

Scholiastes, an Barthius? vide hunc loco dicto. Adde Broukh. ad Tibul. I. I. 24. Inde *ferre* & *dare* opponuntur in epigrammate vetu-

Ne detracta gravem faciant miracula risum,
Coeperit in solitis cum remeare malis.

Exuvias Asinus Gaetuli forte leonis
Rep-

sto, quod edidit Salmas. ad AEl. Lamprid. in vita Heliogab. c. XIX. & Almeloveen Epigr. vet. quae addita sunt Amoenit. Theol.

Amisit proprias vacuato corpore carnes.
Accepitque novas: dedit ac tulit, ac grave lucrum
Perdendo adquirit, damnum bene crevit in illa

versum ultimum ita castigavimus.

Perdendo adquisit damno bene crevit in illo.

adquisit pro *adquisiit* & *adquisivit.*

Ne detracta] *Nec detracta.* Cort. 2.

Faciant] *Faciunt.* Cort. 3.

Miracula] Res admirandae Virg. [Georg. IV. 441.]

Omnia transformat sese in miracula rerum.

BARTHIUS l. c. *Miracula* hic sunt, quae admirationem id est venerationem creant, ut pellis leonina asino, plumae pavonis graculo. Ausonius Ephem. Orat. 71.

Pace fruar; securus agam miracula terrae
Nulla putem.

Fest. *Miracula quae sunt digna admiratione, dicimus.* Et sic admirari, suspicere & venerari, Cicero Fam. III. ep. 7. *Ista nomina nunquam sum admiratus.* Corn. Nep. in Dion. c. 1. *Hunc Carthaginienses suspexerunt, ut neminem unquam magis sint admirati.* Virg. Georg. IV. 215.

illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso.

Coeperit] *Deperit* Voss. 2. pessime.

Solitis] Hoc malim, tametsi parum refert utro modo legas *solitis* an *solis*. posterius hoc tuentur C. 1. 2. Col. 1. 2. B, L. Voss. 1. 2. 3. edit. Lugdun. Genev. & Batav. duae illae voces etiam in aliis codicibus confusae reperiuntur. vid. Scaliger & Broukh. ad Tibul. I. 1. 38.

Remeare] Pulmanniani Codices duo, & utraque editio, *remeare*, nec male eam sequeris lectionem. NEVELETUS. Miror autem non secutum eam esse, & in libro suo expressisse Neveletum atque alios editores, quam confirmant praeter editiones antiquas, quas inspexit Neveletus, Cort. 1. 3. P. A. vox haec insignem pudoris ac dedecoris notam habet. de graculo Phaedrus I. 3.

male mulcatus Graculus
Redire moerens coepit ad proprium genus.

Grave enim est ad eos redire, quos aut ipse despexeris, aut despectus contemseris. Terentius Eun. I. 1. 4.

Exclusit, revocat, redeam? non si obsecret.

Virgilius AEn. IV. 534.

En quid ago? rursus ne procos irrisa priores.
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex?

Malis.] *Mala* quae hic dicuntur facile intelliguntur ex iis, quae supra diximus de *bonis*; vitia nempe animi corporisque. Sic *vitia* & *bona* opponit Horat. Serm. I. 3. 70.

Cum mea compensent vitiis bona.

Forte pertinet huc illud Propert. I. 2. 6.

Nec sinere in propriis membra nitere bonis.

Exuvias] *Exubias* Voss. 2. & sic saepe alias.

Gaetuli] Simplicius, atque ob id stilo fabulari accommodatius forte

Repperit, & spoliis induit ora novis.

Apta-

te videbitur *defuncti*, quod praeferunt B. M. L. Voss. I. atque ex editionibus, Lugdun. Genev. & Batav. verum Gaetulum leonem nominavit, ad arguendam insignem ignavi Aselli stoliditatem, qui parum existimavit Leonem sese videri, nisi Gaetulus & ferocissimus haberetur. nam Poëtae nobiliores ferocioresque leones descripturi Africanos nominant. Virgilius AEn. XII. 4.

Poenorum qualis in arvis
Saucius ille, gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo.

Eccl. v. 27.

Daphni tuum Poenos etiam ingemuisse leones,
Interitum montesque feri silvaeque loquuntur.

Ovidius Trist. IV. 6. 5.

Tempore Poenorum compescitur ira leonum.

Seneca in OEdip. 919.

Qualis per arva Libycus insanit leo.

Horatii Od. III. 20.

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?

Claudianus in Rufin. I. 228.

Quae sic Gaetuli jaculo percussa leaena.

ubi tamen Heins. ex Bononiensi libro *gentili* probat. & Consul. Honor. III. 81.

Gaetulo comes ire patri.

Adde Heins. ad Ovid. Art. Aman. II. 183. Claudianus Rapt. Proserp. III. 143.

Attonitus stabulo ceu pastor inani,
Cui pecus, aut rabies Poenorum inopina leonum,
Aut populatrices infestavere catervae.

Tegmen leonis hujusmodi virtutis praemium dedit AEneas, Virgilius AEn. V. 351.

tergum immane leonis
Dat Salio villis onerosum atque unguibus aureis.

Sed nequaquam omittendum esse duco quod C. 3. Col. 3. & Edit. ant. habent. *Getuli cum forte*, & Cott. I. *fortasse*; consulto, ut videtur, consilio ad id, ut corriperentur Syllabae duae priores in *Getuli*, & sane arbitrarer hoc ab ipso Aviano profectum, ni imitatorem eum Virgilii ubique deprehenderam, qui Poëta eas Syllabas producere consuevit. correptae autem Martiali Spectac. IV. 3.

Traducta est Getulis nec cepit arena nocentes.

Similiter eam ante corripuit forte Plautus Menaechm. V. 2. 109.

Nunc equos junctos jubes
Capere me indomitos feroces atque in currum inscendere,
Ut ego hunc proteram leonem Getulum olentem, edentulum.

Omnia commenti sunt viri docti ut hos versus ab hoc mendo, quod nullum, purgarent, sed irrito conatu. nam in MS. Martialis ita legi testatur praeter alios Graevius in epistola ad Nic. Heinsium, quae est Tom. I. 72. earum, quae editae sunt a Cl. Burmanno nuper. Verum ajunt Graecis Γαιτοῦλιοι dicuntur. Do hoc. sed & Γαιτύλιοι vocati sunt Artemidoro. vid. Dausq. in Orthogr. part. 2. unde intelligimus secundam corripi posse. quod autem Artemidoro atque iis, quos ille secutus est, in secunda licuit, cur Latinis in prima non licuit, praesertim cum licuerit, si Servio credimus, in nominibus propriis mutare Syllabae naturam, quem vide ad Virg. AEn. I. 347. & AEn. X. 325. certe eadem diversitas est in *Apulia* & *Apulus*, Graece Ἀπούλια, quae & secunda correpta Latinis usurpan-

Aptavitque suis incongrua tegmina membris,
Et miserum tanto pressit honore caput.
Ast ubi terribilis animo circumstitit horror,
Pi-

pantur. vid. ad fab. XXXVIII. 5. Imo ipsi Romani etiam extra carmen *Getulos* sine diphtongo scripserunt. vid. Pier. ad Virg. AEn. IV. 40. unum monumentum producit Dausquius, alterum habet Gruterus Thesaur. Inscr. CCCLXXXII. 6. NATION. GETULIC. Accedit quod Isidorus tradit Origin. IX. c. 2. Getulos hos a Getis dictos ortosque censeri: in hac autem opinione qui fuerunt, non mirum est eos brevem fecisse primam in *Getulus*, neque haec Isidori sententia est censenda, cui non multum tribuo, sed aliorum, quos hic exscripsit. Quae porro causa est, cur in vexatissimo Silii Italici loco, III. 288. hoc modo legendum censeam.

Misceri gregibus Getuli gens sueta ferarum.

librarii olim & nostri saeculi eruditi superstitiosi in producendis hujus vocis syllabis prioribus, alia potius omnia, quam eas tentandas, existimarunt. Ad extremum monendum, tametsi forte vix dignum monitu in Cort. 2. hic legi *sorte* pro *forte*, hoc tamen in margine est.

Miserum] Deformem, timidum. BARTHIUS lib. XXXIX. c. 7. Imo aerumnosum, ad labores & verbera misere natum, *Qui*, ut scribit Phaedr. III. fab. 20.

non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.

Inde Ovidius Am. II. 7. 15. vocat.

Auritum miserandae sortis asellum.

Nempe quod, ut idem addit,

Assiduo domitus verbere lentus eat.

Apulej. Metam. VII. pag. 134. *Extremae sortis quadrupedem.* Tzetzes de Asino Cumano Chiliad. IV. n. 10.

Ὡς δὲ ἡ φωνὴ τὸν δείλαιον ἔδειξε πᾶσιν ὄνον.

Ut vero vox miserum ostendit omnibus asinum.

Pressit honore] Nimius honor supprimit. BARTHIUS. l. c. *Premere* dicuntur, quae aequata non sunt, sed graviora. quare & ejusmodi honores *onera* dicuntur. Ovidius Heroid. ep. IX. 29.

Quam male inaequales veniunt ad aratra juvenci
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus, species laesura ferentem.
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Seneca in Troad. 489.

Grave pondus illum, magna nobilitas premit.

Et de Tranquil. anim. c. X. *Quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit.* Hieronym. ad Laetam de institutione filiae. *Nec collum auro nec margaritis premas.* Hinc corrige epigramma vetus in Catal. Scal. pag. 197.

Non bene cum parvis junguntur grandia rebus,
Stantia namque premunt, praecipitata ruunt.

Sic legendum, non *tremunt*.

Animo circumstetit.] *Circumstitit* Cort. 1. Sed hoc difficultatem non extricat imo credo falli eos, qui inter *stetit* & *stitit* ita distinguunt, ut illud a *sto*, hoc a *sisto* esse dicant. verius namque

Pigraque praesumtus venit in ossa vigor;

Mi-

que Charisius pag. 220. & Diomedes 369. idem utrisque perfectum tribuit. *Circumstetit* autem hoc loco a *circumsisto* esse cognoscimus ex Apulejo de Philosoph. pag. 266. edit. Colv. *Fortitudo quippe circumsistitur hinc audacia, inde timiditate.* Et sane nescio quo sensu bono haec dicuntur, *terribilis animo circumstitit horror.* quare legendum *terribilis mimo circumstitit horror.* multorum nomina recenset Cl. Duker ad Flor. II. 14. 4. quibus adde Salmas. ad Volcat. in vita Avidii Cassii c. VII. Heins. ad Ovid. e Ponto IV. 16. 30. qui exemplis prolatis docuerunt *mimum* in *animum* librariorum errore saepe transiisse. atque equidem dudum dubito, vitiaveritne idem error haec verba Ciceronis ad Attic. v. ep. 1. *Nihil potuit, mihi quidem ut visum est, dulcius. idque cum verbis, tum etiam animo ac vultu.* Scio recte animum & verba sic alias opponi, sed est cur hoc loco *mimo* verius videatur. *Mimus* autem hic gestum notat. Ingeniose quoque, ut omnia solitus, vir Magnus Jac. Perizonius maculam hanc deprehendit in Floro IV. c. II. n. 3. *Igitur dominationem parare, nec tacite: sed Patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in monstrum illud, ut mente, ita mimo quoque & cultu desciverat.* Sic namque hic legendum docuit. Possis *mimum* in Aviano interpretari ipsum asinum, *μιμούμενον* atque imitantem horrorem leonis. Sed malo hic *mimum* gestum habitumque accipere, quo asinus leonem quasi in scena agebat. *Horror mimo* autem est horror ex mimo ortus. de qua locutione alio in loco plura erunt nobis disputanda. *Circumstitit horror* Virgilianum est, ita namque AEn. II. 559.

At me tum primum saevus circumstitit horror.

Claudianus Bell. Get. 111.

At vero Italiam quoties circumstitit atra
Tempestas.

Ante vero quam haec mihi incidit suspicio, Avianum hic Poëtam principem more suo esse secutum, conjectabam versum hoc modo legendum

Ast ubi terribilis animoso constitit horror.

Id quod tamen ne nunc quidem omnino displicet. Ut milites olim, fortesque viri, in praelium ituri animum ad fortitudinem, corpus autem ad horrorem praeparare solebant, sic hic satis festive Asellus fingitur, notissimae ignaviae animal, terrorem incussurus reliquis animalibus, corpori non tantum horrorem prius addidisse leonis pelle, sed & alacritatem, & leoninum animum induisse. intelligitur hoc ex *praesumtus*, quod in versu sequenti est; non enim hic notat temere *arrogatus*, sed ante sumtus, praeoccupatum exponit Servius in hoc AEn. XI. 18.

Arma parate animis, & spe praesumite bellum.

Postea quam autem Asello, dum ex ignavo repente factus esset animosus, nunc plane horror constitit, inque ossa pigra praesumtus vigor venit, mox mira insolentia jactare sese coepit, & tantum non insanire; calcat sueta pabula, turbat boves, quos antea metuerat, impetumque in eos more leonis minatur. quae quis non venuste ac festive ficta videt, & Poëtae ingenium laudat? Porro *constare horror* dicitur, qui certus est & firmatus. Virg. AEn. v. 747.

Et Jovis imperium & cari praecepta Parentis
Edocet, & quae nunc animo sententia constet.

Phaed.

Mitibus ille feris communia pabula calcans;
Turbabat pavidas per sua rura boves.

Rusti-

Phaed. IV. 25.

Dum sanitas constabit, pulchre meminero.

Suetonius Tiber. c. II. *Si sibi constaret pudicitia. Praesumere*, ut diximus, hic notat ante sumere, de quo vid. Vorst. de Latin. falso susp. c. XVI. *sumere* autem *vigorem* simili modo dicitur, quo *sumere impetum*, Florus IV. 12. 54. *sumere offensionem* Cicero ad Attic. ep. V. 1. frustra ergo est Barthius, qui hoc verbi *praesumtus*, temere arrogatus, exprimit ex usu linguae Latinae jam in barbariem vergentis. de quo usu vid. Vorstius ad Sulpic. Sev. hist. sacr. lib. I. c. 33. & 47. & de Latin. mer. suspecta c. 19. & Cellarius de vitiis serm. Lat. pag. 190. & 191. imo vero hoc dicere liceat; nullibi pejus labi Barthium, addo & vere Neveletum, quam iis in locis, ubi sermonem Poëtae nostri perstringunt. in Edit. ant. *praesumtis* legitur, quod flocci non est.

Mitibus ille feris communia pabula calcans] Vide autem, miseranda gloria, quo abripiat Asellum: pabula quadrupedibus mitibus, atque adeo & sibi communia pedibus nunc fastidiose conculcat. *feras*, sive mavis *feros*, mites accipio quadrupedes omnes, a crudelitate ac caedibus abstinentes, non cruentas aut carniveras, sed herbis ac frumentis, quae proprie pabula dicuntur, pastas. Horum animantium pabula conculcando sprevit, juvencos leonum more venaturus laceraturusque. de voce *calco* vid. Barthius ad Claud. de Bell. Gild. 256. 257. Julius Capitolinus in Maximo & Balbino c. XIV. *Cum Balbinus Maximum, quasi ignobilem, contemneret, Maximus Balbinum, quasi debilem, calcaret.* Veteres autem, ut scribit Servius ad Virg. AEn. I. 571. & AEn. XI. 219. omnes pene quadrupedes *feras* dixerunt, inde & pro equo Dureo Virg. II. 50.

Sic fatus: validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit.

Adde Nonium & Gifan. Ind. Lucret. *Communia pabula* cum dixit, videtur respexisse Horatium Ep. I. 10. 34.

Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat.

Adde notas ad fab. ult. init.

Turbabat pavidas per sua rura boves] Praeferenda erit, si judicium meum sequeris, lectio haec vulgata.

Turbabat pavidas per sua lustra feras.

Quae est a MS. Palatino & duobus Pulmannianis, quibus subsidiariae succedunt aevi prisci Editiones ambae. NEVELETUS. Subscribunt his Cort. 3. & Edit. antiq. *lustra* est quoque in Cort. I. a manu prima. & *feras* tanquam varia lectio. Equidem non sequor hic judicium Neveleti. Miser asellus dum pabulum suetum nauseat, leonemque & animo & mimo sese implere autumat, boves & juvencos leonum pabula: (vide infr. fab. XVIII. Phaed. fab. II. 1 Ovid. Metam. X. 541.) per consueta rura consectatur. Quocirca verba haec, *per sua lustra feras*, ad locum suum, id est ad fab. XVII. 2. relego: unde in hanc fabulam traducta perperam puto. & forte ipsum *turbabat* inde avulsum est. namque C. 3. & Col. 3. praeferunt *Torquebat*. Cort. I. & P. *Turbavit*. forte legendum *urgebat*, vel ut veteres scribebant *Vrguebat*, quod fa-

Rusticus hunc magna postquam deprendit ab aure,
Correptum vinclis verberibusque domat.
Et simul abstracto denudans corpora tergo,
Increpat his miserum vocibus ille pecus.
For-

facile in *torquebat* abiit: illa vox est venatoria. Horatius Serm. II. 2. 64.

Hac urguet lupus, hac canis.

Virgilius XII. 747. nec movet, quod Phaedrus fab. I. 11. suum Asinum feras turbasse scribit, nam alio modo ficta huic est fabula, alio rursus aliis. vid. AEsopi fab. CXIII. & CCLXII. Aphth. 10. Babriae 14. Ceterum non plures hic MS. *pavidos* legunt, quam *pavidas*; hoc namque habent C. 3. Col. 1. B. 1. M. Voss. 1. 2. Cort. 1. A. P. Voss. 3. sed a manu secunda, ut in Col. 2. a manu prima, atque id receperunt Editores. Lugdun. quod supervacuum forte nonnullis videbitur monuisse.

Deprendit.] *Depressit*, Cort. 1. *deprehendit* Edit. Gen. *deprendit* autem non hic significat manu apprehendit. quod videtur existimasse Neveletus, aut quisquis ille est, qui ineptas picturas ejus libro addidit: sed notat detexit, cognovit. Suetonius Cal. c. LX. *Ut eo pacto hominum mentes erga se deprehenderet.* & in Ner. c. XXXIV. *deprensum crimen.*

Verberibusque] *Que* non comparet in uno Codice Cortii & Vossiano 3. cui tamen additum dein a manu alia.

Abstracto.] *Abtracto.* Voss. 2. sed illud exigit Priscian. lib. XIV. pag. 995. Edit. Putſ. *Abs tam in compositione quam in appositione consonantibus solet praeponi. Sed ab omnibus in compositione praeponitur literis absque c. vel q. vel t.* & mox *Ante vero c. vel t. in compositione, ut abscondo, abscedo, abscindo, abstraho, abstineo.* Ed. ant. *abstracta* perperam.

Corpora.] *Corpore.* B. C. quod nihili est.

Tergo] Virgiliano Exemplo v. 351.

Sic fatus tergum Getuli immane leonis
Dat Salio. BARTHIUS. l. c.

Nempe crebro olim *tergum* pro tergore usurpatum non soli Virgilio docet Servius ad Virgilium AEneid. I. 215. & V. 357. & VII. 94. & IX. 412. Sosip. Charis. lib. I. pag. 54. & pag. 118. Confutatur his propterea eorum opinio, inter quos est Fl. Caper de Orthog. pag. 2241. Ed. Putſ. qui censuerunt *terga* hominis tantum dici, sed quadrupedum *tergora*. Pro *tergo* Editio antiqua habet *pelle*.

Increpat] Non notat hic reprehendere, sed contumeliose atque insolenter verbis vel rebus tractare. Nonius insultare exponit, multisque exemplis confirmat. Glossae veteres *increpo* ἐπισκώπτω, ἐπεγγελῶ, ἐπιχλευάζω. *Increpito* ἐπιχλευάζω. ἐπεγγελῶ, ἐπικερτομῶ. atque huc refero versum Ennii apud Non. in *Torviter*.

Quem tu tam torviter increpuisti.

Florus I. 1. 8. *Saltu increpare.* quod temere suspectum habuit Salmasius. Sollicitat etiam Ramos de parricid. pag. 49. sic *maledictis increpare*, Sallustius Cat. c. XXII. vide Indic. Wassii & adde Flor. I. 13. 17. & III. 3. 6.

Miserum] Aberat a Voss. 3. sed dein additum ab alio.

Pe-

Forsitan ignotos mutato tegmine fallas,

At

Pecus] Asinum ut Maro. SCHOLIASTES. Quem locum innuat non subit. Illud vero vetus est, nempe Persii Sat. III. 9.

Arcadiae pecuaria rudere credas.

BARTHIUS. Servius ad Virg. Georg. IV. 168. omnia animalia *pecus* dici ait vetuste, eadem habet Philargyrus, neque aliter Nonius. at vero Servius ad Virg. AEn. I. 439. *Pecus*, inquit, *dicimus omne quod humana lingua & effigie caret*, quae sublegit Isidorus Orig. XII. sub init. Quae autem hic praeterea addit de discrimine *pecorum* & *pecudum* talia sunt, ut nullum hic locum mereantur. Scholiastes Horatii od. I. 2. *Omne animal praeter hominem veteres pecus appellabant.* Gemina Flavius Caper de Orthogr. pag. 2243. Edit. Putschi. Haec docent omnia animantium genera, quae in mari, terra atque aëre vivunt pecora dici (vid. Non.) nedum Asinum, quem diserte pecus Arcadicum nominat Auson. Epigr. 76.

Asinos quoque rudere dicas,
Quum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.

imo vero ipse Horatius Serm. I. 3. 100. terrigenas & hominum primos pecus dixit.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fustibus atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus.

Vide Broukh. ad Tibul. IV. I. 209.

Ignotos] Qui te non norunt, ut Phaedrus a nobis alibi castigatus. BARTHIUS. Sic Phaedrus fab I. II.

Virtutis expers verbis jactans gloriam
Ignotos fallit, notis est derisui.

Ubi vide viros doctos; alias is dicitur *ignotus*, qui non noscitur. vid. ad fab. IX. I.

Mutato tegmine] Visum est unius Palatini lectionem huc adtexere, quae cum vulgata ausit de bonitate certare.

Forsitan ignotos imitato murmure fallis.

NEVELETUS. Codices plerique omnes, quorum excerpta mecum amici communicarunt, *imitato murmure* retinent. sed in uno tantum Palatino id reperit Neveletus. in ceteris *mutato tegmine*; & idem hoc expresserunt quoque reliqui Editores Lugdun. Genev. Batav. videntur hi id in libris, quos consuluerunt, similiter invenisse, quod & mihi magis quam alterum probatur, nam non voce aliena aut imitata terruit boves Asinus hic Aviani, sed horrore leoninae pellis, ex qua leo creditus. aliter fingitur Asinus Venator a Phaedro fab. I. II. quem leo contexit frutice & admonuit simul.

Ut insueta voce terreret feras.

ex qua fabula lectionem hanc *imitato murmure* confictam, & huc translatam puto. quin & tegmen hoc, sive pellis leonina Satyricis ludendi varios modos praebuit, inde namque Horatius Serm. I. 6. 22.

Quoniam non propria in pelle quiessem.

Et II. I. 64.

Detrahere & pellem nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis.

Persius Sat. IV. 14.

Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus.

Et forte V. 116.

Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem.

Fallas] Ita & Voss. I. 2. edit.

Lug-

At mihi, qui quondam, ſemper aſellus eris.

Lugdun. Genev. & Batav. nec mihi id diſplicet. Ceteri *fallis*. *falles* Voſſ. 4.

At] *Aſt* C. 3. Edit. ant. *ſed* Cort. 3.

Ceu quondam] Vide num aeque bene Palatinae membranae & Pulm. editioneſque, *At mihi qui quondam*. NEVELETUS. Equidem autem hoc longe venuſtius arbitror, quam illud *ceu quondam*. confirmant hanc lectionem C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. B. M. Voſſ. 1. 2. P. Cortii tres. A. N. idque receptum ab editoribus antiquis, & praeterea Lugdun. Genev. & Batav. *eras* pro *eris* legitur in C. 2. & Col. 2. corrupte.

FABULA VI.

Rana & vulpis.

Edita gurgitibus, olimque immerſa profundo,
Et luteis tantum ſemper amica vadis,
Ad ſuperos colles, herboſaque prata recurrens,

Mul-

Olimque immerſa profundo] Nondum vidi, quid hic *olim* ſignificet, mirorque tum in editionibus, tum in manuſcriptis diſcrepantiam nullam eſſe, videbatur aliquando inverſis literis legendum *limoque*, quod ſi tibi placet, mihi etiam nunc placet. NEVELETUS. Nihil hic variant quoque excerpta noſtra, niſi quod Edit. antiqua delet *que* in *olimque*. *olim* hic eſt ante id tempus. Terentius Andr. III. 3. 13.

Alium eſſe cenſes nunc me atque olim, cum dabam.

Is ſenſus eſt; rana quae olim, id eſt ante, non niſi in gurgite erat verſata atque in luto, expers terrae derepente ſeſe medicum terreſtribus animantibus venditavit. Ut tamen verum fatear, aliquid ſcabri huic voci ineſſe puto, eamque hoc modo poliendam geminata extrema litera in *gurgitibus*, legendoque *ſoli* pro *olim*. pro *luteis*, *linteis* habet Voſſ. 2. invertit ordinem Cort. 1. & 3. *tantum luteis*, nec male.

Semper amica] Semper amica ὑφ' ἓν: Terentius Andr. I. 2. 4. *Semper lenitas*. ubi vid. Donatus. potiſſimum autem hanc figuram in voce *ſemper* frequentari docet Voſſius Inſt. orat. v. 4. 6.

Aquai dulcis alumnas,

Ranas vocat Cicero Divinat. I. 9. *Stagni incolas* Phaedrus I. 6. inde nomina ab Homero conficta πηλοβάτης, λιμνόχαρις, βορβοροκοίτης.

Superos colles] Forte *Calles*. Iſidor lib. XV. in fin. *Callis eſt iter pecudum, inter montes, anguſtum, a callo pecudum vocatum, ſive callo pecudum perduratum.* Extrema haec Servio debentur ad Virg. AEn. IV. 405. ubi nunc *praeduratum* legitur. *Superi* dicuntur hic Calles, quia ſuperiores palude. εἰς γῆν ἐξελθών, eſt in Graeca fabula AEſop. CXXXV.

Mulcebat miseras turgida rana feras.
Callida quod posset gravibus succurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare suo.

Nec

Recurrens.] *Re* hic abundat ut saepe alias. Donatus ad Terent. And. III. 2. 28. Servius ad Virg. AEn. X. 766.

Mulcebat miseras turgida rana feras.] Blanditiis decipiebat aut mansuetas faciebat. ut

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

SCHOLIASTES. Versus est Virgilii AEn. I. 157. Quod is dicit *mansuetas faciebat*, significat se *feras* in hoc versu accipere pro bestiis, quae proprie *ferae* dicuntur & mansuetis & cicuribus opponuntur. Equidem autem bruta omnia hic designari opinor. vid. ad fabulam superiorem vs. 11. Atque ita fabulator Graecus in similis exempli fabula CXXXV. ἔλεγε πᾶσι τοῖς ζώοις, *dicebat omnibus animalibus.* neque etiam illa hic Glossa placet, *blanditiis decipiebat.* malo mulcebat interpretari, consolabatur ac verbis, & pollicitationibus malum leniebat: *miseras* enim puto morbo, pestiferaque lue aegrotantes, ac spe melioris vitae destitutas. Virgilius AEn. I. 201.

Dictis moerentia pectora mulcet.

Nec multum aliter Nemesian. Ecl. I. 53.

Adsuetus varias patiens mulcere querelas.

Nam ita hunc versum emendavimus supra fab. IV. 2. *Miser* autem desperatum notat atque ope omni destitutum. Varro de L. L. lib. IV. *Miser a minus cui, cum opus est, minus nullo est.* corrige *minus nihilo est.* Videtur in animo habuisse Varro locum Terentii in Phorm. III. 3. 1.

Quid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,
Cui minus nihilo est?

Quod posset.] *Quo* B. L. M. Voss. 1. 2. 3. Pulm. Nevelet. Edit. Lugd. Genev. sed Batav. habet *ceu.* praeterea B. L. & Voss. 2. *possit* agnoscunt. Nec est cur alterutrum improbem. sic *quo* pro *quod* Cic. Fam. V. ep. 5. *Non quo intelligerem satis eas apud te valere.* Tertullianus in Apol. *An hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam auditam damnabunt veritatem.* in quibus verbis nihil mutandum? *An* ponitur pro *an non.* Suetonius Aug. c. LIV. *An essent alii digniores?*

Et vitam ingenio continuare suo] Hoc enim veteres ab hac arte pollicebantur. Ausonius Parental. I. 13.

Praeditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.

Offendit vox *praeditus* Gronovium aliosque, nec mihi impense placet, cui magis probatur.

Creditus & vitas.

Eam namque artem dudum professus Medicorum pater AEsculapius, cujus nota est fabula. Martialis IX. 18. 1.

Latonae venerande Nepos, qui mitibus herbis,
Parcarum exoras pensa, brevesque colos.

Anthol. I. 39. 7. de Magno medico.

Μάγνον ὅτ' εἰς ἀΐδην κατέβη, τρομέων Ἀϊδωνεὺς
Εἶπεν, ἀναστήσων ἤλυθε καὶ νέκυας.

Ma-

Nec se Paeonio jactat cessisse magistro,
Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.
Tunc

Magnon cum ad inferos descendit trepidans Pluto
Dixit; resuscitaturus venit etiam mortuos.

Et lib. IV. 13. 4. de Galeno.

Ἦν χρόνος, ἡνίκα γαῖα βροτὺς διὰ σεῖο, Γαληνὲ,
Δείκνυτο μὲν θνητοὺς, ἔτρεφε δ' ἀθανάτους.
Χήρευεν δὲ μέλαθρα πολυκλαύτου Ἀχέροντος,
Σῇ παιηονίῃ χειρὶ βιαζόμενα.

Erat tempus cum terra mortales ob te, Galene,
Ostendit quidem mortales, nutrivit vero immortales
Viduata vero sunt atria multum deflendi Acherontis,
Tua Paeonia manu domita.

Ingenium hic exponit Barthius an Scholiastes, doctrinam & dexteritatem.

Nec se Paeonio jactat cessisse magistro] Pro *nec* Voss. 2. *haec.* dein Cort. 2. 3. *Paeoneo.* sic solent *e* & *i* misceri in extremis adjectivorum terminationibus, ut *Tiphoia* & *Tiphoea*, *Cerealea* & *Cerealia*, quae notat Servius ad Virg. AEn. I. 665. *Herculius* & *Herculens*, *AEsopius* & *AEsopeus.* vide Corte de Orthogr. pag. 31. Atque sic *osteis* in monumento antiquo Inscript. Etruriae Salvini & Gorii part. I. n. 140. quorum ille ex Pandectis Florent. citat *doleis.* Sed corruptissime Edit. Antiq. *impronio.* Batavi ediderunt *cessura* pro *cessisse*, quod in nullis excerptis meis inveni. Imo vulgatam lectionem impensius probo, quod experientiam arguit, quae in primis commendat medicum. Magister Paeonius est οἷος ἐστιν ὁ τῶν Θεῶν ἰατρὸς παίων, habet fabula Graeca, quae & ipsa sunt verba Scholiastae Homeri Iliad. III. 402. *talis qualis fuit Paeon Deorum medicus.* *Magistri* autem artium doctores appellantur. vid. Festus in *Magistrare.*

Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.] *Orbem* pro coelo dixit, quia ejus potior pars est. SCHOLIASTES. Et ita Manilius aliique, mihi vero *in Orbe perpetuos* conjungenda videntur, cum circulo absoluto, constet vita Deorum, nec metuat finem. *Curare* autem medicinale verbum est, ut alibi his quoque libris notavimus. BARTHIUS in Advers. I. 7. Postremum hoc recte Barthius. sed non mihi persuadet Deos hoc loco, ubi de Medicina iis facta agitur, *perpetuos* dici, quod orbe suo perpetuo solvantur. ferrem illud in Astrologo, sed quid siderum volventium motus ad hanc fabulam? Aut cur non potius *Deos perpetuos*, id est immortales accipimus? nam hos sanavit Paeon. Verum credo minus Latine dici, existimavit Barthius *perpetuos Deos* pro immortalibus aut sempiternis & sane videtur sic existimasse Donatus ad Terentium Andr. V. 5. 3. *Inter sempiternum & perpetuum hoc interest, quod sempiternum ad Deos, perpetuum proprie ad homines pertinet.* per me itaque licet improprie dictum existimet ab Horatio Od. I. 24. 5.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urguet.

Nam Virgilii est in eandem sententiam AEn. XII. 310.

in aeternam clauserunt lumina noctem.

Ita Martialis Epigr. VII. 63. I.

Perpetui nunquam moritura volumina Sili

Tunc vulpes pecudum ridens astuta quietem,
Ver-

Qui legis, & Latia carmina digna toga.

Et quid aliud *perpetuum* quam *aeternum* apud Vellej. I. I. 4. *Et loco, & incolis, & mari, nobile ac perpetuum a se nomen dedit.* quare recte in glossis ἀείδιος *perpetuus*, & αἰώνιας *sempiternus*, *aeternus*, *perpetuus*, *perennis*. αἰωνιότης. *aeternitas, perpetuitas.* Quin de Diis ipsis Apulejus de Deo Socratis pag. 288. Edit. Colv. *Deos ab hominibus plurimum differentes loci sublimitate, vitae perpetuitate;* item alias, *Sigillatim sunt mortales, cunctim tamen universo genere perpetui.* Et saepe Arnobius *immortalis* & *perpetuus* conjungit cum de Deo est sermo. an & sic Tertullianus in Genes. c. IV.

Hi quum perpetuo ferrent sua dona Tonanti.

Sed tamen, ut dicam quod sentio, vix placet *orbis* pro coelo hoc loco, ubi nulla coeli mentio aut descriptio: alia ratio est aliorum locorum, in quibus ex re ipsa intelligitur, quis orbis designetur, terrae, coeli an alterius rei: quamobrem suspicor scripsisse Avianum,

Quamvis perpetuo curet in orbe Deos.

Sic *perpetuus orbis* coelum intelligendum, hunc enim orbem aeternum existimarunt nonnulli, quamvis cetera omnia peritura crederent; hos secuti sunt Poëtae; Virgilius AEn. II. 153.

Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos aeterni ignes.

Martialis IX. 2. in fin.

Manebit altum Flaviae decus gentis,
Cum sole & astris cumque luce Romana
Invicta quidquid condidit manus, coelum est.

Ubi vid. Viri docti. pro *curet* antiqua edit. substituit *curaret*, inepte.

Vulpes] *Vulpis* C. I. Col. I. Voss. 2. 3. in Glossis *vulpis.* ἀλώπηξ, inde *vulpicula.* vid. Dausqu. in Orthogr. vol. 2. add. Gud. & Burm. ad Phaedr. fab. I. 7. Rittersh. fab. I. 8. Barthius ad Stat. Theb. VI. 256. ubi recte emendat Servii verba, ut ex praestantioribus ejus Grammatici editionibus, quae hodie sunt, apparet. plura nomina in *es* & *is* terminata dabit Dausqu. de Orthogr. pag. 75.

Quietem.] Patientiam. SCHOLIASTES. Potius autem stultitiam & simplicitatem designat, quomodo Queroli, ni fallor, Auctor. BARTHIUS. Et sic forte Sulpicia vs. 15.

Nosque jubet tacitos & jam rationis egenos,
Non aliter, primo quam quum surreximus aevo,
Glandibus & purae rursum procumbere Lymphae

Malo tamen hic simpliciter *quietem* silentium interpretari, quae hujus vocis certior est significatio. Ridet vulpes jactantiam ranae quiete audire pecudes, tantoque hiatui nihil reponere. Sic ἡσυχία. Actor. XXII. 2. Ἀκούσαντες δὲ ὅτι τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ προσεφώνει αὐτοῖς, παρέσχον ἡσυχίαν. quae vetus interpres ita vertit. *Cum audisset autem quia Hebraea lingua loqueretur ad illos, magis praestiterunt silentium.* Sic *quiescere* pro tacere Ovidius Trist. I. 3. 27.

Jamque quiescebant voces hominumque Deumque.

Seneca Herc. Oet. 1584.

Ante descendet glacialis Ursae
Sidus, & Ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescant.

Haud

Verborum vacuam prodidit esse fidem.
Haec dabit aegrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida caeruleus cui notat ora color.

Ne sibimet quisquam de rebus inaniter ullis,
Quas

Haud aliter ἠσυχιάζειν, loca sunt vulgata. Inde & *quietos boves* dixit Phaedrus fab. II. 8. & II. 7.

Comes quieto sequitur & placido gradu.

Quietus gradus est tacitus & sine jactatione tintinnabuli. haec loca egregie tuetur Cl. Burmannus.

Verborum vacuam prodidit esse fidem.] An hypallagen dicemus, dictumque existimabimus pro *verba esse vacua fidei* vel *fide?* sic Ovidius dixit, *Verba carere fide.* Et sane vulgatissima haec Ciceronis hypallage apprime respondet his Aviani verbis *gladium vaginae vacuum*, pro vaginam gladio vacuam. Virgilius quidem, quem Auctor noster sibi imitandum proposuit, praeter ceteros huic schemati indulget, ut passim notat Servius, cui adde Voss. inst. Orat. IV. 12. an vero existimabimus Poëtam scripsisse non *vacuam*, sed *vanam*, aut *vanam hanc:* Virgilius AEn. IV. 12.

Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.

Et *verborum fidem*, idem AEn. IX. 279.

tibi maxima rerum
Verborumque fides.

Prodidit B. mutat in *perdidit* vulgatissimo librariorum errore. *Prodere* hic est publice ostendere, declarare; τὸ *esse* vacat: vid. infra fab. XXIII. 2.

AEgrotis membris.] Id est *aegroto.* Sic *membra equitis* pro equite in vetusto epigrammate, quod prodidit Fabret. Inscr. pag. 234.

SI SPUMANTIS EQUI LIBEAT QUATERE ORA LUPATIS.
CYLLARI FORMOSI MEMBRA VEHES EQUITIS.

Caeruleus] Id est lividus. Sic fab. XV. 6.

Caeruleam facerent livida terga gruem.

& qualis est morbo tabescentium & pereuntium. Nam Aphth. fab. XXIV. hunc caeruleum colorem exponit, νόσου δὲ φέρεις ἐπὶ τῆς ὄψεως σύμβολον. *tu vero facie praefers morbi indicia*, aut qualis est mortuorum. Albinovanus ad Liviam 93.

Lumina caerulea jam jamque natantia morte.

Quare luctibus conveniens color, vid. Servius ad Virg. AEn. III. 64. unde in Cenotaphio Lucii *infulis caerulis infulati.* Tradit porro Servius eo loco *Caeruleum* dictum veteribus nigrum, unde Glossae, *Cerulus* μελάγχρους. Ed. ant. hic vitiose legit *caeruleis.*

Ne sibimet quisquam] Epimythion licet subobscurius hoc tamen sonat. non facile est insitum pravis, sinistrisque ingeniis, ut sese ipsa cognoscant, & exinde se aut praemia aut supplicia manere cogitent. Grammaticus noster tam distentus hic est futilitatibus exscriptorum, ut me ejus misereat. & nescio quo fato sensim ejus notae deteriores fiant, licet minime contractiores: plura enim balbi loquuntur; quibus, etsi deest lingua, vox tamen superest. BARTHIUS. Desunt hi

Quas nequit, imponat, fabula nostra docet.

hi duo versus, qui epimythion Barthio creduntur, in C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4. Cortii 2. In C. & Col. 3. rejecti in marginem erant aliaque manu adscripti. Porro exclusit eos editio Batava & praeterea Lugdunensis & Genevensis. hac tamen posteriores duae in eorum locum adsciverunt distichon, quod aliis initium ponitur sequentis fabulae

Haud facile est pravis &c.

contra Editio antiqua non fine fabulae, sed in principio eos exhibet. ad extremum lectio diversissima est. at vero pro *quisquam* Cort. 3. *quisquis*, Ed. ant. *quisque*. pro *quas nequit*, *quod nequit* Cort. 2. Ed. ant. *Quae nequit*. Cort. 3. pro *ista fabella*, *nostra fabella* C. 3. Col. 3. Cort. 1. 3. *ista fabula* Ed. ant. Voss. 1. ita habet.

Neve probet se quis de rebus inaniter ullis

Quodque nequit sumat, fabula nostra monet.

Quae rerum plurimarum in his versiculis per se ineptis, & Aviano indignis, discrepantia (neque enim aut eodem loco aut eadem scriptura, aut ab omnibus commemorantur:) facile Magistellorum fraudem prodit, qui hunc miserandi sui ingenii fetum Auctori nostro supposuerunt. Ejeceram eum hinc, si meo more vivere licuisset, ac non potius saeculi hujus genio obtemperandum duxissem.

FABULA VII.

Canis.

Haud facile est pravis innatum mentibus, ut se
Muneribus dignas suppliciove putent.

Forte canis quondam nullis latratibus horrens,

Nec

Haud facile est pravis.] Hic versus, ut etiam ille, qui sequitur, non reperitur in Editione Batava. Lugdunensis autem & Genevensis eos adnexuit fabulae superiori, ut modo diximus. quo autem loco nobis censeantur, eo declaravimus, quod diversa literarum forma illos notavimus. Quid autem tam ἀσύςατον, quam hoc? pravae mentes nec muneribus se nec poenis dignas censent. quo ergo praemio se dignas existimabunt. Si Phaedro credis fab. 1. 5. & exemplis quotidianis, cuncta sibi tribuet & rapiet improbitas. Si versuum horum farcinatori, nihil credat huic, qui volet.

Dignas] *Dignos* Voss. 1. qui & *supplicione* pro *suppliciove*.

Quondam] Sic C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. B. M. L. Vossii omnes & Cortii 2. quibus accedunt Batavi. Vox haec ut *olim* propria est fabulis. Donatus ad Terent. Andr. V.

Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia sed pavidae submittens verbera caudae,
Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Jusserat in rabido gutture ferre nolam.

Fau-

v. 4. 22. Neque tamen *quidam* damno, nam & id fabulis peculiare.

Latratibus horrens] Recte *horrens*, quod canibus latrantibus ringentibusque horrere solent capilli. Valerius Flacc. I. 229.

nullo horrore comarum terribilis.

Nec patulis] *De patulis* Voss. 2.

Rictibus] *Rictus* proprie est canum, de quo videbimus Deo dante ad Festum.

Pavidae submittens verbera caudae] Recte *pavidae*, quia hoc gestu pavorem significant canes. Plinius II. 50. in fin. *Canum degeneres sub alvum* (caudam) *reflectunt.* de lupo Virgilius AEn. XI. 812.

caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero.

cauda autem animantia nonnulla voluntatem declarant, hinc *caudam jactare*, Persius Sat. IV. 15. ubi vid. Scholiastes. Graeci dicunt κερκωπίζειν. vid. istic Marcilius, quod tamen alii aliunde arcessunt. vid. quos citat Burm. ad Ovidii Metam. XIV. 92. & forte de eo nos alibi. de Leonibus Plinius lib. VIII. 16. *Leonum animi index cauda, sicut & equorum aures: namque & has notas generosissimo cuique natura tribuit. Immota ergo placidus, clemens blandientique similis, quod rarum est: crebrior enim iracundia ejus in principio terra verberatur: incremento terga seu quodam flagello verberantur.* Verba adscripsi, quod ex iis liquet, quae hic dicantur *verbera caudae.* Sed lege *immota placide.* Gellius lib. V. 14. de leone Androcli, *Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blande movet.* Tanto nequior ergo hic canis, qui per simulationem pavoris & blanditiarum vulnera dabat. λάτρα ἔδακνε dixit Graecus fabulator. vid. AEsop. CCXIV.

Concitus] In iram concitatus. Virgilius AEn. XII. 331.

Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat.

hoc addidi, ne quis inductus auctoritate duorum codicum Pulmanni P. & A. *conscius* legendum, versumque ex his Virgilii versibus refingendum putet, quos respexisse puto eum, qui primus hic *conscius* reposuit. AEneid. XI. 811.

Occiso pastore lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero.

corrupte Editio ant. pro *concitus* hic *citius* habet. At vero pro *audaci* Neveletus edidit *irato*, invitis libris vetustis.

Probitas] Abest a B.

Rabido] *Rapido* C. 3. M. Voss. 1. Cort. 3. vid. ad fab. I. 2.

Nolam] *Molam* B. M. Voss. 2. *mollam* L. Nemo sane dubitavit antehac credo, quin *nola* hic sit legendum, atque inde forte aetatem Poëtae nostri aestimarunt,

Faucibus innexis crepitantia subligat aera,

Quae

sunt, siquidem in hoc significatu recentioris inventi vox est: vide Magium de Tintinnabulis. adde Adrian. Junium Animadv. III. 11. Celeb. Burm. ad Quintil. Inst. VIII. 6. Equidem autem de hac voce vehementer ambigo. Primo *nolam* a Nola Campaniae urbe dictam censent, hoc si verum est prior syllaba producenda, nam Graeci Νῶλα scribunt. his adde Gellium lib. VII. 20. qui tradit, Virgilium primum sic versum scripsisse

vicina Vesevo
Nola jugo.

Silius Ital. XII. 161.

Hinc ad Chalcidiam transfert citus agmina Nolam
Campo Nola sedet.

Deinde si *nolam* hic legis, sententia versus sequentis ab hoc nil differt, & ταυτολογία est auribus atque animo gravissima. his inductus rationibus vocem depravatam puto, quae tamen levissima mutatione optime sanari potest: scribendum autem *notam* de hac in hunc modum Festus, *Nota alias significat signum, ut in pecoribus, tabulis, libris, litterae singulae aut binae, alias infamiam.* Sic hanc notam *signa cavenda* appellat mox v. 10. his notis membra illa insigniebantur, quibus animantia laedebant, sic foenum adligabatur cornibus boum cornupetarum. Vid. Scholiast. Horatii Serm. I. 4. 34. adde Chiliad. sic Dominus cani mordaci ex gutture suspendit tintinnabulum, tanquam notam aut signum, cavendum eum esse, aut tanquam notam infamiae.

Faucibus innexis] Varietas est in his vocibus. Palat. Codex & Pulm duo *innexis*, Editio Ulmensis *innixus*. NEVELETUS. Probasse tamen hic videtur *& nexis*, quod edidit, idem ediderunt Pulmannus & Pithoeus. Verius tamen editor antiquus, Lugdun, Genev. & Batav *innexis*; firmantque hanc lectionem C. 1. 2. 3. Col 1. 2. 3. B. M. L. Vossii omnes, P. A. Cortii duo 1. 2. sed 3. perperam *in mediis* habet, adscriptum tamen *innexis*, atque id unice accipio: *innectere* enim notat *nexu cingere*. Virgilius AEneid. V. 510.

nodos & vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto.

& VII. 351.

fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,
Innectitque comas.

& VIII. 660.

tum lactea colla
Auro innectuntur.

id est torque. Sed maxime huc pertinent haec Ovidii Metam. X. 378.

laqueoque innectere fauces
Destinat.

& Metam. XI. 251.

Tu modo, cum gelido sopita quiescet in antro
Ignaram laqueis, vincloque innecte tenaci.

Crepitantia subligat aera] Magister [is est Scholiastes] crepitacula dicit, ea vero etiam domini furtivis servis adpendebant (apponebant) ut quaqua irent, a villico audiri possent. Haec nota non indigna visa est, quae describeretur. BARTHIUS Advers. XXXIX. 13. Crepitaculorum significatio late patet. vid. Salmas. ad Vopisc. in Carin c. XIX. pag. 840. hoc loco per *crepitantia aera*, tintinnabulum intelligi nullus credo dubitat. an similiter Virgilio Georg. IV. 149? cujus vestigia premere consuevit Avianus.

Nunc age naturas apibus quas Jupiter ipse

Quae facili motu signa cavenda darent.
Haec tamen ille sibi credebat praemia ferri,
Et

Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaque aera secutae
Dictaeo coeli regem pavere sub antro.

possit dubitari, quia cymbalis revocari dicuntur aves, non tintinnabulis. Varro de Re rust III. 16. nisi quis cymbalorum nomine amplissimo tintinnabula contineri existimet, quod negat Auctor Clarissimus de cymbalis: equidem autem id negare nolim. Tintinnabula tinnulo concentu *crepitacula* nominat Endeleichius de mortibus boum vs. 35.

Queis mentis geminae consona tinnulo
concentu crepitacula.

sensus horum est, quem non perspexit Seberus, crepitacula illis bobus erant, tinnulo concentu consona geminae, id est uni & concordi menti, ita ut tintinnabulorum symphonia animi concordiam indicaret. Malit tamen quis *mentis*. Cort. 3. non *subligat* legit, sed *subligit*, atque Edit. ant. non *aera* sed *ora*, utrumque male. Sed ut hoc loco ita & infra vs. 15. *aes* pro tintinnabulo ponitur, sic & apud Martialem lib. XIV. ep. 141. cujus lemma est *Tintinnabulum*,

Redde pilam, sonat aes thermarum. ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

adde Adr. Junium Animadv. III. I. II.

Cavenda] *Canenda* C. 3. Col. 3. *videnda* Voss. 3. 4. neutrum probandum.

Praemia ferri] Est sane, cur hoc loco *praemia* malim, & mox vs. 16. *munera*, ubi nulla librorum est varietas, nam quae praemia accipientium, ea munera sunt dantium, siquidem munera sunt, quae ex caussa mittuntur, praemia, quae ob recte factum seu meritum conceduntur. Varro de L. L. circ. fin. & Ulpian. l. 194. D. de V. S. confundi tamen haec saepe, certum est. Praeferunt *praemia* hoc loco C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. Voss. 1. 3. 4. P. A. Cort. 1. 2. B. L. Edit. ant. Lugd. Genev. & Batav. in Cort 3. olim lectum *praemia*, quod deinceps mutatum in *munera*: porro *ferri* in *ferre* mutant B. L. Voss. 1. 2. Cort. 2. in 3. correctum. *ferre* quoque habet Editio ant. videri possit hoc verbum ex vs. 8. in hunc locum demigrasse, ut *munera* ex vs. 16. restituendumque *facti*. Ovidius ex Pont. II. ep. 3. 13.

Ipse decor, recte facti si praemia desint,
Non movet, & gratis poenitet esse probum.

alio sensu *praemia ferre*, in fab. XXIII. 5. nam *ferri* hic malo exponere, gestari. Ceterum canis sibi decori atque ornatui putabat esse tintinnabulum, quod alter ei tanquam notam nequitiae, signumque cavendum tributum dicit: reperi autem ob duas has caussas data esse tintinnabula. de ornatu quod dixi, confirmat ille asinus Luciani, sive mavis ipse Lucianus asinus de se pag. 111. *Καὶ σκευή μοὶ ἦν πολυτελής. καὶ στρώματα πορφυρᾶ ἐπιβάλλομαι. καὶ χαλινοὺς εἰσεδεχόμην, ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένους. καὶ κώδωνες ἐξήπτοντό μου, μέλος μουσικώτατον ἐκφωνοῦντες.* interpretationem pete ex Apulejo Metam. lib. X. ubi eadem de se. *Me phaleris aureis & fucatis ephippiis & purpureis tapetis, & frenis argenteis & pictilibus,*

Et similem turbam despiciebat ovans.
Tunc insultantem senior de plebe superbum
Ad-

bus, baltheis & tintinnabulis per-argutis exornatum. inde Longin. περὶ ὕψους. sect. XXI. in fin. κωδώνας ἐξῆφθαι, *tintinnabula appensa*, id est phalerata verba crepare. vid. hoc loco Tanaq. Faber. pertinet huc mulus Phaedri fab. II. 7.

Ille onere dives celsa cervice eminens
Clarumque collo jactans tintinnabulum.

ejusmodi tintinnabulis insignes equos exhibet Spon. Miscel. erudit. antiq. Sect. IX. pag. 309. & Gorius in columbariis libertorum Liviae tab. XI. adde sues capistris & tintinnabulis cultos apud Petron. c. XLVII. de signo autem cavendo, quod dabatur tintinnabulo, vid. Faber Semestr. II. 8. de aliis caussis suspendendi tintinnabula ex collis animantium, vid. Savaro ad Sidon. lib. II. ep. 2. Sweert. ad Magium. Reines. inscr. VI. n. 44. Smet. Antiq. Neomag. pag. 154. Scheffer. de re Vehic. II. 2.

Et similem] *Consimilem* Cort. 3. mendose, nec melius B. L. Voss. I. 3. 4. *dispiciebat* legit pro *despiciebat*.

Tunc] *Hunc* P. Cort. 3. Edit. ant.

Insultantem] Saltantem & nolam moventem, ut (Virgilius Georg. III. 117.)

Insultare solo & gressus glomerare superbos. SCHOLIASTES. Nonius Marcellus exponit *insilire*, sed verius Scholiastes. Ennius in Athamante apud Charis. lib. II. pag. 214. Edit. Putsch.

His erat in ore Bromius, hic Bacchus pater
Illis Lyaeus, vitis inventor sacrae.
Tum pariter, Euan, Euhoe, euhoe Euius,
Ignotus juvenum coetus, alterna vice
Inibat alacris, Bacchico insultans modo.

Forma juvenis Bacchico hoc modo insultantis & tintinnabula jactantis depicta reperitur in Inscript. Fabretti pag. 429. Valerius Flacc. Argon. I. 806.

stabo insultans & ovantia contra
Ora manusque feram.

Tertull. de Corona militis c. VII. *Ita & Argis signum ejus palmite redimitum subjecto pedibus ejus corio leonino, insultantem ostentans novercam de exuviis utriusque privigni.* Ausonius Mosel. 181.

Tunc insultantes sua per freta luaere Nymphas.

Senior de plebe superbum] An haec conjungenda *de plebe superbum*, id est de viliore canum genere? nam & canum quaedam nobilitas est. Nemesianus Cyneget. 106.

Elige tunc cursu facilem, facilemque recursu,
Seu Lacedaemonio natam, seu rure Molosso.
Non humili de gente canem.

Adde Arrian. de Venat. c. IV. Sic Statius Silv. III. 3. 46. *Dominos de plebe.* & III. 4. 29.

Ac primum subita Paullum decepta figura,
Natorum de plebe putat.

Martialis VI. 29. I.

Non de plebe domus, nec avarae verna catastae.

sic Cicero pro Arch. c. X. *Poëta de populo*, ubi vid. Passerat. Delet ibi τὸ *malus* Tollius, quod tamen & ante hunc monuit Gruterus, cui adsentior. Sed & recte haec conjungi puto *senior de plebe*, id est de ea multitudine ac turba canum, in qua hic sese, & tintinnabulum suum superbe jacta-

Adgreditur, tali singula voce monens.
Infelix! quae tanta rapit dementia sensum,
Mu-

jactabat. ἀγορὰν vocat Graecus fabulator, vid. AEsop. fab. ccxiv. *ἐν τῇ ἀγορᾷ ἠλαζονεύετο.* Sic *plebem gruum* dixit Avienus progn. 474. haud aliter ac *aerium populum* dixit Manilius. vid. Bernecc. & Gronov. ad Justin. x. 1. 6. Porro *senior* quis sit, probe docuit Sanctius in Minerva lib II. c. 2. & Sanctio melius Perizonius in not. ad Sanctium. Senioribus partes suadendi monendique dantur a Poëtis. Virgilius AEn. v. 703. VII. 39. Ovidius Metam. XII. 182. adde Gevart. ad Stat. I. 10.

Adgreditur] Hoc reposui ad C. I. 2. 3. Col. I. 2. 3. B. L. Voss. I. 2. 4 P. A. Cort. I. 2. 3. probavitque Editor antiquus, & praeterea Lugd. Genev. Batav. Ceteri MSS. atque Editores *adloquitur.* Virgilius AEn. IV. 92.

Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis.

Sulpicia,

Teque, quibus princeps & facundissima calles,
Adgredior, precibus descende clientis & audi.

Tali] *In tali* ant. edit. parum placet *singula*, quod substituam, non succurrit, a libris nullum auxilium.

Monens] *Moveris* Voss. 3. *Movens* Cort. 2. 3. Edit. ant. quod nequaquam displicet. sic Claudianus rapt. Proserp. I. I. 193.

talia voce movens.

sic *movere* pro exponere, narrare. Virgilius AEn. I. 264.

Hic tibi (fabor enim quando haec te cura remordet
Longius & volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia.

atque ita forte Ovidius Heroid. XX. 108.

Hei mihi, Cydippe, vereor tibi dicere verum
Ne videar caussa falsa movere mea.

nam *movere*, non *monere* habet codex Oxoniensis & quindecim alii. & Art. am. III. 651.

Quid juvat ambages praeceptaque parva movere,
Cum minimo custos munere possit emi.

ubi vid. Clariss. Burm. qui docet saepe commixta esse inter se *movere* & *monere.* eadem tradit Drakenb. ad Sil. Ital. II. 273. nec longe hinc abit Suetonius in Caes. c. XLII. *De pecuniis mutuis, disjecta novarum tabularum exspectatione, quae crebro movebatur, decrevit tandem.*

Infelix quae tanta rapit dementia sensum] Ed. ant. *cui*, quam non sequor, imitatus est Virgilium AEneid. v. 465.

Infelix quae tanta animum dementia cepit?

& in Ecl. VI. 47.

Ah virgo infelix, quae te dementia cepit.

dicitur autem *infelix*, qui voto suo excidit, similiter Virgilius AEn. VII. 308.

Ast ego magna Jovis conjux, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti
Vincor ab AEnea.

canis ergo eo infelix dicitur, quod cum tintinnabulum sibi praemium & honorem cuperet, id in dedecus suum ferret. *rapit* autem pro *cepit*, quod Virgilius habet, substituit Avianus, quo magis insanam animi cupiditatem notaret. Horatius Epod. VII. 13.

Furorne coecos, an rapit vis acrior,
An culpa?

Mu-

Munera pro meritis si cupis ista dari?
Non hoc virtutis decus ostentatur in aere,
Nequitiae testem sed geris inde sonum.

Munera pro meritis si cupis] Mallem

Infelix quae tanta rapit dementia sensum?
Munera pro meritis sic cupis ista dari?

Ceterum non absurdum ab hac fabula elicit ἐπιμύθιον Commentator. Non de quolibet munere dato gaudeamus, sed potius consideremus propter quem finem datum sit. & hoc est quod Anonymus fabulator XXIII. fabula monuit.

Si tibi quid detur, cur detur respice, si des,
Cui des ipse nota.

NEVELETUS. Hujus conjecturam probat Barthius Adversl. XIII. 39. Neque equidem huic refragor: Ceterum minus placet Scholiastes, dum *cupis* exponit *existimas, credis.* Non cognosco eam hujus vocabuli significationem. *cupere* hic notat, insano desiderio appetere, inde dictum Afranii Neaera. *Amant sapientes, cupiunt ceteri.* infra fab. IX. 11. citat hunc Servius ad Virgil. AEn. IV. 194. quem vide. recte autem subjungitur voci *rapi*, quacum saepe conjungitur cupiditas. Sallustius in Jug. c. XXVII. *Porro animus cupidine coecus ad inceptum scelus rapiebat.* Apposite ad hunc Aviani locum Valerius Max. V. 1. 4. *Quid agis, inquit, demens? aut quo te prava cupiditas transversum rapit?* Sed ne dissimulem, est in hac expositione, quod non omnino animum explet, verbumque *dari* leviter affectum censeo. scribi malim

sic cupis ista dare.

An *sic*, id est ex hac re (intellige jactando tintinnabulum & tripudiando, ceterosque prae te contemnendo) cupis dare ista munera pro meritis, id est ostendere ac probare ista esse munera & praemia meritorum. *Sic* pro ex hac re vel hoc modo. Florus IV. 2. 85. *Quanta fuerit hostium caedes, ira rabiesque victoribus, sic aestimari potest.* Jacobus Tollius in ora libri sui, quem possideo, legendum monuit *Victoris*, vel *hinc*, sed frustra. ita *dare munera*, infra fab. XIV. 2.

Munera naturum qui meliora daret.

apud Terent. Eun. III. 2. 23.

fac periculum in literis,
Fac in palaestra, in musicis, quae liberum
Scire aequum est adolescentem, solertem dabo.

Ostentatur]. *Ostendatur* B. L. Voss. 3. Cort. 3. sed illud praestat: admodum pravate Ed. ant. *ostendis*, quae & *in ore* habet pro *in aere*, & in versu sequenti *solum* pro *sonum* corruptissime.

Nequitiae] Quamcunque animi improbitatem designat haec vox, κακία vocatur in fabula Graeca. Sic Phaedr. II. 6. 3.

Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.

& III. 6. 15.

Tu formam ne corrumpas nequitiae malis.

vid. infra fab. XXIII. 11.

FA-

FABULA VIII.

Camelus.

Contentum propriis sapientem vivere rebus,
Nec cupere alterius, fabula nostra monet.
Indignata cito, ne stet Fortuna, recursu
Atque eadem minuat, quae dedit ante, rota.

Cor-

Contentum] *Contemptum* Voss. 3. Usque adhuc in animum inducere nequivi, hos quatuor priores versus Aviani esse, & credo, qui sensum eorum subobscurum, verbaque omnia diligenter exegerit, eum non difficulter in meam esse transiturum sententiam. Quasi autem parum esset brevissimae Auctoris fabulae quatuor versus in modum ἐπιμυθίυ adfinxisse in capite, ita alii alios praeterea sunt commenti, quos in calce subjecerunt, qui si sapuissent, dictum hoc sat fuisset, argutique ἐπιμυθίυ numeros omnes implere visum esset, quod auctor ponit

Vive minor merito, cui sors non sufficit, inquit,
Et tua perpetuum, livide, damna geme.

Sapientem] *Sapienter* Ed. ant.

Nec] *Ne* C. 1. Col. 1. neutrum recte.

Alterius] Supple *res.* Horatius Epist. 1. 14. 11.

Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.

Fabula nostra] Sic Voss. 1. Col. 2. Cort. 1. atque quos secuti sunt editores Batavi, idemque in C. 2. erat supra scriptum. Et tamen ab Auctore, non tamen Aviano, sed ejus corruptore profectum *nostra fabella*, quod hoc loco, ut & supra fab. VI. in fin. longe maxima pars Codicum veturorum praeferunt, a quo tamen abhorrebunt omnes, quibus Midae aures non sunt. homo ineptus vocem ex Phaedro 1. 26. transcripsit

Multandum simili jure fabella admonet.

adde 3. 17. Barthius haec notat, crassum, inquit, est mendum aut error in Prosodia *nostra fabella monet*, liber tamen scriptus & expositor, Poëtae naevum esse arguunt.

Indignata cito ne stet fortuna] Ubi *ne stet* editur, in libro antiquo rasura est. Glossographus *ne retrocedat mobilis fortuna:* ex illo

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.

Barthius. Versus hi Ovidii sunt Trist. v. 8. 15. in Voss. 2. pro *ne stet* exaratum est *non est et.* pro *indignata* Ed. ant. *indignato*, sed versus inquinatissimus est in B. & L. *Indignatio est fortuna.* Quae discrepantia Codicum in suspicionem maximam adducit hos versus, nam & in versu seq. pro *eadem* Ed. ant. habet *ea.* pro *quae*, *qua* est in C. 1. Col. 1. edit. Genev. & Batav. liquida tamen est eorum sententia, si aliter eōs, ac factum est in editionibus vulgatis, distinguas, hoc modo

Indignata cito ne stet Fortuna, recursu
Atque eadem minuat, quae dedit ante rota.

vide-

Corporis immensi fertur pecus isse per auras,
Et magnum precibus sollicitasse Jovem.

.Tur-

videtur in animo habuisse, quicunque haec scripsit, illos Horatii versus lib. III. Od. 10.

Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente rota funis eat retro.

de rota fortunae haec accipit Scholiastes, de qua Sidonius Apollinar. Carm. v. 295.

Fatorum currente rota.

& sane verti aut retrocedere dicebatur Fortunae rota, cum Dea haec mutaret favorem. Claudianus Bell. Get. circa fin.

Sed Dea, quae nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam.

Ammian. Marcell. XXVI. 25. *Ea victoria ultra homines Procopius sese efferens, & ignorans, quod quivis beatus versa rota fortunae ante vesperum potest esse miserrimus.* multa de hac rota fortunae congessit Broukh. ad Tibull. I. vs. ult. quibus addo Albinovanum ad Liviam 51.

Nempe per hos etiam fortunae injuria mores
Regnat, & incerta est hic quoque nixa rota.

Fertur pecus isse per auras] Volantem fingis camelum Aviane? Quidni? cum & *loqui arbores*, *feras cum hominibus gemere*, *verbis certare volucres fecerimus.* At haud durum videtur, quod est ab editionibus,

Corporis immensi fertur pecus isse per arva.

NEVELETUS. Volansne camelus & alarum remigio, an pedibus iter ad Jovem instituerit, nescio. fabulator Graecus, AEsopi nomine, fab. CC. προσγενομένην πρὸς τὸν Δία. Aphthon. XV. προσελθοῦσαν τῷ Διῒ. per eandem autem viam emersisse puto, qua canum legati, de quibus Phaedrus fab. IV. 17. ceteraque animantia omnia, cum ad Jovis nuptias properarent, in quibus fuit & illa

Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera.

vid. AEsop. fab. CV. hanc in Coelum semitam alii investigent, mihi nunc otium non est. Cum editionibus, quas Neveletus laudat, consentit Cort. 3. sed *herbas* legunt C. 3. Col. 3. Ceteri libri omnes & prisci & novi in vulgatam lectionem conspirant, quos sequor. Edit. ant. pro *isse* corrupte habet *iste*. ut hic Avianus *pecus* de Camelo, sic Aurel. Vict. pag. 177. *pecus Camelorum.*

Et magnis precibus] Mallem quod libri Pulman. duo, & Palatinae Schedae cum editionibus volunt.

Et magnum precibus sollicitasse Jovem.

NEVELETUS. Non dubitavi reponere *magnum*. id enim MSS. omnes praeferunt. si a C. 3. Col. 3. & Cort. 3. discedas, qui *magnis* retinent, id quod praeter Neveletum etiam Pulmannus edidit, alii *magnum* receperunt: sic supra fab. IV. 2.

Jurgia cum magno conseruere Jove.

tametsi autem etiam Dii alii Poëtis *magni* dicuntur, hoc tamen nomine peculiariter gaudet Jupiter. Varronis est in Catalectis

& quondam audivi dicier
Jovi ipsi magno noluit concedere.

Horatius Od. I. 10. 5.

Te canam magni Jovis & Deorum
Nuncium.

Vid. Scheffer. ad Phaedrum fab. IV. 17.

Tur-

Turpe nimis cunctis irridendumque videri:
Insignes geminis cornibus ire boves;

Et

Turpe nimis cunctis irridendumque videri] Insignis librariorum error vitiavit hunc versum; deferunt hic nos Codices omnes, qui quasi data opera in eundem errorem sese proruunt; si quid tamen ingenio meo creditur, ita scripsit Avianus

Turpe nimis gibbis se, ridendumque videri.

se turpe dixit Camelus, quasi turpe aliquod negotium. vid. supra fabula I. 14. Graeci hic non invenuste vocem χρῆμα addunt, ad significandum excessum aliquem cum in bonam, tum in malam partem. Vigerius de Idiotism. c. 3. sect. 12. reg. 1. adde Perizon. ad AElian. Var. Histor. 1, 3. Mol ad Longin. Pastoral. lib. IV. sub init. *turpe* autem deforme notat Phaedrus fab. III. 4.

Quando & formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

quod *gibbis* emendavi, adjuvatur a Gabria fab. XXXIV.

Κυρτὴ Θεὸν Κάμηλος ἐζήτει κέρα.

Gibberosus Deum Camelus rogabat cornua.

Neveletus *cornua curva* vertit, quod abhorret a genio linguae Graecae. de gibbis Camelorum haec prodit Plinius Nat. Hist. VIII. 18. *Camelos inter armenta pascit Oriens, quorum duo genera Bactriani & Arabici: differunt, quod illi bina habent tubera in dorso, hi singula, & in pectore alterum, cum incumbant.* Gibberosi autem deformium foedissimi inter homines habebantur, quod colligimus ex voto Maecenatis prae vita quaeque turpissima optantis. Vid. Senec. ep. 101.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce sustine.

patebantque risui & ludibrio. Plinius Nat. Histor. XXXIV. 3. locus pravissime editus, distinctusque est. eum ita emendo. *Accessio candelabri talis fuit. Theonis jussu praeconis*, Clesippus fullo, *gibber & praeterea alio foedus adspectu (emente id Gegania sestertiis L. eademque ostentante emtum) ludibrii caussa nudatus, atque impotentia libidinis receptus in torum, mox in testamentum, praedives numinum vice illud candelabrum coluit & hanc Corinthiis fabula addixit.* nempe vasis hoc candelabrum, id est fabula narrabat, candelabrum hoc fuisse ex aere Corinthiaco. adde Suetonium de illustr. Gram. c. IX. & Martialem epigr. XIV. 182. de Thersite monstro illo ridiculo & ad deformitatem insigni, Homerus Il. β. 217.

τὼ δέ οἱ ὤμω
Κυρτώ, ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε.

Et ipsius humeri curvi in pectus contracti.

videri hic notat sive esse, de quo vid. Vorst. ad Sulpic. Histor. Sacr. I. 7. sive conspicuum esse. Cicero in Phoenomenis ex Arato

Huic supra duplices humeros adfixa videtur
Stella micans, tali specie talique nitore.

& 136.

A malo ad puppim, cum lumine clara videtur.

Quinimo non invenuste legi posset *videnti*, quo sensu Virgilius dixit *tuenti* AEn. II. 604.

Ad-

Et solum nulla munitum parte camelum;
Objectum cunctis expositumque feris.
Jupiter adridens, postquam sperata negavit,

Adspice: namque omnem, quae nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi.

& AEn. IX. 65.

Haud aliter Rutulo muros & castra tuenti
Ignescunt irae.

ridendum videnti idem valet, quod *ridendum visu*. supinum autem hoc modo in dativum mutat idem Virgilius Georg. IV. 272.

facilis quaerentibus.

Ad extremum observandum est, verbum *dixit* in his intelligi, de qua ellipsi admodum frequente. vid. Freinsh ad Phaedr. fab. III. 15. Perizon. ad Sanct. Min. IV. c. 5. n. 7. adde ad fab. seq. v. 18.

Et solum] *Et* habent Col. 1. 2 3. C. 1 2 3. Cort. 1. 2. 3 Voss 1. 2. 3. Edit. ant. Pulm. Neveleti. Lugdun. Genev. Batav. ceteri *sed*: forte reponendum *sed* vel *at*. pro *solum* in B. *eisdem* suppositum est

Objectum] Editio utraque *abjectum*. Nec scio, num vulgato melius. Si id mavis, *abjectum* hic erit contemtum, neque bis idem dicit Avianus. NEVELETUS. *Abjectum* praeterea tuentur Voss. 2. 3. 4 sed nihil hic muto. *Objectus* dicitur periculis & ludibriis projectus, expositus. Cicero Tuscul. Quaest. 1. 46. *Permagnum existimans, tres Olympionicas una e domo prodire. cunctari illum diutius in vita, fortunae objectum, inutile putabat ipsi.* Valerius Max. 1. 6. 11. *Corpus Imperatoris inter promiscuas cadaverum strues avium ferarumque laniatibus objectum.* VI. 1. 13. *Cn. etiam Furium Brocchum, qui deprehenderat, familiae stuprandum objecit.* Curtius IX. 4. 17. *Indomitis gentibus se objectos, ut sanguine suo aperirent ei oceanum.*

Adridens] *Irridens* Voss. 3. 4. P. Cort. 1. 2. 3. Ed. ant. suspicabat olim *at ridens*, neque id nunc displicet, tametsi vulgatam lectionem non omnino improbo. Ex priscis multi *ad* etiam cum praepositio non est, per *d*. scribebant, atque hinc error. vid. Quintilianus Institut. Orat. 1. 7. Pierius ad Virgil. Georg. II. 467. Dausq. Orthogr. Jovem hic ridentem accipe, sed ita ridentem, ut apud Virgilium AEn. X. 742. subrisisse dicitur

. mista Mezentius ira.

& Homerus Il. H. 212 de Ajace

μειδιόων βλοσυροῖσι.

& ille apud Statium VIII. 851.

formidabile ridens.

ubi vid. Barth. Apulej. Metam. VI. pag. 115. *Latissimum cachinnum extollit, & qualem solent furenter irati.* adde hic Pricaeum ad pag. 118. AEsopi fab. CC. Καὶ ὁ Ζεὺς ἀγανακτήσας, *& Jupiter iratus.* neque aliter Aphthon. fab. XV. ὁ δὲ τῆς ἀπληστίας μισήσας. *aegre ferens avaritiam.* fallit itaque nonnunquam, quod alii monuerunt. vid. Ramiresc. ad Martial. epigr. 1. 104. 4 risum esse in Diis benignitatis & concessionis signum. Adde, de Deorum risu quae congessit P. Petit. Miscell. II. 18. sic indignatus risit Jupiter, Prometheum increpans. Hesiodus Εργ. 56.

Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες
Τέρπωνται κατὰ θυμὸν, ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.
Ὣς ἔφατ', ἐκ δ' ἐγέλασσε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Ipsis namque pro igni dabo malum, quo omnes
Se oblectent animo suum malum amplectentes.

Sic

Insuper & magnae sustulit auris onus.
Vive minor merito, cui sors non sufficit, inquit,

Et

Sic ait risitque pater hominumque Deumque

an *ringi* dixit hoc modo ridere Horatius Ep. II. 2. 128. certe ita exposuit Scholiast.? Homerus Il. E. 425.

Ὥς φάτο. μείδησεν δὲ πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

antecesserat 419.

Κερτομίοις ἐπέεσσι Δία Κρονίδην ἐρέθιζον.

Mordacibus verbis Jovem Saturnium irritaverunt.

adridere autem tametsi plerumque est blandientium, ut Plautus Truc. II. 1. 14.

Bonis esse oportet dentibus laenam probam: arridere
Quisquis veniat: blandeque alloqui.

Terentius Adelph. v. 4. 10.

Clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus.

tamen etiam irascenti tribuit Silius Ital. I. 398.

Cui saevum arridens.

Sperata] Id est rogata. vid. ad fab. XXII. 7.

Sustulit auris onus] Insanierunt antiqui Grammatici, dum *bonus* ad honorem, *onus* ad gravationem referunt, ut hoc loco Expositor vetus. Isidorus in differentiis MSS. *Honus, qui ab honore descendit, retinet aspirationem, onustus vero ab onus oneris est.* BARTHIUS. *Honus*, pro quo nunc fere *onus*, non tam novitium est, quam multis videtur. vid. Gell. II. 3. Quodcunque pendet, impositum aut adfixum est, *onus* Poëtis appellatur, etiamsi per se onerosum non est, sic fab. seq. 8.

In viridi trepidum fronte pependit onus.

Imitatur id fabulator Anonymus fab. XII.

Adsuitur muro reptile muris onus.

Vive minor merito] Addunt ἐπιμυθίῳ vice editiones versus binos, qui fabulam XXV. claudunt, unde & pluribus aliis locis, ubi idem contigit, conjicere licet, Avianum eandem adfabulationem duabus inservire fabulis voluisse, aut a librariis, qui carere adfabulatione hanc fabulam arbitrabantur, evulsos a sua sede hos versus, hucque insertos fuisse, quamvis & hic quadrent optime. NEVELETUS. Quis non potius inde suspicetur, aut librarios, aut vetustos editores, cum Aviani eos versus non esse perspectum haberent, modo huic, modo illi fabulae adlevisse? versus illos agnoscit quoque Edit. ant. Ceterum Cort. 2. hic olim *sive* habuit pro *vive*, quod ab alio dein emendatum. *Merito* delet Voss. 2. sed Voss. 3. & 4. *meritis* reponunt. Ed. ant. *mentis*. Venustum sane est, si quod aliud, hoc epimythion, in quo & illud sua nitet venustate *minor merito*. sic Ausonius epigr. CV.

Vado tamen, sed dimidius: vado minor ipso
Dimidio: nec me jam locus unus habet.

Poena minor merito: Ovidius Amor. II. 2. 49. ex Pont. I. 2. 98.

merito parcior ira meo.

Scriptores alii haud minus eleganter eadem sententia pro *minor*, *intra* dixere, ut *intra meritum*; de quo loquendi genere consulantur illi, quos citavit Cl. Dukerus ad Flor. I. 3. 5. Claudianus laud. Stil. XXXI. init.

Spe major, fama melior.

Cui] *Tibi* Cort. 2. *cur* Ed. Lugd. sed typothetae auguror culpa.

Et tua perpetuum; livide, damna geme.

Inquit] *Unquam* Cort. 2. sed in margine *inquit*.

Perpetuum] *Perpetuom* Voss. 1. solet is ἀρχαΐζειν, nisi mavis *perpetuo*, unde in Voss. 2. *perpetua* defluxit. Cort. 3. *perpetue* praefert, quod & in Glossis Cyrilli invenitur. Nam quod in Neveleti editione & Genev. *perpetuam* legitur, operarum oscitantia factum puto. in monumento Pisano IN PERPETUOM: & quod citat Fabret. Inscr. pag. 754. adde ANTIQUOM Spon. Miscell. pag. 278. quae scribendi ratio minus probata fuit Quintiliani saeculo, ut ex Instit. Orat. I 4. perspicimus. Fabret. Inscr pag. 163. INGENUOS. Pro *livide* in Cort. 2. *invide*, sed *livide* erat in margine.

FABULA IX.

Viatores.

Montibus ignotis, curvisque in vallibus artum
Cum socio quidam suscipiebat iter.

Se-

Montibus ignotis] B. & L. *motibus* habent, Batavi *ignotus* ediderunt. sed malo *ignotis*, quod ceteri omnes probant. *montes ignoti* sunt vel alterius & dissitae regionis. Sic *locus ignotus*, Terentius Phorm. III. 3. 15.

Alius ab oculis illam in ignotum abducet locum?

Caesar Bel. Gal. IV. 24. *Militibus autem ignotis locis, impeditis manibus, magno & gravi onere armorum pressis.* Virgilius AEn. V. in fin.

Nudus in ignota Palinure jacebis arena.

ubi vid. Servius. Tibullus I. 2. 3.

Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.

Ovidius Trist. III. 3. 37.

Tam procul ignotis igitur moriemur in oris.

Metam. III. 24.

Cadmus agit grates, peregrinaeque oscula terrae
Figit: & ignotos montes agrosque salutat.

vel *ignotis*, id est a notitia & frequentia hominum remotis, desertis, quo sensu hic montes & valles accipere malo. Virgilius AEn. XI. 526.

Hanc super in speculis, summoque in vertice montis
Planities ignota jacet.

Artum] Sic nonnulli Codices scriptum ostentant & recte. vid. Torrent. ad Sueton. Claud. c. XVIII. Celeb. Burm. ad Trist. I. 10. 47. & quos praeterea citat Cl. Drakenb. ad Sil. VII. 280. an iter *artum* hic dictum accipiemus, quale descripsit Tacitus Annal. XV. 38. *Et obnoxia urbe artis itineribus, hucque & illuc flexis.* immo vero difficile, molestum, periculosum opis indigens, Idem Annal. III. 74. *Dux ipse arta & infensa hostibus cuncta fecerat.* sic *res artae*, Ovid. ex Pont. II. 2. 25.

Pars estis pauci potior, qui rebus in artis
Ferre mihi nullam turpe putastis opem.

Ar

Securus quodcumque malum fortuna tulisset,
Robore collato posset uterque pati.
Dumque per inceptum vario sermone feruntur,
In

Arta fames, Silius Ital. VII. 279.

> *Septos sed fraude locorum*
> *Arta fames, poenas miserae exactura Sagunti,*
> *Urguebat.*

tes *artas* & *adflictas* conjungit Florus II. 6. 31.

Securus] Batavi, sed nulla MSS. ope adjuti, *securi ut*, quod construendum, *ut securi uterque posset pati.* Horatius Serm. I. 5. 28.

> *missi magnis de rebus uterque*
> *Legati, aversos soliti componere amicos.*

Justinus XLI. 6. 1. *Magni uterque viri regna ineunt.* forte legendum,

> *Securus, quod, quodque malum fortuna tulisset.*

aut potius *quod cuique malum.* sic *quisque* de duobus vetus epigramma in fratres Cascas, cujus meminit Casaubonus ad Suetonium in Caes. in fin. quod Dempsterus ad Rosin. I. c. 18. Pentadii esse dicit

> *Occidere simul Cascae, simul occubuere*
> *Dextra quisque sua, qua scelus ausus erat.*

mox vs. 4. dicitur *uterque.* Porro *cuique* pro *cuicunque.* Prudentius Hamartag. 875.

> *Errat, quisque animas nostrorum sine oculorum.*
> *AEstimat.*

pro *malum* Voss. I. exhibet *mali.* pro *tulisset* C. I. Col. I. *dedisset* a manu prima, quod non plane contemnendum. Terentius Eun. III. 3. 2.

> *Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum.*

Virgilius AEn. IV. 653.

> *Quem dederat cursum fortuna peregi.*

AEn. X. 49.

> *Quamcunque viam dederit fortuna.*

& XI. 128.

> *Si qua viam dederit fortuna.*

Ovidius Trist. III. 7. 41.

> *Nempe dat id cuicunque libet fortuna, rapitque.*

obsequor tamen consensui ceterorum codicum, eoque promtior, quod de incertis casibus crebro *ferri* usurpatur, quum & ipsa *Fortuna* a ferendo nomen accepit. Terentius Phorm. I. 2. 88.

> *Quod sors feret, feremus aequo animo.*

Virgilius AEn. XI. 345.

> *Quid fortuna ferat populi.*

AEn. V. 357.

> *Ni me, quae Salium, Fortuna inimica tulisset.*

Posset] *Possit* Voss. I.

Robore collato] Id est junctis viribus. possit quis interpretari junctis scipionibus & clavis, quibus veteres armati vias ingrediebantur. sic infr. fab. XVIII. 5. *collatis cornibus.* sic saepe clava Herculis *robur* appellatur Poëtis.

Pati] Id est sustinendo par esse. Terentius Hecyra II. 1. 27.

> *Rus habitatum abii, concedens vobis, & rei serviens,*
> *Sumtus vestros otiumque ut nostra res posset pati.*

Phaedrus fab. I. 3.

> *Contentus nostris si fuisses sedibus,*
> *Et, quod natura dederat, voluisses pati.*

in id enim & animi & vires sociantur, quo alter alterius consilio atque auxilio adjutus, fortius mala sustineat.

Dumque] *Cumque* Cort. 2.

Inceptum] Conjicio *incertum.*

In mediam praeceps convenit ursa viam.
Horum alter facili comprendens robora cursu,
In viridi trepidum fronde pependit onus.
Ille

per incertum ferri, id est per dubiam viam, sive ut ante dixit per ignotos montes vallesque errare. Sane huic expositioni optime convenit *ferri.* Virgilius AEn. IV. 110.

Sed fatis incerta feror.

nisi mavis ad animum referre, ut *per incertum ferri* dicantur viatores dubitantes, quam potissimum viam in ignota regione locisque aviis sequerentur. eadem sententia *in incerto est*, dixit Ovidius Trist. I. 2. 31.

Rector in incerto est, nec quid fugiatve petatve,
Invenit. ambiguis ars stupet ipsa malis.

de voce *incertum* vid. Vorst. de Latin. mer. susp. c. VII. pag. 65.

Convenit] Vix placet haec lectio: nec magis multo, quod editiones *praevenit.* NEVELETUS. Belle, dum loquuntur, *cum dicto.* Juvencus

Cum dicto Judas numero comitante caterva
Advenit.

Explicator *supervenit* propter versum dictum exposuit. BARTHIUS. *Praevenit* occupavit quoque Ed. ant. sed neque hoc mihi, neque *convenit* probatur, tametsi & fab. XVII. 15. eadem vox hodie legitur. Utrumque locum inquinatum judico. de altero deinceps videbimus. hic ita purgandus

In mediam praeceps en venit ursa viam.

Virgilius Ecl. III. 50.

Audiat haec tantum, vel qui venit: ecce Palaemon.

Ovidius Fastor. I. 675.

Atque ita; quid cessas convivia solvere? dixit:
Auctor vindictae jam venit, ecce, tuae.

Horum alter facili &c.] In Ed. ant. *alter horum*, pessime. Voss. 2. *facile* habet pro *facili*, frustra. nam saepe adverbium hoc a Poëtis in adjectivum commutatur, & cum proximo substantivo construitur. Prudentius Hamartag. 278.

Haec sexus male fortis agit, cui pectore in arto,
Mens fragilis, facili vitiorum fluctuat aestu.

tametsi necesse non est hoc loco per adverbium interpretari, sed *facilis cursus* est vel inoffensus, ut Virgilius Georg. I. 40.

Da facilem cursum, atque audacibus annue coeptis.

vel citatus, agilis, sic *faciles manus* dixit Propertius II. I. 9.

Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur faciles ut premat arte manus.

necdum animum inducere potui, *premat* a Propertio esse profectum. Ovidius Fast. III. 536.

Et jactant faciles ad sua verba manus.

neque aliter fab. seq. 4.

Et facilem fraenis flectere coepit equum.

Priscianus Perieg. 1028.

Insiliant equitum faciles ut more Elephantos.

& sic *cursum agilem* dixit Statius Silv. IV. 3. 31.

Nec cursus agiles, sed impeditum
Tardabant iter orbitae tacentes.

Comprendens] *Comprehendens.* Voss. 3.

Cursu] *Gressu* Edit. ant.

Pependit onus] Ex Nasone est

Dixit & e collo dulce pependit onus.

BARTHIUS. Credo versum significa-

Ille trahens nullo jacuit vestigia gressu,
Exanimem fingens, sponte relisus humi.
Continuo praedam cupiens fera saeva cucurrit,

Et

cari, qui reperitur Fast. II. 760. hoc modo

Deque viri collo dulce pependit onus.

Heroid. IX. 98.

Praegrave compressa fauce pependit onus.

Remed. Amor. 18.

E trabe sublimi triste pependit onus.

adde ad fabulam superiorem vs. 12. in Voss. 3. pro *trepidum* est *trepidium.*

Ille trahens nullo &c.] Hoc distichon pessime in membrana corruptum atque corrosum est. BARTHIUS. Mea excerpta in priore versu nil variant. at vero in posteriore admodum turbatur, non quod *examinem* Voss. 3. & Cort. 2. legunt, aut *infingens* pro *fingens*. B. L. nam hae sunt levissimae librariorum offensae, quare & dein recte alius *exanimem* in Cort. 2. adscripsit: sed quod in his *sponte relisus*, & praesertim in posteriore hac voce *relisus* non exigua Codicum vetustorum est discrepantia. *relisit* probant Col. 3. P. A. Cort. 3. *resedit* autem Cort. 1. & Ed. ant. Batavi ediderunt *corpore lapsus*. Ceteri libri omnes, praeter eos, quos modo nominavi, cum scripti tum excusi, *sponte relisus* praeferunt. Aliquid hic latet, quod fugit acumen, aut dicam potius stupiditatem magistellorum, quod quale sit necdum invenire potui. Quid si aut *corpore fusus*, aut *sponte refusus* legamus? neutrum certe indignum, Poëta Martialis VIII. 74.

Et jacuit toto corpore fusus humi.

refusus autem pro fuso nonnunquam positum invenitur more ceterorum verborum, quae ex hac praepositione conflata sunt. Ovidius Metam. XI. 675.

Tum lecto incumbens fletu super ora refuso
Haec ait.

Praedam cupiens] *Cupiens praedam* Ed. ant. de verbo *cupere* vid. supra ad fab. VII. 16. nescio tamen an huic loco aptius *rapiens*. quod cum non intelligerent Grammaticuli (qui refingentes omnia ad suum captum, omnem leporem huic Scriptori detraxerunt, atque infic etum plane nobis reliquerunt) facile mutarunt. *rapiens* dicitur is, qui in eo est, ut rapiat, aut jam jam rapturus est. Solent autem Poëtae praesenti tempore uti, ad animi cupiditatem significandam, tametsi vere nondum res fiat, sed futura sit: pauca dabo ex Principe Poëtarum: sic AEn. II. 529.

Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur: jam jamque manu tenet, & premit hasta.

XII. 13.

Congredior: fer sacra pater & concipe foedus.

& vs. 753.

at vividus Umber
Haeret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.

per summam autem elegantiam sane Poëta noster inhiantem praedae ursam, & voto jam eam tenentem, ac mox laceraturam dicit *rapientem*. frustra autem Sanctius ex hoc usu Participiis praesentibus, ut appellantur, futuri significationem tribuit, quem vide

Et miserum curvis unguibus ante levat.
Verum ubi concreto riguerunt membra timore,
(Nam solitus mentis liquerat ossa calor.)
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver

De-

de in Minerva lib. I. c. 15. ubi adde Perizon Sic Cornelius Nepos in Hannib. c. II. *Pater*, inquit, *meus Hamilcar puerulo me, in Hispaniam Imperator proficiscens Carthagine, Jovi Optimo Maximo hostias immolavit.* proficiscens id est jamjam profecturus, ut ex re ipsa atque iis, quae sequuntur, intelligitur.

Saeva] Peculiare epitheton ursarum, quae saevire proprie dicuntur. vid. Spartian. in Get. c. v. & ibi Salmas. non vacat hoc loco: saevior solito nunc erat ursa, quod ipsa jejuna & improba fauce concitata ad praedam promtam & jam prostratam citato cursu ferebatur. pro *fera* Voss. 3. *feri* habet, mendose.

Ante] Quam voraret praedam.

Verum] *Ast* P. A. utrum eligas, parum refert. Omittendum non est, quod Ed. ant. hic exhibet *ibi* pro *ubi*. sententia haud quaquam inepta. Homo ursam conspicatus sese mortuum fingit, fera eum unguibus comprehendit, elevat, volutat, quod ut sensit homo, *ibi*, id est tum vero horrere, sanguis concrescere, ipse animo linqui atque in exanimem, quem finxerat, vere coepit abire. hoc cui probatur, is legat velim. vs. seq. pro *Nam*, *eum*. & proxime pro *Tunc olidum*, quod ediderunt Batavi, legat *Quare nidum*. certe *ibi* pro *tum* pulchre sic ponitur, ut saepe apud Terentium.

Concreto timore] Sic Ovidius ex Ponto II. II. 10. *concreto dolore*.

Grande voco lacrymas meritum, quibus ora rigabas,
Cum mea concreto sicca dolore forent.

ineptissime autem B. pro *timore* refert *rigni*, nec convenientius est *calore*, quod repositum est a manu secunda in Voss. 3.

Nam solitus mentis liquerat ossa calor.] Quanquam forte Philosophis vere dictum censebitur, mentis calorem ossa destituere eorum, qui exanimes concidunt aut jacent, Poëtis tamen convenientius erit, si hoc modo legatur

Nam solitus mentem liquit & ossa calor.

Virgilius IX. 475.

Ac subitus miserae calor ossa reliquit.

& plane confirmat emendationem nostram illud Ovidii Heroid. XIV. 37.

Mentemque calor corpusque relinquit.

Corr. I. non *calor* agnoscit, sed *vigor*, cui tu credere noli.

Tunc] *Hunc* Edit. ant. *plane* Batav.

Olidum credens, quamvis jejuna, cadaver Deserit] Φασὶ γὰρ ἄρκτον νεκρὸν μηδὲν βιβρώσκειν. *Ajunt enim ursam cadaver nequaquam gustare.* AEsop. fab. CLXVIII, cui adde fab. CCLIII. idem de leone tradit Tzetzes Chil. v. 9. dissentire tamen in eo Aristotelem Histor. animal. VIII. 6. ad illam fabulam docet Neveletus, consulendumque praecipit AElianum de animal. v. 49. Quemadmodum is locus Aristotelis interpretandus sit, disputatum vide a Gesnero de Quadrup I. pag.

Deserit, & lustris conditur ursa suis.
Sed quum securi paullatim in verba redissent,
Liberior justo, qui fuit ante fugax;
Dic, sodes, quidnam trepido tibi rettulit ursa?
Nam secreta diu, multaque verba dedit.
Multa quidem monuit, tamen haec quoque maxima jussit,
Quae

pag. 943. Ad hunc locum ita Barthius; Epitheton *olidum*, inquit, monstrat judicium hominis; tamen & bona non pauca insunt his fabellis, quae ceterorum naevos tegunt. Sed huic respondebimus in Dissertatione nostra: nequid autem eorum, quae ad Divam Criticam pertinent, cujus nunc insanum est studium, praetermisisse videamur, monendum duxi in Cort. 3. *Quamvis credens.*

Jejuna] Id est famelica. Justinus XXXVIII. 6. in fin. *Sic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.* & XLIV. 4. 5. *Ibi quoque cum inviolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo jejunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus objecit.*

Suis] *Silvis* Ed. ant. neque hoc ulli sano probabitur.

Securi] *Secura* B. L. quod rejiciendum. *securus* sine cura, Fest. Vorst. de Latin. falso susp. c. IV. exponit *sine timore* recte. sed idem denegat, recte dici *securum*, cui nihil timendum: quod ab eo dictum nolim. Sic namque Cornelius Nepos in Cim. c. ult. in extr. *Sic se gerendo, minime est mirandum, si & vita ejus fuit secura & mors acerba.* Ceterum versum hunc elegantissimum scribit Barthius.

Liberior justo] Hic versus, ut & tres sequentes, desiderantur in B. *Liberior* est in dicta ac jocos solutior, quod moneo, ne quis prava nonnullorum librorum distinctione deceptus ad *fugax* referat. Horatius Serm. I. 4. 103.

liberius si
Dixero quid, si forte jocosius.

jocus liberior, Ovidius Fast. V. 332.

Fugax] *Fugans* Cort. I. *fugax ait* Voss. 3. ex glossa irrepsit τὸ *ait*, quod hic necessarium non est. vid. supra ad fab. VIII. 7.

Quidnam] *In quid* Cort. 2. *Quodnam* Voss. 4. non placet. mutat ordinem Voss. 3. & legit *trepido quidnam.*

Rettulit] *Detulit* Cort. 3. neque hoc magis placet, metuit syllabae, qui hoc primus scripsit, sed satis imperite.

Diu.] Ant. ed. *tibi*, quod non reprobo.

Verba dedit] Sic & fab. I. 14. sed de hac locutione in Dissertatione.

Multa quidem monuit] Hic quoque versus est pulcer estque ex Marone

Pierides nos haec faciemus maxima Gallo. BARTHIUS.

aliter leguntur in Virgilio. Barthium hic memoria, ut & alias, fefellit.

Pierides vos haec facietis maxima Gallo.

vid. Ecl. X. 72. editi omnes & multi scripti *Magna quidem monuit*, sed *multa* rescripsi ex C. 3. Col. 3. A. Cort. I. nam sic interro-

 gato

Quae misero semper sunt facienda mihi:
Ne facile alterius repetas consortia, dixit,
Rur-

gato congrua magis erit responsio. Dixerat socius fugax, *multaque verba dedit*. respondet alter non tantum multa, sed & maxima. non video, quid ex illo Virgilii versu ad imitandum sibi delegit noster, magis convenit illud AEneid. III. 546.

Praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite
Junoni Argivae jussos adolemus honores.

pertinet & huc illud Terentii Andr. II. 3. 44.

Atque haud scio, an quae dixit, sint vera omnia:
Sed parvi pendo: illud mihi multo maximum est,
Quod mihi pollicitus est ipsus gnatus.

& Hecyra III. 5. 6.

Bene factum te advenisse Pamphile,
Atque adeo, quod maximum est, salvum atque validum.

pro *monuit* Ed. ant. *docuit*, eodem sensu.

Maxima jussit] Communis editionum lectio *maxime jussit*, quae quomodo huic loco quadrent, non video, nisi εἰρωνικῶς fugaciorem justo socium *maximum* vocet. Palatinus Codex *maxime jussum*. NEVELETUS. Sed nihil mutandum, tametsi *maxime* tuentur quoque C. I. 2. Col. I. 2. & Cort. I. idque secuti sunt Editores Lugdun. & Genev. Potior enim pars in *maxima* consentit, nec mirum, cum & τὸ *maxime* lex metrica improbat. praeterea recte opponuntur & prorsus eleganter *multa* & *maxima*. *monuit*, *jussit*: multa, quae usui esse possent, benevole monuit, at vero aliud quidpiam grave & maximum, & te similesque tui caveri omnino voluit ac jussit. Cornel. Fronto, *Monet propter benevolentiam*. de verbo *jubeo* vid. Nonius. Quod aliorum de hoc aliisque quam plurimis hujus Poëtae versibus judicium sit, nescio, mihi quidem, ut hic, sic plurimi haud quaquam invenusti videntur. quare neutiquam audiendos hic censeo P. & Cort I. qui *dixit*, non *jussit* obtrudere student.

Quae misero semper.] M *Qui*. Cort. 3. *semper misero* Versus inquinatissimus, forte tamen menda in una voce *facienda* residet. non enim praeceptum, quod sequitur faciendum quid monet, sed potius non faciendum atque abstinendum. an *retinenda* sc. memoria. certe aut hoc aut huic geminum desideratur, & tamen vulgata defendi potest.

Ne facile alterius] Clausula ipsa, ut fere solet, claudicat. BARTHIUS. Non nego, claudicare saepius clausulas, sed eas Aviani esse nego, idque libris vetustis testibus negare licet. Quod ad hujus fabulae clausulam attinet, nihil est, quod non suo rectoque stet talo, ab omni claudicatione remotum. Tu autem cave *alterius* hic accipias *cujusque alterius*, nam hoc si fit, frigere versum & claudicare non inficior. sed *alterius* id est illius alterius, quocum iter faciebat, & a quo destitutus ac proditus erat. Perspicimus & hoc ex *repetas consortia*, quod arguit eum significari, quocum antea fuerant consortia. hoc tametsi Latine satis dicitur, si non placet, per me licet substituatur *illius*, ut quasi ursa fugacem illum monstrasse videatur, & sane ex his facILLEILLIUS pronus est lapsus in *facile alterius*. nonnihil favet huic conjecturae, quod in Cort. I. legitur *Non facili*. in *ili* namque τοῦ *illius* reliquiae quaerendae.

In-

Rursus ab insana ne capiare fera.

Insana] Id est rabida, sic infr. XXVIII. 4. de tauro ferociore
Credidit insanum detumuisse pecus.
Horatius Od. I. 16. 15. *insanum leonem* dixit Pacuvius, ut est apud Auctorem ad Herennium II. 23. *insanam Fortunam. Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.*

FABULA X.

Eques.

CAlvus eques capiti solitus religare capillos,
Atque alias nudo vertice ferre comas;
Ad

Calvus eques] Tota haec fabula exulat ab Editione antiqua.

Capiti] Sic legendum monet Barthius, cujus sententiam confirmant Excerpta Codicum omnium, quibus sum usus, videtur tamen is in membranis suis invenisse *capitis*, id quod & ab Neveleto, Lugdunensi, Genevensi Batavisque est editum. Verum quae de hoc loco nobis in mentem venerunt, quia ampliora sunt, quam ut Notis his commode inserantur, Dissertationi ea includimus, ubi vide.

Alias] Id est alterius. ξένας est in fabula Graeca AEsopi CCLXXXVIII. apposite Ovidius Amat. III. 165.
Femina procedit densissima crinibus emtis,
Proque suis alios efficit aere suos.
Horatius Od. 3. 25. 8.
Dicam insigne, recens adhuc
Indictum ore alio

Nudo] *Nitido* Voss. 4. idemque erat supra scriptum in Cort. 3. atque ita edidit Pulmannus ex N. quod nequaquam praeter consuetudinem aliorum Scriptorum aut dictum aut correctum est. Martialis. epigr. X. 83.
Raros colligis hinc & hinc capillos
Et latum nitidae, Marine, calvae
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt, jubente vento,
Redduntur que sibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt.
Inter Spendophorum Telesphorumque
Cydae stare putabis Hermeroten.
Vis tu simplicius senem fateri?
Ut tandem videaris unus esse?
Tonsor jam reliquos metat capillos.
Calvo turpius est nihil comato.
epigramma integrum adscripsi, primum, quia optime Marini hujus & calva & casus convenit equitis nostri fato. Quam calvam si similiter galericulo abscondisset, *reliquasse capillos* dictus fuisset, (vid. Dissertationem) quos reliquari dissuadet Martialis. Dein ut docerem *sidus* rescribendum esse in versu octavo hoc modo

Sidus stare putabis Hermeroten.
Sidus hic aut lunam aut solem notat, quibus nominibus per jocum appellati sunt calvi, Auctor est Synesius de Calvitii En-

Ad Campum nitidis venit conſpectus in armis,

Et

Encomio. Καὶ μικροῦ μὲ παρῆλθεν αὐτὸ τοῦτο, τὸ πάντων εἰπεῖν οἰκειότατον, ἡ σελήνη, καὶ τῆς σελήνης, αἱ φάσεις, ἅις φαλακρῶν παῖδες ὁμώνυμοι καὶ ὁμοιοσχήμονες. καὶ γὰρ ἄρχεται Μηνοειδὴς ἡ φιλτάτη, καὶ διχόμηνος γίνεται καὶ πάλιν αμφίκυρτος. τελευτῶσα δὲ ἤδη πανσέληνος. καὶ τοὶ τοὺς ἐις ἄκρον ἐυτυχίας ἐληλακότας, αὐτοὺς λέγω τοὺς πανσελήνους, θέμις ἤδε καὶ ἡλίους καλεῖν. *Et parum omnino abfuit, quin ea prorſus a me praetermitterentur, quae huic propoſito maxime congrua eſt, lunam intelligo lunaeque facies, quibuſcum calvorum genus ejuſdem eſt nominis & figurae. Illa enim mihi ſane cariſſima corniculata primum, tum dimidiata atque aequa portione diviſa, rurſus dimidiato orbe major, denique ſinuata in orbem plenaque apparet. Quanquam qui jam ſummam felicitatem adepti ſunt, & capite quaſi plenilunium referunt, fas ſit, ſoles etiam appellari. Sidus* autem ſic ſaepe modo ſolem, modo lunam notat, vide quae in hanc rem notavit Cl. Burmannus ad Petron. c. CXIX. Porro *nitidam* Ulyſſis calvam his tradit Homerus Odyſſ. Σ. 353.

> Ἔμπης μοὶ δοκέει δαΐδων σέλας ἔμμεναι αὐτοῦ
> Καὶ κεφαλῆς.
> *Tamen mihi videtur facium ſplendor eſſe ipſiuſque*
> *Capitis.*

ſic & ipſe Poëta noſter mox vſ. 7.

> *Nam mox dejecto nituit frons nuda galero.*

Apulejus Metam XI pag. 245. *Hi capillum deraſi funditus, vertice praenitentes.* citat ad hunc locum Pricaeus illud ex Valer. IX. 12. 2. extr. de AEſchylo, *Super quem aquila teſtudinem ferens, eluſa ſplendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde atque lapidi eam illiſit.* ut autem calva *nitere*; ſic contra coma *umbrare* dicitur Silius I. 403.

> *Tum frontem Chremetis intonſam umbrante capillo.*

nam ſic legendum hunc verſum facile perſuaſit Gronov. Obſerv. IV. 18. Quanquam vero veriſſimum eſt, calvam recte dici *nitidam*, tamen hoc loco *nudo* malim, cum ob plurium manu exaratorum conſenſum, tum ob κακοφωνίαν crebro repetitae vocis in vſ. 2: 3. 7. Negandum tamen non eſt ſolerter & docte illud *Cydae* Martiali vindicaſſe Scriverium, cujus ſi diſplicere coeperit ſententia, tum mea utere.

Ad Campum] *At* Voſſ. 2. quod tu noli Scriptorum oſcitantiae tribuere, vide, quae ſupra diximus fab. VIII. 11. Campum autem Martium intellige. vid. Cl. Cortium ad Salluſtium Cat. c. XXVI. 5. in quem venit hic eques, ad campeſtrem exercitationem, de qua Suetonius in Aug. c. LXXXIII. nam hanc malo intelligi hic, quam ſolennem tranſvectionem: δρόμον nominat fabula Graeca AEſopi CCLXXXVIII. de illa Horatius Od. III. 7. 25.

> *Quamvis non alius flectere equum ſciens*
> *AEque conſpicitur gramine Martio,*
> *Nec quiſquam citus aeque*
> *Tuſco denatat alveo.*

& Virgilius AEn. VII. 162.

Conſpectus] Id eſt conſpicuus vel conſpiciendus, quae frequentius hoc ſenſu reperias. illud tamen Virgilianum eſt Georg. III. 17.

Illi

Et facilem fraenis flectere coepit equum.
Hujus ab adverso Boreae spiramina perflant,
Ridiculum populo conspiciente caput.

Nam

Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

& AEn. VIII. 587.

ipse agmine Pallas
In medio chlamyde & pictis conspectus in armis.

Apulejus Metam. x. pag. 223. *Jamque rumor publice crebuerat, quo conspectum atque famigerabilem meis miris artibus effeceram dominum.* inde *conspectior* Ovidius Metam. IV. 795.

nec in tota conspectior ulla capillis
Pars fuit.

Justinus XI. 5. 3. *Et regis stipendiarios conspectioris ingenii ad commilitium secum trahit.* Claudianus Cons. Honor. IV. 567.

Per Ligurum populos solito conspectior ires.

C. 1. & Col. 1. *Conspectus venit* habent.

In armis] Hoc quid significet, docuerunt illi, quos citat Cl. Dukerus ad Flor. I. I. 15.

Facilem] Vid. ad fabulam superiorem vs. 7.

Flectere] Perite sane artis vocabulis hic utitur noster, ut *conspectus*, *flectere*, *nitidis*, quae sane declarant, non in postremo scriptorum Romanorum numero eum esse habendum. Arma equum nituisse his equitibus, & nisi niterent, notam inussisse, aliis observatum. *Flectere* autem campestre verbum esse, cum

alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversis ineunt spatiis, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnaeque cient simulacra sub armis.

haec declarant. Horat. III. 7. 25. verba modo citavimus.

Quamvis non alius flectere equum sciens
AEque conspicitur gramine Martio.

Virgilius AEneid. x. 576.

sed frater habenis
Flectit equos: strictum rotat acer Leucagus ensem.

& I. 159.

coeloque invectus aperto
Flectit equos, cursuque volans dat vela secundo.

Hujus ab adverso] Ulcus hic latet, quod necdum sanare potui, curationem peritioribus relinquo. in Cortii 3. est *cujus* pro *hujus*. *Ab adverso* Voss. 3. mutat in *adversae*. at Cort. 2. in *abscon so*. pro *perflant*, *praestant* reponunt C. 1. 2. B. L. Voss. 2. Cort. 2. 3. quod & probatur editurque Pulmanno, Neveleto, Lugdunensi & Genevensi. aliquid tamen opis forte ita feretur,

Huic ut ab adverso Boreae spiramina perflant,
Ridiculum populus conspicit inde caput.

ut *perflant* hic sit vehementer flant, forte & *reflant* idoneum erit. *Spirare* autem dicitur etiam violentior ventus. Valerius Cato in Diris. 37.

Thracis tum Boreae spirent immania vires.

non placet τὸ *prospiciente*, quod in suis libris vulgarunt Neveletus, Lugdun. & Genev. citra MSS. auctoritatem, saltem eorum, quorum nos excerpta vidimus. *Ridiculum* dicit, quia calvities jocis ac dicteriis appetebatur. AElianus Variar. hist. XI. 4. de Agathocle Ψιλυμένης γὰρ ἀυτῆς, κατὰ μικρὸν ὑποῤῥευσῶν ἀυτῷ τῶν τριχῶν, ὅδε ἀιδόμενος. *Quum enim paullatim defluentibus capillis illud denudaretur pudore ductus*, Suetonius in

Caes.

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita quae fuit ante coma.
Ille sagax, tantis quum risus millibus esset,
Distu-

Caes. c. XLV. *Calvitii vero deformitatem iniquissime ferret, saepe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus.* adde Synesium in φαλάκρας ἐγκωμ. consulendi praeterea viri docti ad Petron. c. CIX.

Dejecto] *Dilecto* B. L. inepte.

Galero] Id est galericulo.

Discolor] Ἀλλόχροος, ἑτερόχροος. ut est in glossis. Virgilius AEn. VI. 204.

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Apposita] Id est adscititia. vid. N. Heins. ad Ovid. Heroid. ep. IX. 60.

Sagax] *Videns* Cort. 3. sed in margine *sagax*, quod nequaquam sollicitandum. Ausim tamen dejerare, non intellexisse hoc magistros, qui *quod* ei subjunxerunt, quasi *sagax* significaret intelligens, videns; quae vox & ex illorum glossis in Codicem Cortianum irrepserat. sed construendum *ille sagax distulit. Sagax* namque dicitur, qui celeriter invenit, quo sese expediat. Festus, *Sagaces appellantur multi ac sollertis acuminis.* Cicero de fin. Boni & mali II. 14. *Homines enim etsi aliis multis, tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam: mentemque & acrem & vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, & ut ita dicam, sagacem: quae & caussas rerum & consecutiones videat.*

Tantis] Id est tot. sic infra fab. XVIII. 10.

Tantorum solus viribus impar erat.

sic enim istic legendum ex membranis vetustis docebimus. adde Broukh. ad Propert. II. 16. 8.

Quum] Ita reposui ex Cort. 3. postulante id sententia, tametsi in illo legitur inverso perperam ordine *tantis risus cum.* sed & duae reliquae Cortii membranae ordinem variant, nam 1. *quod risus tantisque.* 2. *tantis risus quod,* vulgatus ordo tamen in margine fuit adscriptus, qui & mihi praestare videtur. facile *quum* in *quod* transiit, ut omnes cognatae hujus vocabuli terminationes. diximus ad Praefationem, quibus τὸ *quod* placuit, ii vocem *sagax* non intellexerunt, quod modo monuimus.

Millibus] *Milibus* Voss. 2. 3. Cort. 1. 3. & sic edidit Pulm. & vindicarunt hoc Dausq. in Orthogr. Broukh. ad Propert. I. 5. 10. errant ipsi, qui scripturae hanc differentiam librariorum errori imputant. nec refert adjectivum sit *mille*, an substantivum, quod censuit Valla, diversitas haec judicio & ratione nititur. qui antiquissimos sequebantur, per unum *L*, qui Ennium, per *L.* geminatum scripserunt, sectasque has duas in libris scriptis non tantum, sed & in lapidibus est animadvertere. sic *Milia* Fabrettus pag. 85. n. 152. pag. 162. n. 10. *millia*, pag. 106. n. 252. *mille*, pag. 230. n. 607. Gruter. Inscript. pag. 152. n. 1. & 156. n. 2. Sic & *milliarium* Fabrettus 724. Eadem porro ratio est dubiae apud veteres scripturae in his vocibus *Allia*, *Paullus*, *Cybelle*, de quibus miror disputari inter Criticos, una recte an geminata litera liquida nunc scribantur, cum certum sit, si antiquos sequimur, utroque modo recte exarari: huc pertinent *querella* & *sequella*, *Catillina* in Pan-
de-

Distulit admota calliditate jocum.
Quid? mirum positos referens fugisse capillos,

Quem

dectis Florentinis. *Aquillius*, *Duillius*, *Petillius*, *Popillius*, *Virgillius*, *cucullus*, quod natura nil differt a *cuculus*; *Pollio*, de quo Servius ad Virgil. Ecl. III. 8. 6. *Sane alii legunt Pollio, ut prima producatur, alii Polio.* an eadem ex caussa primum in *columna* produxit Lucilius in hoc versu?

Maeniu' collumnam peteret cum.

citat hunc Scholiastes Horatii Serm. I. 3. 23. Ennium certe ob id geminasse hanc litteram in multis novimus. *sello* Salmasius in Plinian. Exercit. pag. 662. vindicat, ut *villicus* Graevius ad Sueton. in Claud. c. XXXVIII. Fabretti Inscrip. pag. 2. & 38. & sexcentae aliae. An & eadem ratione ductus primam in *Scyllaceum* corripuit Virgilius AEn. III. 553. multa hic tricatur Pierius, quibus hoc modo carere possumus. sed hoc eruditorum esto judicium: & veriora forte dabit nobis Nic. Heinsius, cujus notas in hunc Poëtarum principem ab interitu nuper retraxit Cl. Burmannus. At vero praetermittenda nequaquam est lectio Codicis Cortiani 2. qui pro *milibus* habet *nubibus*. sic Livius XXXV. 49. *Rex contra peditum equitumque nubes jactat.* Graecis quoque sic νέφος. vid. viri docti ad Hebr. XII. I. Mihi quidem usque adeo probata fuit haec vox, ut parum abfuerit, quin a me alteri praeferretur, atque in contextum reciperetur, convenit tamen vulgato illud Arnobii pag. 96. edit. Plantin. *Aut spatii cujus sunt millia annorum duo, saeculorum tantis comparata cum millibus.* Claudiani Phaenic. 79.

Nec quisquam tantis e milibus ebrius audet
Ire Duci.

laudib. Stil. I. 170.

Arebant tantis epoti millibus amnes.

Virgilius AEn. I. 495. & V. 289.

quo se multis cum millibus Heros
Consessu medium tulit.

& XII. 125. Apuleji Florid. III. in fin. *Enimvero qui pueris, adolescentibus & senibus utile carmen promturus est, is in mediis millibus hominum canat.*

Distulit] Recte Interpres *distulit*, vacuavit, disjecit, admota calliditate, ut vulneri ferrum aut ignis admovetur, ea ejusdem Glossatoris sane erudita est expositio. BARTHIUS Advers. lib. XXXIX. 13. & sane verbum illud *distulit*, cum proprie hic, tum eleganter ponitur, ut infra fab. XXXI. 8.

Distulit hostiles calliditate minas.

Virgilius Georg. III. 196.

Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiaeque hiemes atque arida differt
Nubila.

Tacitus Histor. V. 23. in fin. *Castra in plano sita vi fluminis differebantur.* haud aliter *diffundere iram* dixit Ovidius Heroid. VIII. 61. nequaquam utique absimile est hoc Suetonii in Vespas. c. XXIII. *Ut invidiam aliqua cavillatione dilueret, transferretque ad sales.*

Quid? mirum] Versus hoc modo distinguendus. *Quid?* ait, quasi admiretur, hoc hominibus mirum videri. Solet autem in admiratione *quid* praemitti. Terentius Andr. III. 4. 8.

S. Non fuerunt hae nuptiae futurae. D. Quid? non?

Si

Quem prius aequaevae deseruere comae?

Ri-

& sic quoque distinguendum in Andr. IV. 1. 27.

Quid? istuc tam mirum est, de te si exemplum capit.

ut autem Terentius τὸ *est* addit, ita quoque C. 3. Col. 3. hoc loco *mirum est*. Pessime autem Voss. 3. & 4. *Quod mirum*. omittit illud *est*. Ovidius ep. III. 4. 63.

Quid mirum, lectis exhausto floribus horto,
Si duce non facta est digna corona suo.

& Fast. VI. 289.

Quid mirum, virgo, si virgine laeta ministra,
Admittit castas in sua sacra manus.

Propertius IV. 4. 37.

Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos?
Candidaque in saevos inguina versa canes?

& vs. 39.

Prodita quid mirum fraterni cornua monstri.

atque ita *nec mirum*. Idem eleg. I. 13. 29.

Nec mirum, quum sit Jove digna & proxima Laedae.

In quibus singulis *quid* disjungere velle a *mirum* plane ineptum foret, in nonnullis autem forte non inconcinnum, sed quisque obsequatur genio suo. hoc mihi persuasum est in Comicis Latinis, in quibus ut gestibus, sic distinctionibus multa sunt adjuvanda, perire nonnumquam leporem, nisi vocabulum *Quid* hoc modo a reliquis sejungitur, quia ipsam sententiam, ubi neglectum hoc fuerit, nonnunquam turbatam videmus, ut in Terentii loco Andr. I. 5. 6. cui succurrimus hac distinctione

Quid? Chremes (qui denegarat se commissurum mihi
Gnatam suam Uxorem) id mutavit, quia me immutatum videt?

Quid hoc loco cum per admirationem, tum per indignationem positum est, distinguendumque a Chremete, vidit id etiam Donatus. *Immutatum* hic mutatum notat, ut semper alias. Hoc dicit Pamphilus: an propterea Chremes mutavit sententiam, decrevitque mihi filiam suam uxorem dare, quia videt me mutatum, animumque ab Andriae amoribus solutum ad filiam suam transtulisse; id quod sane factum non est, nec fiet dein. sane solent irati sic falsam caussam sibi fingere atque objicere. Virgilius AEn. IV. 537. ubi Dido ira furens

Iliacas igitur Classes atque ultima Teucrum
Jussa sequar? quia ne auxilio juvat ante levatos
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?

Ovidius Metam. XIII. 34.

An quod in arma prior, nulloque sub indice veni
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille?

Positos referens] Pulm. ex N. & Neveletus *positos referens*, hoc ordine malim. *positos inquit*. Illustris Nic. Heins. ad Ovid. Heroid. ep. IX. 60. *appositos referens*. & sane sic Manil. Astron. lib. V.

Appositis caput immutare capillis.

testes plures dabit Pricaeus ad Apulej. Metam. pag. 671. quem adi. aliis quid sint *positi capilli* docet Gebhard. Crepund. I. 12. sed nihil muto. ipse quoque Heins. *positos* hoc loco pro *appositos* ferri posse autumat, ut dicimus *mensa posita*, *cibi appositi*.

Quem prius] Totus versus deest in B. pro *quem*, *qui* rescribit Cort. 2. sed mendose. Errat, & Voss. 2. *aequae* scribentis pro *aequaevae*, quod est cum eo natae. Claudianus epigr. VI. 16.

AE-

Ridiculo cuiquam quum sis, absolvere temet
Opposita veri cum ratione stude.

AEquaevumque videt consenuisse nemus.
AEquoreae legitur in versu hoc ab Heins. correcto ad Ovid. l. cit. sed hic error est operarum.
Ridiculo cuiquam] Hoc distichon, quod vel invitis Codicibus hinc excludendum putarem, non agnoscunt C. 1. 2. Voss. 2. 3. 4. Cort. 2. neque ei locum fecerunt in suis editionibus Lugdunenses, Genev. & Batavi. Cortii 1. id in margine rejectum exhibet. At vero Cortii tertius hunc praeterea ineptissimi hominis centonem adsuit

De risu quicunque novo sciat esse retentum
Arte magis certet, quam . . . . minis.

FABULA XI.

Olla aerea & lutea.

Arripiens geminas ripis cedentibus ollas,
Insanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diversa duas ars & natura creavit,

AE-

Arripiens] Praetuli hoc vulgatae lectioni *Eripiens*, obsecutus auctoritati Cortii 2. qui Codex omnium optimus est, cum hoc consentit porro Ed. ant. quin & *arripiens* adscriptum erat in Cort. 3. atque hoc quoque comprobasse videtur Noviomagensium Canonicorum codex alter, quem inspexit Pulmannus, tametsi in eo pravate est lectum *accipiens*. & sane rei magis aptum videtur *Arripiens*. *Eripit*, qui vi extorquet invito. *Arripit* qui vi invadit. Flumen arripiens ollas egit Virgilius AEn. IX. 561.

simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte revellit.

Lucretius VI. 658.

arripit acer
Saepe dolor denteis, oculos invadit in ipsos:
Exsistit sacer ignis, & urit, corpore serpens,
Quamcunque arripiunt partem, repitque per artus.

Horatius Art. Poët. 475.

Quem vero arripuit, tenet.

Cedentibus] Cedunt ripae, cum superjecto, ut dicit Horatius Od. I. 11. aut effuso amne, ut Livius I. 4. quasi victae cedunt vi fluminis, ac quasi *sidentes*, quae ipsa vox olim forte hic lecta est, modo ex antiquis Codicibus sit haustum, quod in altera sua editione vulgavit Pithoeus *sedentibus*. Haec expositio nunc impensius placet, eique facile posthabeo alteram, quae primum arridebat, *cedere ripae* hic dici, ut apud Virgil. AEn. III. 72.

Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.

vid. Lambin. ad Lucret. IV. 388. & Burman. ad Valer. Flacc. I. 205. adde Cic. de Divinat. II. 58. Quod autem Edit. ant. & Lugdun. *cadentibus* praeferunt, id non librariorum, sed typothetarum oscitantiae tribuo.
Sed] Voss. 3. *se*. Vellem mox pro *creavit*, *crearat* haberet, & pro

AEre prior fusa est, altera ficta luto.
Dispar erat fragili & solidae concordia motus,
In-

pro *est* in versu seq. *ast*, quae utroque pollice probarem. *Se* autem mendosum est.

Ficta] *Facta* C. 2. Col. 2. non nego, ficta, fusa, ducta omniaque omnium artificum opera *facta* etiam dici. Sed Avianus hoc loco proprie loqui amavit. Ut autem liquida omnia, ut scribit Nonius, atque ob id etiam aera liquefacta, *fundi* peculiariter dicuntur, sic lutum *fingi* Plinius Nat. Histor. XXXIV. 8. *Theodorus, qui Labyrinthum fecit, ipse se ex aere fudit.* Phaedrus IV. 18. Has artis voces observavit quoque Cicero Fam. V. 12. *Neque enim Alexander ille gratiae caussa ab Apelle potissimum pingi, a Lysippo fingi volebat*, quod in notissimis illis versibus in hunc modum iisdem pene verbis tradidit Horatius Ep. II. 1. 237.

idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit; ne quis se praeter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia.

in quibus citra Codd. MS. auctoritatem nihil mutandum. An ollae etiam ex aere fuerint, dubitarunt nonnulli: sed Servius ad Virg. AEn. VII. 662. scribit, fingi Herculem ad Geryona transvectum *olla aerea*. Scyphum nominat Macrobius V. 21. de quo vid. Kuhn. ad Pausan. in Lacon. III. 16. & notas ad Augustini Gemmas Part. 1. n. 8.

Dispar erat fragili & solidae concordia motus] Notandum τὸ *dispar* ultima brevi poni. Sic Auctor Pindari de bello Trojano ingeniosus & eruditus sic satis. vid. Commentar. ad Claud. ita fab. XVIII. 8.

Tantorum solus viribus impar erat.

Hoc vero vitium aevi est. BARTHIUS. Tu vide Vossium de Arte Gram. II. 30. ubi exempla ex Ausonio atque Prudentio profert correptae hujus syllabae. Ceterum, quod de ollis Poëta, hoc mihi de vetustis libris cum scriptis, tum impressis dicere liceat, circa hunc versum omnium esse discordem concordiam. Consentiunt in iisdem verbis, dissentiunt in verborum ordine & terminatione. *Solidae & fragilis* legit P. *fragilis* praeterea adgnoscit Cort. 3. Sed a vulgato ordine is non recedit. At vero *solido* habent B. L. Voss. 2. 3. C. 2. Col. 2. edit. Lugdun. Genev. Batav. rursus copulam *&* subducunt Cort. 2 3. tandem *motu* habent C. 2. Col. 2. Mirum autem est in tanta diversitate lectionum nullam esse, quin defendi possit. Nam *solido* qui probarunt, ii respexerunt non ollas, sed rem ipsam aut materiam. *Motu* autem est in motu, quantum ad motum. Sic Ovidius Metam. II. 282.

Dispar septenis fistula cannis.

cui adde aliud ex Ovidio, quod mox dabimus *effectu dispar. &* autem deleto, sententia exsurgit sane non improbanda, haec nempe, motus solidae ollae erat dispar fragili, vel ut est in Cort. 3. Motus fragilis erat dispar solidae. Cicero Offic. I. 22. *Sunt his alii multum dispares.* Ovidius Metam. XV. 329.

Hinc fluit effectu dispar Lyncestius amnis.

Sic enim ex castigatioribus libris hunc versum nunc editum habemus. Ex Pont. II. 10 30.

Eheu quam dispar est locus ille Getis.

Albinovanus eleg. ad Liv. 176.
Ille

Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen allisam confringeret aerea testam
Ju-

Hei mihi quam dispar huic fuit illud iter.

Genitivum autem *solidae* & *fragilis* facile tuemur. Edidimus hunc versum ita, ut eum complurium librorum testimoniis comprobatum invenimus, ita Prudentius Hamartag. 775.

Liber utrique animus, sed dispar utrique voluntas.

perperam autem vocem *motus* nonnulli hinc revulsam cum sequentibus conjunxerunt. *dispar concordia* convenit illi Horatiano Epist. I. 12. 19.

Quid velit & possit rerum concordia discors.

& Art. Poët. 374.

Ut gratas inter mensas symphonia discors.

Ovidius Metam. I. 433.

discors concordia faetibus apta est.

Denique notandum, *solidum* hic opponi *fragili*, ut apud Horat. Serm. II. I. 77.

& fragili quaerens illidere dentem
Offendet solido.

inde illustrabimus aliquando, si Deus sinet, quae Festus notavit de sella solida.

Vagus] Id est exundans, Horatius I. 2. 18.

Iliae dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus & sinistra
Labitur ripa, Jove non probante uxorius amnis.

ubi Scholiastes *vagus non recto meatu fluens; effusus & errans per ripas suas.* Martialis epigr. x. 85.

Quae cum saepe vagus premeret torrentibus undis
Tibris, & hiberno rumperet arva lacu.

Habebat iter] Olim conjiciebam rescribendum *agebat*, quod & deinceps offendi scriptum in Edit, ant. & Cort. I. & sic Ovidius Art. II. 83.

Cum puer incautis nimium temerarius ausis,
Altius egit iter.

Sidonius Apollinaris. Carm. XXII. 64.

Jamque iter ad Thebas per magnum Victor agebat.

Victor in Constantino, *quaque iter ageret.* Fabulator antiquus, quem edidit Niland. fab. II. *Duo homines, unus fallax, & alter verax, iter simul agebant.* Burman. ad Ovidium Amor. III. 3. 30. & Metam. x. 81. ut & Art. Am. II. 466. *agere* & *habere* in antiquis monumentis saepe confusa esse docet. Et tamen nunc nihil muto. Vetat enim Caesar de Bell. Civ. I. 14. *Iter ad legiones habebat.* & III. 106. *Conjectans eum in AEgyptum iter habere.* Rutilius I. 372.

Quanquam vix medium Phoebus habebat iter.

Ovidius Metam. II. 417.

Ulterius medio spatium sol altus habebat.

ubi similiter nonnulli Codices *agebat.* Paullo aliter dixit Terentius *iter habere*, Eunuch. v. 8. 35. non autem ambigendum, quin eodem sensu hic congruant *agebat* & *habebat*, ut in aliis locutionibus, Virgilius AEn. I. 578.

Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

eadem sententia AEn. x. 108. ita profertur,

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo.

Ne tamen allisam] Versus hi ita constituendi, qui pessime distinctionibus nunc pravati sunt,

Ne tamen allisam confringeret aerea testam
Jurabat: solitam longius ire viam

F *Illa*

Jurabat: solitam longius ire viam

Illa

Illa timens (ne quid levibus graviora nocerent :) Recte atque ordine haec dicuntur *aerea jurabat, ne confringeret.* Sponsorem do atque Auctorem Horatium Epod. XVI. 25.

Sed juremus in haec; simul imis saxa renarint,
Vadis levata, ne redire sit nefas:
Neu conversa domum pigeat dare lintea.

Sic *juro, ut*; Hirt. Bell. Hisp. XXVI. *Equites Romanos conjurasse omnes, qui in castris Pompeji essent, ut transitionem facerent.* adde Vorst. pag. 210. de Latin. fals. susp. Quin & *ne*, pro *quod non* usurpatum Virgilio AEn. IV 15.

Si mihi non animo fixum immotumque sederet
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali.

fuit tamen, cum opinarer hos versus ita esse scribendos

Te tamen illisam non frangam, ait aerea, testam
Et juro: sociam longius ito viam.

quod attinet ad *elisam*, cui tenaciter inhaerent scripti, editique libri omnes, ab hoc loco alienum puto, legendumque *illisam*, atque id mihi persuadere videbatur Horatius Serm. II. I. 76.

tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia; & fragili quaerens illidere dentem,
Offendet solido.

& Poëtae praestantissimi *illidi* dicunt ea, quae rapta tempestate aut fluctibus in aliquid impelluntur. Virgilius Georg. III. 261.

scopulis illisa reclamant
AEquora.

adde AEn. I 115. & 206. atque in aliis locis, quae Erythraeus notavit. Claudianus in Rufin. I. 273.

Frangitur objectu scopuli; quaerensque meatum
Spumat, & illisa montem circumtonat unda.

ubi pri. Vaticanus *elisa*, quod & videtur probare Heins. ad in Rufin. II. 222. male, siquid judico, tametsi *elisa tonitrua Coris* malo, quam *illisa*. Curtius IV. 2. 8. *Africus vero prima quaeque congesta pulsu illisa mari subruit.* malo *illisi maris.* & sane differre mihi semper visa sunt τὸ *elidere* & *illidere* potissimum hoc modo. *elidere* est laedendo vel premendo vitam excludere, ita ut *elisa*, rumpantur aut pereant, aut saltem perire faciant *illidere* vero impingere, quod aliquando etiam fit citra interitum. Sic alia est *illisa navis*, alia *elisa*. de illa Virgilius AEn. V. 204.

Infelix saxis in procumbentibus haesit.
Concussae cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.

elisae naves quae dicantur, intelligimus ex Caesare de bello Civ. III. 27. *Itaque tempore commutato tempestas & nostros texit, & naves Rhodias afflixit, ita ut ad unam constratae omnes, numero sedecim, eliderentur, & naufragio interirent. Et ex magno remigum propugnatorumque numero pars ad scopulos allisa interficeretur, pars a nostris detraheretur.* locus est elegantissimus ad demonstrandum id, quod dixi. *Naves elisae* perierunt, *hominum allisorum* (quod idem est ac *illisorum*) pars interfecta est, pars a scopulis, ad quos allisi erant, detracta. nam *detraheretur* legendum ex vetusto Codice Ursini, non *distraheretur*, quod editi omnes praeferunt, aut *extraheretur*, quod Cl. Davis. ex conjectura reposuit. Quid ergo hic est

Illa timens (*ne quid levibus graviora nocerent*,
Et quia nulla brevi est cum meliore fides.)

Quam-

est *elisam testam confringere?* anne elisa, per se fracta est? haud me fallit. Nonium *elidere* interpretari *collidere*, sed facile est hunc ex exemplis adlatis convincere. nam haud paullo doctius Servius in illo Virgilii AEn. III. 567.

Ter spumam elisam & rorantia
vidimus astra.

elisam exponit *exclusam*, *expressam*. cujus significationis plura exempla cumularemus, nisi nobis otium in hac re fecisset aut ipse Nonius, alia loca in eam sententiam illustrans, aut alii viri docti, qui erudite de hoc verbo scripserunt. Bentlejus ad Horatium od. III. 3. 59. Duker. ad Flor. III. 3. 17. Drakenb. ad Sil. III. 33. neque porro movet me, quod in Glossis invenitur *elisus*, *ἐνραγεὶς πεσών*. Desumta est glossa ex versione antiqua N. T. Marc. XIX. 18. *ῥήσσει αὐτὸν*, *allidit illum*, inde & in glossis *allido*, *ῥήσσω*. & mox vs. 20. de eodem Daemoniaco *καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς*, *& elisus in terram.* sed scribendum omnino *illisus*, quod plurimi scripserunt *ilisus*, vid. ad fab. X. 9. religiose autem id vertit Glossator *ἐνραγεὶς*, ut & praepositionis rationem habuisse videatur. Confirmatur id porro ex glossa *τοῦ inlido* & *inlisio*: illud namque *ἐνράσσω*, haec *ἔνρηξις* vertitur. Non mirum vero cum in veteri interprete, tum in Glossis atque Aviano *illisum* vel *ilisum*, & *allisum* in *elisum* transiisse, cum & in aliis scriptoribus idem evenisse, invenimus. Sic codex Bruti in citato supra Caesaris loco pro *allisam* habet *elisam*, & forte quaerentibus plura sese offerent. certe in Eginharto de vita Caroli Magni c. XXXII. inemendatum adhuc *elisit* pro *illisit*: *Subito equus, cui insidebat, capite deorsum merso* (quid ni *verso*) *decidit*, *eumque tam graviter ad terram elisit.* lege *illisit*. haec jam in chartam conjeceram, cum ecce Barthii Adversaria inspicio, atque ex iis lib. XXXIX. c. 3. disco, in prisco Codice a se inventum *allisam*, non dubitavi ergo id edere. Deinde non placet *solitam*, & minus placet *longius*. neque enim verisimile est, ollam aeream, utpote graviorem, celerius raptam, levioremque orasse, ut longius eat: & sane mox olla lutea se levem, aeream autem gravem dicit. Primum Neveletus recte *sociam* legendum conjicit. Deinde pro *longius* suspicor scribendum *comminus*, sic infra fab. XXVI. 2.

Comminus esuriens cum leo ferret iter.

& fab. XXXVI. 12.

Admotum & cultro comminus ire videt.

ubi tamen vide not. nostras. *ire viam* & recte & pluribus dictum docet Sanct. in Min. III. 3. Ad extremum *ille timens* non minima pars & scriptorum & impressorum, sed verius alii *illa*. Corruptum hoc ab iis, quibus ob distinctionem malam sensus non est perspectus. Voss. 2. hunc ordinem praefert *levibus ne quid*. Edit. ant. praeterea *ne quod* perperam. versus ita legendi & distinguendi

Ne tamen allisam confringeret aerea testam
Jurabat: sociam at longius ire viam
Illa timens (ne quid levibus graviora nocerent,
Et quia nulla brevi est cum meliore fides.)

Et quia nulla brevi est cum meliore fides] Hi sunt Atticismi temporum, fab. XIV.

Quamvis securam verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo decutiendus erit.
Nam

Brevis informem traheret cum simia natum.
BARTHIUS. Fallitur Barthius, primo quod *brevem* sic exponit eodem sensu, quo in fab. XIV. 9. secundo, quod dictum hoc *brevis simia* explodat ac false Atticismum nominet. sed de hoc videbimus deinceps. *Brevis* hic usurpatur pro homine imbecillo, tenui atque exiguarum virium, sive, ut in epilogo hic est, *pauperiore*, an hoc sensu *breviores Deos* dixerit Varro, ut refert Nonius in *Tutuli* videbimus. opportuniore loco possit & huc referri illud Claudiani de bello Gild. 108.
brevior duxi securius aevum.
ubi tamen brevis opponitur *moli*, id est magnitudini, atque ob id sequitur *ipsa docet moles*, contra *melior* in hac fabula potentiorem notat. quomodocunque autem voces singulae probentur, earum omnium inter se conglutinatio & constructio, quas parenthesi includimus, offendit, equidem hunc centonem puto ineptissimi hominis, qui plures imperitissime infersit, adumbrare autem voluit hoc Phaedri I. 5.
Nunquam est fidelis cum potente societas.
Nam illa vocula *&* quid hic significat, nisi exemplum sequi dicto priori non dissimile? quod tametsi forte sermoni saeculi sequioris convenit, tamen ab Antoninorum, imo & Theodosiorum aetate abhorrere puto. Porro quis in epigrammate tam frigidam ejusdem sententiae repetitionem ferat? aut quis unquam vel mediocris Poëta particula hac copulativa conjunxit tam dissimilem constructionem? *timet ne quid noceret*, *& quia nulla fides.* Haec atque alia, quae sordes hujus pentametri manifeste produnt, cum in mentem mihi venirent eo tempore, quo primum has fabulas diligentius cognoscere, atque apud animum pensitare institui, adulterium hunc foetum obelo notandum esse censui. Confirmata autem est haec opinio mea, posteaquam non tantum Codicum hic pugnam in constituendo hoc uno versu intellexi, quae falsitatis nota esse solet, sed etiam a nonnullis totum paene hunc versum in sede suppostitiorum, id est in epilogo, repeti sensi. Editio namque antiqua, quam possidet Burmannus, ut & ea, quae Ulmae prodiit, atque usus est olim Barthius, pentametrum hunc subnectunt, partemque epilogi faciunt, hoc modo
Pauperior caveat sese sociare potenti,
Nam brevis est illi cum meliore fides.
Ex epilogo autem ad superiorem locum, emoto inde genuino versu, qui per inscitiam minus intellectus est, traductum existimo. Ceterum in C. 2. Col. 2. *Brevis* reperitur. in B. L. Voss. 2. 3. 4. G. 3. Ed. ant. Lugdun. Genev. Batav. *Brevi est.* At vero Cort. 2. *Brevi &* habet. Pulmanni Codex ita hunc versum ordinat
Et quia nulla fides cum meliore brevi.
Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta: quare & fictorum ac spuriorum notam adspersimus
Verbis me feceris] *Me verbis* Cort. 2. non male. *fecerit* Voss. 3. pessime.
Discutiendus] Hoc probant C. 3. Col. 3. Voss. 3. 4 Cortii tres & praeterea duo Codices Pulmanni. Ceteri omnes *Decutiendus*, quod in Editionibus omnibus receptum est, praeterquam in

Nam me sive tibi, seu te mihi conferat unda,
Semper ero ambobus subdita sola malis.
Pauperior caveat sese sociare potenti,
Namque fides illi cum parili melior.

in Edit. ant. Burmanni, illud tamen ratum faciunt Lucretius VI. 38.

Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est,
Non radii solis, nec lucida tela diei
Discutiant: sed naturae species ratioque.

Valerius Maximus I. 7. 8. *Illi sermone suo metu ejus discusso, caussam exitu misero attulerunt.* & VII. 4. I. exter. I. *Ut metum metu, vim vi discuteret.*

Sive tibi seu] *Seu tibi vel* Ed. ant. quae & in versu sequente *semper ambobus ero* legit mendosissime.

Pauperior caveat,] De hoc & sequente versu jam coepi supra monere. redolent posterioris Poëtae aetatem; nostro quidem abjudicandos esse ex eo perspicimus, quod vetustissimorum librorum alii eos sejunctos a contextu in margine exhibent, ut Cortii I. & 3. alii plane excludunt, ut ex Cortianis 2. & praeterea C. I. 2. Col. I. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4. hos sequuntur ex Editoribus Lugdunensis, Genevensis & Batavus.

Namque fides illi] Vide, num editio Ulmensis melius

Nam brevis est illi cum meliore fides.

NEVELETUS. Ulmensi respondet Ed. ant. Burmanni. pro *cum parili melior*, *Comparis est melior* in C. 3. & Col. 3. quod correctum deinceps ab alio, *compar erit melior.* Cort. 3. *Cum pare erit melior.*

FABULA XII.

Rusticus, qui thesaurum invenerat.

Rusticus impresso molitus vomere terram,
Thesaurum sulcis prosiluisse videt.
Mox

Impresso molitus] Alcuinus, *Molitus, semper aliquid cum hoc verbo capiendum, quod laborem designet.* tu consule nostra ad Claudianum. BARTHIUS. Alcuini nomine Scholiastem designat. Ceterum in his Maronem imitatur Avianus, tu vide Georg. I. 45. II. 204. atque ita *impresso* Claudianus laud. Stil. II. 197. nec non *molitus* Virgilius Georg. I. 494.

Agricola incurvo terram molitus aratro.

& est haec vox rusticorum propria. Columella de Re rust. I. I. 6. *Aratroque injuncto terram moliri coguntur.* hoc addidi, ne quis scriptura Voss. 3. & Cort. I. & 2. inductus, qui *mollitus* habent, aut P. qui *mollitur.* in scirpo nodum quaerat, praesertim quum & *mollire* terram dixerint Veteres. Claud. in Paneg. de Mal. Theod. Cons. 173.

nunquam mihi cura tot annis

 Al-

Mox indigna animò properante relinquit aratra,
Semina compellen ad meliora boves.

Con-

Altera, quam duras sulcis mollire novales

Sever Sanctus Endeleich. de morte boum 41.

Mollito penitus farra dabam solo.

vid. istic Barth. hic Weitz. Ad extremum non omittendum, hanc fabulam abesse ab Edit. ant.

Vomere] *Movere* Voss. 3. stulte.

Mox indigna animo properante relinquit aratra] Pro *indigna* Cort. 3. *gaudens* rescribit, sed illud praestat: *indigna*, id est nimis nunc vilia ac fortunis novis non congrua. Propertius XII. 13. 15.

Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Jupiter? indigna merce puella perit.

Justinus XI. 15. 14. *Quae ubi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore defuncti tam indignam illo fastigio mortem lacrimis prosecutus est.* Adde Serv. ad Virg. AEn. VI. 163.

Animo properante] Id est properans vel propere. Plautus Pseud V. 2. 22. *Corde atque animo lubentissimo*, id est lubens seu lubenter. saepe in monumentis antiquis L. A. S. *Lubenti animo solvit.* Vid. Salvini Inscript. Hetrur. p. 1. n. 12. qui tamen haec verba non intellexisse videtur

EX 7. VII. O IGNATI.

id est ex centuria septima centurionis Ignati. vid. porro n. 104 105. Ovid. Fast. II. 178.

invito pectore passa Jovem.

quod Graeci ἀέκοντί γε θυμῷ. Homerus Il. Δ. 43. non intellexit hoc is, qui in Cort. 3. illud mutavit in *Properanter linquit.* recte autem manus prior *properante relinquit*, non *reliquit*, quo cum facit Cort. 1. quod non dubitavi anteponere ceterorum multitudini τὸ *reliquit* probantium, quod & editi omnes habent. Ad illud me impulit similitudo temporis in reliquis verbis hujus fabulae. ut 2. *videt*: 5. *construit*.

Semina compellens] Quaero ad quae semina? an ad pascua? sic credo nonnullos accepisse, unde in Cort. 3. qui & alibi glossas obtrudit, pascua ἀντὶ τοῦ *semina* irrepsit. Sed quis unquam pascua, semina appellavit? Voss. 2. *Femina* habet. sed neque haec vox quidquam sani habet. Ceteri omnes nil mutant. An *gramina* substituemus? certe hoc tolerabilius est, & docet Cl. Burm. ad Ovid. Fastor. I. 154. vocem *semen* in locum *graminis* transiisse. Sed est porro, quod offendit. Suspicor scripsisse Avianum

Omina repellens ad meliora boves.

Agricola conspicatus thesaurum a se inventum, mox praesagiit omina melioris vitae: quocirca, pertaesus nunc vitam agrestem & duram, relinquit aratrum & repellit a se boves nunc invisos. *ad omina meliora*, id est, cum omina meliora essent. Sic Suetonius Domit. c. VII. *Ad summam quandam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret.* Primam in *repellens* suo jure hic produxit Avianus, de quo vid. ad fab. 1. 9. hujus rei caussam cum non intelligerent librarii, promte id mutarunt. Ovidius Metam. XV. 292.

Abstulit, & media tellurem repulit unda.

Tel-

Continuo ſupplex Telluri conſtruit aras,
Quae ſibi depoſitas ſponte dediſſet opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus
Ad-

Telluri conſtruit aras.] *Telluris inſtruit* B. Voſſ. 1. 2 ed. Lugd. Genev. ſed Batav. habet *Telluris conſtruit*. ſed legendum omnino *conſtruit*. Nam aliud eſt *inſtruere*, aliud *conſtruere* aram. *Inſtruit* aram, qui ornat. vid. Illuſtr. Heinſ. & Burm. ad Ovid. Faſt. II. 318. *Conſtruit*, qui novam excitat. Tertul. de Idolol. c. VIII. quem adſcribam, ut plures inde maculas eluam. *Nec enim differt, an extruas vel exornes, ſi templum, ſi aram, ſi aediculam ejus inſtruxeris, ſi bracteam expreſſeris, aut inſignia: aut etiam domum fabricaveris. Major eſt ejuſmodi opera, quae non effigiem confert, ſed auctoritatem. Sit ita: neceſſitas exhibitionis extundit. at habent & alias ſpecies.* Nil vidit hoc loco exponendo Junius, nec mirum, inquinatiſſimus enim erat. Queritur autem Fortuna apud Avianum, cum Telluri ob inventum theſaurum aras complures excitet, ſe vel honore minimo Deorum, qui turis eſt, non impertiat. hinc porro intelligimus, rectius legi *aras*, quae ſcriptura eſt C. 1. 2. 3. Col 1. 2. 3. Voſſ 1. Cort. 1. 2. 3. quam & expreſſit Pulmannus ex auctoritate N. huic dein acceſſerunt Batav. Genev. & Lugdun. relictis iis, qui *aram* praeferebant. *Conſtruit* autem in *Inſtruit* ſaepe abiit ob vetuſtam τῦ *con* notam, quae non multum ab ea, qua *in* ſignabatur, recedebat. Feſt. niſi malis Paulus, in *Indiges. Templum conſtruxit*, ubi editio Romana anni 1475. *inſtruxit*. Poſtremo *Telluri* exhibui, non *Telluris*, quod Batavi ediderunt. ſic Suetonius Domit. c. VIII. *filio conſtruxerat*. Tellurem autem Deam Romani colebant. Horat. II. ep. I. 143. ubi conſule Viros Doctos. De ejus honoribus ac cultu vide porro, quos citant Voſſ. ad Sueton. de illuſtr. Gram. c XV. Camert. & Duker. ad Flor. I. 19. in fine.

Depoſitas] Vox propria in theſauris. Horatius Serm. I. I. 41.

Quid juvat immenſum te argenti pondus & auri
Furtim defoſſa timidum deponere terra?

Auſonius epigr. 23.

Qui laqueum collo nectebat, reperit aurum;
Theſaurique loco depoſuit laqueum

Hinc Paulus l. 31. §. I. D. de adquir. rer. Dom. *Theſaurus eſt vetus quaedam depoſitio pecuniae, cujus non extat memoria.* Quid ſi *depoſitas* hic fidei commiſſas, concreditas accipiamus? Nullus certe negare poterit, theſaurum priſcos Deo alicui commendaſſe, aut manibus, ut illi, qui in ſepulchris abdebant, de quo Rodolph. Forner. rer. quotidian. III. 18 aut Lari, qui in aedibus. vid. Plaut. prol. Aulular. ubi Lar familiaris. vſ. 6.

Sed mihi avus hujus obſecrans concredidit
Theſaurum auri clam omnis.

adde Auctorem Queroli. Appoſite Cyrillus in Gloſſis, *depono*, παρατίθημι τὸ φυλαχθησόμενον. res notiſſima ex Juriſconſultorum ſcriptis, imo & aliorum.

Sponte] Perite ſane hoc addidit, referebat enim ex reſcripto Hadriani, datane opera quis, an ſponte inveniſſet in alieno. vid §. 39. Inſt. de rer. div. adde Spartian. in Hadr. c. XVIII.

Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus.] Nihil hic variant

Admonet, indignam se quoque ture dolens.

Nunc

Codices, qui tamen omnes erroris hic facile convincuntur. Nam quis unquam fortunam *providam* dixit finxitque? improvide namque labuntur, qui Silium *Fortunam cautam* scripsisse arguunt ex hoc versu 387. lib. VII.

Si factis nondum, Minuci, te cauta probare
Erudiit Fortuna meis.

Imo quis non contra Deam hanc caecam, incertam, levem, praecipitem perstrinxit? instar omnium illud Pacuvianum erit, cujus meminit Auctor ad Herennium II. 23.

Fortunam insanam esse, & caecam & brutam perhibent Philosophi,
Saxoque illam instare globoso praedicant volubilem.
Caecam ob eam rem esse iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet.
Insanam autem ajunt, quia atrox, incerta instabilisque sit.
Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

addo & aliud Coelii Firminiani, quod recenset Scaliger in Catal. pag. 175. non quod necesse arbitror, sed ut duo inde menda tollam

O Fortuna potens ac nimium levis,
Tantum juris atrox quae tibi vindicas,
Evertisque bonos, eligis improbos &c.

lege vs. 3 *erigis* pro *eligis*. & vs. 11. *transdit* pro *transit*. Sic & aliud in *Fortunam* corruptum reperi pag. 196.

Quisquis adhuc nondum Fortunam mobile regnum,
Nec sortem varias credis habere vices.

Sic legendum arbitror, non *Fortunae.* alia sunt in hoc genere, quae levi opera corrigi possent, sed ea festinantes omittimus, atque ad Avianum redimus. deprensam autem labem quomodo eximemus? an *perfida* legendo? sic Porphyrius pag. 197. Catal. Scalig

Pauxillo Fortuna tibi res perfida, Quinte,
Extulit in fronte grande supercilium.

Sed neque sic ulcus ex omni parte persanatum arbitror. Pristinae integritati forte hoc modo restituetur versus,

Hinc Fortuna novis gaudens ita prodita rebus.

Nam primo *rebus novis*, id est turbis ac rerum omnium mutationibus. Gaudet haec Dea, summa imis aequans, & contra adflicta, & prostrata erigens. Porro *prodita* deceptam atque elusam significat, quod cum ipsa thesaurum ostendisset, honores altera ferret, ipsa nihil. Festus *prodit memoriae, porro dat & fallit*, adde Serv. Aen. IV. 231. Donat. ad Terent. Adelph. IV. 5. 58. Thesaurus autem donum Fortunae creditur, ut scribit Tryphoninus l. 63. §. 1. D. de Acquir. rer. dom. Inde Horatius Serm. II. 6. 10.

O si urnam argenti Fors quae mihi monstret.

Calpurnius Ecl. IV. 410.

Invento, si Sors dedit, utitur auro.

Et tamen defenditur quodammodo lectio vulgata, si *Fortunam providam* dicis providentem inopiam ejus, qui nunc laetatur.

Indignam] *Immunem* sola editio Batava: quam non sequor. Dolet Fortuna, cum Tellurem dignatus sit rusticus aris compluribus exstructis, sese non tantum ara, sed quoque ture, sacro vilissimo, indignam censeat. Intelligimus hinc vim vocis *Indignam*, & *quoque*, ut & *ture*. Eadem

Nunc inventa meis non prodis munera templis,
Atque alios mavis participare Deos.
Sed quum ſubrepto fueris triſtiſſimus auro,
Me

dem vis τȣ̃ *queque* eſt in fab. XVI. 9.

Se quoque tam vaſto necdum conſiſtere trunco.

Ture autem faciebant, quibus hoſtia & victima facere commodum non erat. Plautus in Poen. II. I. I.

Dii illum infelicitent omnes, qui poſt hunc diem,
Leno ullam Veneri unquam immolarit hoſtiam
Quive ullum turis granum ſacrificaverit.

ſed de hoc alias. Ab hac expoſitione verborum Aviani pendet porro intellectus verſus 12. atque potiſſimum vocis *primam*, qui hic eſt: qui nunc dives me ne poſtremo quidem Deorum honore dignatus es, dein inops me *primam* ſollicitabis.

Nunc] *Cur* Cort. 3. Correctum ſic a manu ſecunda, ſed perperam. Nam opponuntur hic duo diverſa tempora, *nunc*, id eſt cum dives es, & nihil muneris impertis, opponit tempori deinceps ſecuturo, cum inops eris.

Prodis] Sic C. 1. 2. 3 Col. 1. 2. 3. 4. Cort. 1. 2. 3. P. edit. Lugdun. Genev. & Batav. ceteri *profers*: ſed illud calculo ſuo confirmat Nic. Heinſ. ad Claud. IV. Conſ. Honor. 643. ubi ſimiliter *prodideris* & *protulerit* miſcentur. Equidem autem non cognoſco hoc verbum in ſacris & donariis uſitatum, niſi ſi forte ex ciſtis ſacra depromuntur; fortean & Heinſium feſellit memoria, qui verſum hunc ita citat

Nunc inventa meis non prodis munera ciſtis.

Succurrunt alia ſacrorum verba, ut *addo*, *reddo*, *pono*, quae quidem priſcae linguae & verſus ratio fert, non autem priſcorum librorum auctoritas. Nimis porro improba fuit Fortuna, ſi voluit omnia munera ſuis templis conſecrari, nulla relicta parte aut homini aut alii Deo. Imo partem tantum poſtulaſſe Deam, colligimus ex verſu proximo, & ex illis *mavis alios participare*, quocirca legendum.

Nunc inventa meis non partis munera templis.

fraudi fuit librariis *partis* pro *partiris*, id quod tamen doctiores Grammaticos non fugit, qui & probatiſſimos quoſque Auctores nominant, Servius ad Virg. AEn. I. 198. Ciceronem ipſum Auctorem citat. Valer. Prob. pag. 1483. Antiquiorum exempla duobus in locis adcumulat Nonius, quem inſpice, & praeterea Priſcian. lib. VIII. pag. 799. Offendit tamen, ut verum fatear, repetitio ejuſdem paene vocis in verſu ſequenti *participare*. tu elige, quod plus animo adlibuerit.

Munera] *Numina* Cort. 2. ſed illud in margine repoſitum; adde infra XXII. 3.

Subrepto] Intelligitur hinc, Fortunam imploraſſe eos, qui furto quid amiſerant. Sed ecquis mortalium eſt, cui ea non in rebus quibuſvis fatigata eſt precibus. Plinius Nat. hiſt. I. 7. *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis, omnium vocibus, Fortuna ſola invocatur: una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur & una conviciis colitur: volubilis a pleriſque vero & caeca etiam exiſtima-*

Me primam lacrimis sollicitabis inops.

Non me ridenti sed tristi cernere vultu
Fas erit, & vacua sint tibi vota tua.
Unius accepto peccat grave quisque talento,
Si quod ab hoc sumsit imputat hoc alii.

matur. &c. Pessime Cort. 2. alioqui non contemnendus, *subreptus*, pessime quoque Voss. 2. pro *Me*, *Te* substituit.

Primam] Dixi paullo ante ad vs. 8. & sane hanc nonnulli Deorum praecipuam colebant, ut ex Plinio docuimus: quanto magis reprobanda scriptura C. 3. Col. 3. in quibus *primum*.

Non me ridenti.] In Lugdunensi editione recentissima quatuor versus non habentur postremi. In Palatino Codice duo ultimi. NEVELET. Emunctae naris homo, imo non prorsus obesae facile persentiscet foetorem hujus versus & trium proximorum. Ex antiquis Codicibus non agnoscunt eos C. 1. 2. Col. 1. 2. B. Voss. 2. 3. 4. Ex impressis non tantum Lugdunensis, quam Neveletus nominavit. sed etiam Genev. & Batav. Non ab eodem homine utrumque distichon esse profectum argumento est, quod posterius nonnulli omittunt, tametsi prius ostendunt. De MSto Palatino id testatur Neveletus, a quo nil abit Cort. 2. at vero Cort. 3. ut & C. 3. & Col. 3. in margine exhibent adscriptam alterius manu.

Sint tibi vota tua.] Concinnius exoleta editio legit

sint tua vota tibi.

quem ordinem Cort. 3. quoque amat.

Accepto.] *Acceptis* Cort. 3. idem mox pro *si quod*, *si quid* reponit.

FABULA XIII.

Taurus & Hircus.

Immensum Taurus fugeret cum forte Leonem,
Tutaque desertis quaereret antra viis.

Spe-

Immensum] Ita & MSS. est autem *immensus* grandis ultra solitam mensuram. Sic Fab. XVIII. 1.

Quatuor immensis quondam per prata juvencis
Fertur amicitiae tanta fuisse fides.

Ovid.

immensos edera collecta capillos.

Ita & libri scripti. BARTHIUS Adv. XXXIX. c. 13. Ovidii ille versus est 338. Metam. lib. V. sed Ciofanius ex libris castigatioribus restituit *immissos*, idque multis probant ad VI. Met. 168. Heins. & Burm. Certiora sunt exempla, quae Barthius citat ex Statio ad Theb. X. 14. & sic supra noster fab. VIII. 5.

Corporis immensi fertur pecus ipse per auras.

Viis] Visa mihi est Palatini codicis

Speluncam reperit, quam tunc hirſutus habebat,
Cinyphii ductor qui ſolet eſſe gregis.
Aſt ubi ſubmiſſa meditantem irrumpere fronte
Ob-

dicis ſcriptura haud aſpernanda.

Tutaque deſertis quaereret antra jugis.

NEVELETUS. Ex noſtris id nullus adducit & tamen illud genuinum puto; primum quod *antra* & *ſpeluncae* ad montes eſſe conſueverunt. Vid. Virgilius AEn. I. 52. & 55. Deinde quod vſ. 7. *vallis* ſit mentio, pro quo tamen legendum exiſtimo *collis*. utrocunque autem legas modo, confirmatur inde ſcriptura Palatinae membranae, nam vallis non eſt ſine monte.

Reperit] *Repetit* Voſſ. 3. & 4. quod videtur probare Gabrias, quo nomine eum vocat Neveletus, fab. XL.

Ἤλαυνε ταῦρον ἐξ ἑῆς κοίτης τράγος.

Expellebat taurum ex ſuo cubili hircus.

Poſſis namque *ſuum* referre ad taurum: porro videtur id ſuadere vocula *tunc*; tunc hircus habebat ſpeluncam, quam ipſe antea habitare conſueverat. Si cui hoc placet, neceſſe eſt, eum verſum ſecundum ita interpretari. quum taurus in viis vel jugis deſertis, ſcilicet exiſtens, ὢν dicunt Graeci, de qua ellipſi egregia multa, ut ubique ſolet, notavit Cl. Jac. Perizon. ad Sanct. Min. lib. IV. 4. 27. Quod autem ad me attinet, cum perſpecta ſint creberrima horum codicum Voſſianorum (tametſi forte non duo ſunt illi, ſed unus codex) σφάλματα, non auſim hac ſola auctoritate niti, praeſertim tanta repugnantium & meliorum multitudine.

Habebat] Id eſt habitabat, tenebat. Vid. Servius ad Virg. AEn. VII. 131. Nonius deperditorum ſcriptorum loca citavit, unum etiam Plauti, ex quo alia diligentius notata ab aliis: adde Cortium ad Salluſt. Cat. c. VI.

Cinyphii.] Diverſa eſt hujus vocabuli orthographia, in MSS. Aviani. *Cinifes* Voſſ. 3. *Cinipbei* Voſſ. 2. *Cinyphei* Cort 2. Κίνυψ dicitur Herodoto hic fluvius, Κίνυφος Straboni, adde Ciaccon. ad Mel. I. 7. 29. & ſi Suidae credimus etiam Κινύφιον eſt dictus. Quod autem per *e* ſcribitur, Cortiano 2. & nonnullis aliis conſuetudini temporis tribuendum. ſic idem ſupra fab VI. 7. *Paeoneo*. Paſſim autem nomen hoc corrupte ſcribitur. Vid. Pintian. ad Melam l. cit. Pier. ad Virg. Georg. III. 312. Heinſ. ad Ovidium Metam. V. 124. ceterum dicendo.

Cinyphii ductor qui ſolet eſſe gregis.

Oſtendit & hircum fuiſſe, & magnum ſeu grandem. Iſidorus XII. I. 9. Cinyphium maritum nominat Martialis Epigr. VII. 95. Virgilius Georg. III. 311.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci ſaetaſque comantes.

quem locum prae oculis habuiſſe videtur Avianus cum haec ſcriberet, id quod ex ſequentibus parebit.

Qui gregis eſſe ſolet.] Sonorius eſt, quod Pulmanni liber & Ulmenſis editio. *Qui ſolet eſſe gregis.* NEVELETUS. His accedit Cort 2. Scaliger catal. Vet. Poët. pag. 243.

Ducit Cinyphii lactea dona gregis.

Poſt] Malo quod Codex Palat. & Pulm. *Aſt*. NEVELETUS.
Nos

Obvius obliquo terruit ore caper;

Tri-

Nos hoc longe praetulimus. *Post* habent ceteri omnes, si a C. 3. Col. 3. Cort. 3. & A. discesseris, qui *Hunc* malunt. P. praeterea pro *ubi*, *vir* reponit per errorem.

Submissa] *Submissas* Voss. 3. qui & mox *frontes*, sed corrupte.

Meditantem irrumpere] *In* aut *ir* extritum periit in C. 3. Col. 3. Edit. ant. eleganter *meditantem* dicit, id est ad id sese parantem. Proprie namque *meditari* dicuntur ii, qui membra, aut aliud quidpiam parant, ut recte quid obire possint. Plinius Nat. hist. VIII. 3. *de Elephanto. Certum est, unum tardioris ingenii in accipiendis, quae tradebantur, saepius castigatum verberibus eadem illa meditantem nocte repertum.* Adde Servium ad Virg. AEn. IV. 171. & Acron. sive quis alius, ad Horat. od. III. 6. 24. Nonius *discere* exponit.

Obliquo terruit ore caper.] Facile est Virgilii imitatorem hic detegere, dixit Ecl. III. 8.

transversa tuentibus hircis.

Quod enim ille dixit *transversa tueri*, noster exposuit *ore obliquo terrere*. Sic *transversum* & *obliquum* permutantur inter se supra fab. III. 6. & 7. Perite autem *terruit* addit, quod hoc vultu indignationem atque iram produnt hirci. quare recte ad eum locum Servius *Transversa tuentibus hircis. Id est vestram turpitudinem indignantibus.* Quae autem addita legimus in alteram sententiam de *hirquis oculorum angulis*, vix Servio digna puto, & forte, ut multa alia, ex posterioris alicujus Commentatoris schedis, aut Magistri praeceptiunculis consarcinata sunt. Neque enim doctissimus Grammaticus *hircum* & *hirquum* distinxisset, non magis quam *cocum* & *coquum* & alia millia: porro haud quaquam mihi persuadeo, recte aut descriptum aut intellectum Suetonium, tametsi iisdem verbis idem docet Isidor. XII. I. qui temere levissima Grammaticorum commenta arripere solet. Nam *hircos* non angulos oculorum dictos puto, sed ipsos oculos ad angulum retortos in modum hircorum indignantium, aut patrantium, forte & homines, qui ejusmodi oculis sunt, ita dicti. Verius namque Philargyrus ad illum Virgilii locum, cujus tamen verba corrupte leguntur. *Hircis*, inquit, *legitur & hirquis, id est oculis acuminibus languentibus ac udis, non ignorante populo.* Postrema haec tria verba corrupta sunt, & pro *non ignorante populo* substituendum *contremiscente pupula*, aut *non rotante pupula.* *Pupula* quid sit ex illo Apuleji intelligitur, quod Priapeis addi solet, & in Praecidaneis exposuit Jan. Dousa III. 7.

Et pupularum nitidas geminas gemmulas.

Describit Virgilius in Culice, modo is sit corruptissimi, atque obscurissimi carminis auctor, 182. Versus legendi hoc modo.

Namque
Qua deducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac tenuioris erat naturae pupula telo
Icta levi.

Quid sit *natura* hoc loco ex Lucretio II. 2. 32. discimus,

Quia corpus aquae, naturaque tenuis
AEris haud possunt aeque rem quamque morari.

Cetera explanat Cicero de Natur. Deor. II. 57. *Quis vero opifex praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? quae primum oculis membranis tenuissimis vestivit & sepsit.* Ubi & mox de

Tristis abit, longaque fugax de valle locutus
(Nam

de pupula. *Pupula* autem *contre miscens* quae sit, recte exponit Philargyrus ex hoc Juvenalis versu VII. 241.

Oculos in fine trementes.

& *patrantem ocellum*, ex Persio I. 18. *connivens lumen* Apulejus dixit, cujus versus ita corrigo.

Dum creber ictus connivente lumine,
Trepidante cursu, Venere & anima fessula
Ejaculet.....

Redimus ad Avianum, is autem Virgilii loco supra citato

Transversa tuentibus hircis.

non oculos hircos, sed hirsutos, Gregum Ductores interpretatus est, quae & verior est opinio. porro & is nil abit ab ejusdem Poëtae dictis Hircum, caprum nominando, nam similiter ille Ecl. VII. 7.

Vir gregis ipse caper deerraverat.

Servius quoque caprum pro hirco dicit, cum ad VI. 9. scribit *in capro est spes haedorum.* & ad Ecl. III. 8. *hircos id est capros.* Deinde quae Varro de Re Rust. II. 3. de hirco, ea Columella VII. 6. & Palladius XII. 13. in fin. de capro praecipiunt: aliaque sunt indicia hircos his capros nominari: sic Columella de capro; *Matrem stupro supervenit.* & Palladius *Ad ineundas feminas & ante anniculum congruus.* Ex quibus constat non caeco Virgilii studio abreptum Avianum, *hircum* vocasse *caprum*, tametsi teste Gellio IX. 9. Varro eum demum Latine caprum dicendum tradidit, qui excastratus est. Hoc breviter addo, qui trium illorum Scriptorum de hircis, sive capris verba inter se comparaverit, non unum in iis mendum animadvertet. Nam in Varrone leget *cervice brevi.* ex Columella *nigro eliciet.* Adde Virg. Georg. III. 386. & in Palladio *flexis*, in *flaccidis* seu *flaccis* mutabit: has aures *infractas* dicit Plinius VIII. 57.

Abit.] *Obit* B. L. perperam.

Longaque fugax de valle.] Quid sit hic *vallis longa* parum perspicio, nil hic opitulantur Codices. Voss. 4. *fugit.* 3. *fuit* habet, & Cort. I. *fugaux*: at vero B. & L. *de* omittunt, & pro *valle*, *vale* scribunt. quibus nihil extricant. Rescribo, *longeque fugax. Longe fugax* est valde & vehementer fugax. Ovidius Metam. XI. 771.

Visa fugit Nymphe: veluti perterrita fulvum
Cerva lupum, longeque lacu deprensa relicto
Accipitrem fluvialis anas.

Heroid. XV. 217.

Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sapho.

Art. Aman. I. 607.

Colloquio jam tempus adest, fuge rustice longe.

Ex Pont. 2. 7. 11.

Saepe canem longe visum fugit agna.

Liber est Varronis citatus Nonio in *errum* & *convenire; longe fugit, qui suos fugit.* Prudentius advers. Symmach. II. 900.

Ite procul gentes, consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei, discedite longe.

Adde Nonium in *longe.* hinc corrige in Catal. Scalig. pag. 191.

Ingentes Dominos, & famae nomina clarae,
Illustrique graves nobilitate domos,
Devita, & longe cautus fuge.

Nunc male legitur *vivus cole.* adde epigramma praecedens ejusdem sententiae, & videbis me vera monuisse Quod autem dein sequitur ita legendum,

Vive & amicitias omnes fuge.

Fugax de valle idem est ac fugiens vallem vel a valle. Donatus

(Nam timor expulsum jurgia ferre vetat,)
Non te demissis saetosum, putide, barbis,
Il-

tus ad Terent. Eun II. 2. 31. *Magis de illo & de me veteres dicebant, quam ut nos dicimus, a me, aut ab illo.* Non tamen displicet, quod supra institui monere *de colle*, sive *de colle fugax*, sive *de colle locutus*. Ex glossa irrepsit in C. 3. Col. 3. Cort. 3. *est* post *locutus*.

Jurgia ferre] Danda sunt saeculo plurima, neque ad vete ris locutionis trutinam expendenda posterioris aevi scripta Hic enim quomodo Latine dici queat *jurgia ferre* pro inferre, quomodo hic sumendum, haud satis intelligo. Eget praeterea explicatione hic locus, de quo nihil addam, tantum de sinceritate lectionis dubitare me fatebor. NEVELETUS. Tu vide quae huic reposuimus in Dissertatione.

Demissis,] *Dimissis* B. L. neque aliter Voss. 2. & Cort. 2. sed in Cort. 3. *demissis* ex correctione alterius manus Miror *dimissis* placuisse Pulmanno. *Demissa barba* dicitur longe dependens, ut *demissa tunica*, Horatius Serm I. 2. 25.

Malchinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus.

Et 99.

Ad talos stola demissa.

Jul. Capitol. in Ver c. x. *Barba prope barbarice demissa.* adde Serv. ad Virg. Ecl VIII. 34 sic *capillum demissum*, nonnulli Valerii Maximi Codices I. 7. ex. 7. & Ovidii ni fallor omnes. Metam. VI. 288.

stabant cum vestibus atris,
Ante toros fratrum, demisso crine, sorores.

Et Fast. VI. 441.

Attonitae stabant demisso crine sorores.

Eodem modo barba dicitur *immissa*, & capillus *immissus*, quod in illo Valerii loco praefert doctissimus Torrenius & Cl. Burmannus ad Ovid. Metam. VI. 168. barbam *promissam* & *prolixam* alii dixerunt. Vide Lambin. ad Corn. Nep. in Datam. c. III.

Saetosum, putide, barbis.] *Barbae* dicitur de ceteris animantibus, *barba* de homine. SCHOLIASTES. Ut Avianus sua de Virgilio, ita Scholiastes haec ex ejus interprete Servio hausit. vide Georg. III. 312. addatur Flav. Caper de Orthogr. pag. 2243. atque inde est quod Cyrillus in glossis negat, *barbam* pluralem habere. Quas cautiunculas cum refellit Sosipater, in alium ipse errorem labitur, dum *barbas* non nisi de pluribus dici monet. Prudentius namque Peristeph. x. 559.

Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum ad usque vultus omnis scinditur.

De hominibus autem non quadrupedibus canit, quod & notavit Charisius. Virg. Georg. III. 366.

Stiriaque impexis induruit horrida barbis.

Contra *barba* de quadrupedibus Phaedrus IV. 15.

Barbam capellae cum impetrassent ab Jove.

Plinius Natur. Histor. XXVIII 8. *Rabiem hircorum, si mulcetur barba, mitigari.* Martial. XIV 140.

Non hos lana dedit sed olentis barba mariti.

Adde Beroaldum Annotation. in Servium Fac. Crit. Tom. I. pag. 265. Edit ant. mutat verborum ordinem hoc modo

Non te saetosum demissis.

Porro

Illum, qui superest insequiturque tremo.
Nam si discedat, nosces, stultissime, quantum
Discrepet a Tauri viribus hircus olens.

Dum

Porro Voss. 3. *saetosis* legit, at vero Cort. 2. & 3. *setosum*, quod pro foetido necdum in scriptoribus bonis mihi occurrit. *Saeta* autem recte de durioribus pilis, quales sunt hircorum, unde *hircipili*, de quibus Festus. ita namque duorum codicum excerpta habent, quae mecum Cl. Cortius communicavit. duo tamen alii, quos ex Bibliotheca Leydensi depromptos doctissimi viri consuluerunt Benedictus, & Staveren, *Hirtipili* probant. de hoc dein videbimus. Facessat hinc porro illud *Putride*, quod praeter Cort. 2. probat quoque Edit. ant. videturque id cogitasse Cort. 1. in quo nunc *patride*.

Superest] Praestantior est, viribus & robore melior. ut in illo Virg. [Georg. III. 126.]

fluviosque ministrant
Farraque, ne blando nequeant superesse labori.

SCHOLIASTES. Sic fab. XIV. 8.

Judicio superest omnibus iste meo.

Superstare dicit Prudentius in Symmach. I. 431.

Majestatemque requires
Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas.

BARTHIUS Advers. XXXIX. 13. tu consule Gellium Noct. I. 22.

Consequiturque.] Malo quod Palatinus liber *Insequiturque*. NEVELETUS. *Qui sequiturque* C. 3. Col. 3. non nego *consequi* haud raro pro *sequi* poni, idque satis probat Nonius, & alii, sed usitatius puto de hominibus, aut feris venatoribus *insequi* dici, quam *consequi*. Virgilius Georg. I. 407.

Ecce inimicus, atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus: qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.

Ovid. Metam. X. 714.

trepidumque & tuta trementem
Trux aper insequitur.

XI. 771.

Visa fugit Nymphe: veluti perterrita fulvum
Cerva lupum; longeque lacu deprensa relicto
Accipitrem fluvialis anas. Quam Troïus Heros
Insequitur, celeremque metu celer urguet amore.

Tremo] *Tremor* in Cort. 3. a manu secunda, quod & in nonnullis Batavorum editionibus praefertur praeter omnem rationem. Videtur cogitasse Phaedrum Avianus, cum haec scriberet, fab. III. 6.

Verbis non moveor tuis,
Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Jugum flagello temperat lento meum.

Nam si discedat] Gabriae est hic locus fab. XL.

Εἴπερ με μὴ λέοντος ἐπτόει φόβος,
Ἔγνως ὅσον ταύρου τε καὶ τράγου σθένος.

NEVELETUS. Adde AEsop. fab. CCLXXXI.

Discrepet] *Discrepat* maluerunt Pulmannus & Neveletus, idque reperi in Cort. 1. atque uno ex ceteris, ipse malui majori codicum numero, quam illis editoribus accedere, praesertim cum vulgatior sit illa constructio, quam tamen nonnunquam negligunt Poëtae.

Tauri viribus] *Tauri vires*, id est

Dum cupis illatum tibimet par solvere damnum,
Absque tuo damno hocce caveto fore.

est Taurus validus, sic *vis Deum*, id est Dii potentes. Virg. AEn. XII. 197.

Haec eadem, AEnea, terram, mare, sidera juro,
Latonaeque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque Deum infernam, & duri Sacraria Ditis.

Laberius apud Macrobium Saturn. II. 7. *vires arboreas*, id est arbores.

Ut hedera serpens vires arboreas necat.

Quod frustra Pontanus in *secat* mutat. Scalig. in Catal. lib. II. init.

vis pigra elephantum.

Et paulo post

Vis maxima Solis.

Et sic *Telamonia virtus* in Culice 297. adde 325. 342. & 360. vid. Weitz. ad Val. Flac. Argon. I. 562. Gifan. ind. Lucret in *Tactus corporis*. Sciop. ad Priap. VIII. & ad Phaedr. I. fab. 13. ubi & adde Tanaq. Fabr. Keuchen. ad Seren. Sammon pag. 117. 121.

Dum cupis illatum] Exulant hi duo versus a C. I. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4. ed. Lugdun. Genev. Batav. at vero Cort 2. in margine ostendit. admodum porro dubia est scriptura, quam breviter ob oculos ponere, non autem explorare, lubet. *Cupis*, *potes* C 3. *tibimet*, *tibi* Ed ant. *par solvere*, *persolvere* Ed. ant. *tui*, *tuo*, C. 3. C. I. 3. *hocce*, *forte* C. 3. G. 3. *caveto*, *docte* Ed. ant.

FABULA XIV.

Simia & Jupiter.

Jupiter in toto quondam quaesiverat orbe,
Munera natorum qui meliora daret.
Certatim ad regem currit genus omne ferarum,
Per-

Toto orbe] *Totum orbem* Voss. 3. mendose, neque emendatius *quaesierat* pro *quaesiverat* Cort. I. 3. Ed. ant.

Munera natorum] Id est natos, sic *munus frugum* Ovidius Metam. XV. 122. & *munera somni* Fast. III. 185. & generaliter *munus* Poëtis dicitur, quicquid ab aliquo producitur. sed ne quid dissimulem, malim legere, *pignora natorum*. Prudentius Peristeph. II. 521.

Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles,
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberum.

Confunduntur autem *pignus* & *munus* in membranis vetustis. Vid. Burm. ad Ovid. Metam. VIII. 92.

Qui] Sic recte pro *quis* C. I. 2. Col. I. 2. B. L. M. 2 3. atque id ediderunt Nevelet. Lugdunenses, Genev. & Batav. vid. Scalig. ad Culic. 78. Duker. ad Flor. IV. 9. 4. & praecipue I. 18 20.

Daret] Aut significat, gigneret vel ostenderet, probaret, nempe suos natos meliores esse. vid. ad fab. VII. 16.

Ad Regem currit] *Currit ad Regem* Ed. ant. unde suspicor, Avianum scripsisse

Cer-

Permixtumque homini cogitur ire pecus.

Sed

Certatim ruit ad Regem genus omne ferarum.

Vox *ruit* venustius praepropera animantium studia, quasi ad certissimam palmam sibi destinatam, designat, dum suum cuique pulcherrimum videtur. Phaedrus V. I.

Ut mos est vulgi passim & certatim ruunt.

Omne ferarum] *Omine* habet Cort. 2. quod nequaquam displicet, si pro *ferarum* legeretur *formae.* imo vero dictio haec est elegantissima, & sensus inde oritur pulcherrimus. Ruunt festinantque omnes ex sua forma, quae & in prole conspicua, omi nantes victoriam. Usque adeo enim non in hominibus tantum, sed & in brutis feminae nulli, aut sua aut sobolis pulchritudi ne, cedunt. Observandum autem Poëtam, non Patres, sed Matres pro pulchritudine prolis sollicitas & trepidantes inducere. vid. VI. 7. quae sunt talia, ut non de plebe Poëtam arguant. Hoc dolendum, pleraque ejusmodi periisse librariorum aut Magistellorum incuria, quorum stupor ea non percepit. *genus* autem quod significetur, cum ex versibus praecedentibus, tum ex sequenti intelligitur; id quod addo, ne quis putet, simpliciter me *genus* hic accepisse, ut illos, quos refellit Cl Burmannus ad Phaedr. in prol. lib. II. init. Qui autem vulgatam retinere velit, dicat ille mihi quomodo pentameter respondeat hexametro? in hoc namque generaliter designavit, quae animantia certarunt festinare ad Regem. Quam concinne autem, si Dis placet, *genus omne ferarum*, quod priore versu posuit, mox in altero dispescuit in *hominem* & *pecus*; quod utique absurdum. Calpurnius quidem, genus omne brutorum dicturus, ita distinguit lib. III.

Et magno certamen erat sub judice Thyrsi,

Adfuit (quid si *adfluit?*) *omne genus pecudum, genus omne ferarum.*

sed is inter feras nequaquam homines recenset Si Calpurnium Poëtam tritum fuisse ludi magistris olim constaret, contenderem centonem versus posterioris inepte esse Aviani huic fabulae adsutum. Sed magis putem ex Virgilio sublectum Georg. IV. 223.

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.

Verum & alia macula superest, audacia sciolorum inusta. cur pecus cogitur ire permixtum homini? Utique enim pecus mansuetum est, quod hominem comitem non reformidat, cur ergo cogendum? Sed vide ut hic fallacia alia aliam truserit. Posteaquam enim vocem *ferarum* in versum tertium intruserunt, ex versu sequenti, eam delerunt, substituta alia, quae *pecus* est, quae hominibus istis idem significare fuit visa. sed tu versus hos duos lege hoc modo,

Certatim ruit ad Regem genus omine formae,

Et permixta homini cogitur ire fera.

Nisi hoc impensius placet.

Et permixtus homo cogitur ire ferae.

Novimus autem ex mutuo odio ac metu homines & feras, alterum alterius adspectum & consuetudinem vitare. Negare tamen nolim, vocem *ferae* tacite etiam respicere mansueta pecora. vide supra ad fab. V. II. VI. 4. *Permixtum* habet Voss 2. & Edit. ant. non *permistum*, quod nonnullae editiones ostendunt. Illud tamen in omnibus antiquis

 codi-

Sed nec squamigeri desunt ad jurgia pisces,
Vel quidquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidae ducebant pignora matres,
Judicio tanti discutienda Dei.
Hic brevis informem traheret cum Simia natum,
Ipsum

codicibus invenit Pier. ad Virg. AEn. I. 492.

Nec] *Neque* Ed. ant. in versu proximo pro *vel quidquid* Batavi ediderunt, *& quidquid*, sed causa nulla est mutandi.

Purior aura vehit] *Purior* legit B. & Edit. ant. *gerit* C. 3. Col. 3. iterum nil muto. vehitur enim avis per aëra, ut navis per aquas, quare & vocabula aquis propria ad aëra quoque traduxere Poëtae & Philosophi. Lucretius V. 276.

Semper enim quodcunque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare: qui nisi contra
Corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis,
Omnia jam resoluta forent, & in aëra versa.

adde Virgilium AEn. I. 301. VI. 19. & IV 245. taceo alios Poëtas.

Inter quos] Corrigo

Inter tot trepidas ducentes pignora matres,
Judicio tanti discutienda Dei;
Hic brevis informem traheret cum Simia natum,
Ipsum etiam in risum compulit ire Jovem.

Dum reliquae matres trepidant, & metuunt de eventu judicii hujus, atque ob id trepide (vides etiam *trepide* legi posse) ducunt suos natos, si non lente, at saltem sollicite festinantes; Simia, nec corporis dignitate spectanda, nec oris venustate amabilis, non sollicite, non trepidans ducit, sed trahit raptatque simiolum suum, lepidissimum, ut sibi persuadet, Veneris pullum, non passibus aequis sequentem, & nimis gaudia ac triumphos morantem. Quanquam autem eam sententiam, eaque verba, res ipsa, & auctoris mens postulare videtur, membranae tamen vetustae hic nos destituunt, nam quod Edit. ant. *ducabant* (corruptum ni fallor ex *ductabant*) habet pro *ducebant*, Cort. I. *indicio* pro *judicio*. Voss. 2. *tanto* pro *tanti*. Cort. 2 *Simina* (forte *Simmia*, nam frequenter *m* in medio in nonnullis codicibus geminatum reperitur, ut *squamma*) ejusmodi sunt, ut non tantum nihil adjuvent, sed etiam menda mendis, errores erroribus cumulent.

Tunc] Reposui *Hic*, quod & loci & temporis significationem habet, ac congruum magis videtur, quam *tunc* quod ex Glossa irrepsit.

Brevis Simia] Ἰδοὺ Ῥόδος, ἰδοὺ καὶ τὸ πήδημα. nempe haec est illa dictio, quam Barthius supra fab XI. 10. per risum, temporis Atticismum appellabat. at tu vide quae de ea in Dissertatione.

Traheret] Id est non satis pro animo festinantem raptaret. Virgilius AEn. II. 320. de Pantho

Victosque Deos parvumque Nepotem
Ipse trahit.

Et 457. de Andromache

Et avo puerum Astyanacta trahebat.

Quasi ergo parvulum AEneam aut Astyanacta hic suum simiolum, ingentem domus spem, traxit Simia non aequantem gradus pater-

Ipsum etiam in risum compulit ire Jovem.
Hanc tamen ante alias rupit turpissima vocem,

Dum

ternos maternosve. Vide porro quae de hac voce Servius ad AEn. II. 58. notat, & quae infra XXV. 7.

Natum] *Nattum* Voss. 2. unde fingent forte antiquarii, sed me invito, *Nattam*, de quo abunde viri docti ad Horat. Serm. VI. 124. & qui hujus ingenio delectatur, Persius Sat. III. 31. *Naecam* creditur appellasse Festus. vulgo hominum haec vocabula, ut Natus, Filius, Mater, Pater & quae alia sunt brutis animantibus tribuuntur, imo & inanimatis. Sic infr. XXXV. 1.

Fama est quod geminum profundens Simia natum.

Ipsum] *Ipse* Cort. 2. pessime. at quem Deum? qui templa coeli summa sonitu concutit. habet vim quandam τὸ *ipsum*. vid. Broeckh. ad Tibul. I. 4. 19. Majestatem oris in Jove jus dicente ex his cognosce Phaedri IV. 17.

Consedit Genitor tum Deorum maximus,
Quassatque fulmen, tremere coepere omnia.

Ceteroqui hic Deorum consessus parum aliquando a risu temperavit. Ennius apud Servium AEn. I. 25.

Jupiter hic risit, tempestatesque serenat,
Riserunt omnes risu Jovis omnipotentis.

Quos versus, ut & alios, inter Enniana fragmenta non recenset, neque etiam potuit forte, Hieronymus Columna. Sic autem ut scripsimus, legendum, non *serenae*.

Etiam] *Et* Cort. 3. sed syllaba contumax repugnat.

Ire] *Ire in risum* eleganter dictum. *ire in semen* Priap. BARTHIUS Carm. 77. versus ita leguntur.

Poenas do quoque quod satis superque est.
In semenque abeo. salaxque quondam
Non vitam perago.

In posterioribus quid corruptum. legendi

Salaxque quondam ut
Non vitam perago.

Et tamen forte pro *vitam* reponendum *venam*. Quanquam autem haec verissima Aviani lectio & omnium librorum calculo probata est, Batavi tamen substituunt *illa*. Notat autem *ire in risum* multum ridere. Virgilius AEn. IV. 413.

Ire iterum in lacrimas: iterum tentare precando
Cogitur.

AEn. XII. 528.

Nunc totis in vulnera viribus itur.

Ovidius Metam. V. 668.

Ibimus in poenas, & quo vocat ira sequemur.

Florus II. 4. 2. *Alpina Corpora humenti Caelo educata, habent quiddam simile cum nivibus suis: quae mox ubi caluere pugna, statim in sudorem eunt.* Dionys. Cato Dist. 14. 7.

Verbera cum tuleris discens aliquando magistri,
Fer patris ingenium, quum verbis exit in iram.

Hanc] *Haec* G. 2. P. A. Quid si *Et*?

Ante alias turpissima.] Haec conjungenda sunt in constructione, solet enim haec praepositio cuivis adjectivorum gradui adponi. Virgilius AEn. III. 321.

O felix una ante alias Priameïa virgo.

Florus I. 24. 2. *Ante ceteros Appius insolentia elatus est.* Virgilius AEneid. I. 350.

Dum generis crimen sic abolere cupit.
Jupiter hoc norit, maneat victoria si quem,
Ju-

sed Regna Tyri Germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.

Corn. Nep. in Attic. c. IV. in fin. *Unus ante alios fuerit clarissimus.* *Turpissima* autem dicitur simia etiam Ciceroni.

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

Eo sensu, quo supra Camelus *turpis* fab. VIII. 7. Magna est librorum in hoc versu discrepantia. P. A. & Cort. 2. legunt *Haec tamen.* Voss. tres *alios.* at vero Editiones Lugdun. & Batav. *rumpit.*

Dum] *Cum* Cort. 2.

Generis] *Genetrix* Voss. 1. Cort. 1. 2. *Genitrix* Voss. 2. 3. 4. Ed. ant. Lugd. Genev. Batav. *genus* hic prolem, filium notat. Virgilius AEn. XII. 127.

Et genus Assaraci Mnestheus.

Et 514.

Et moestum mittit Onyten,
Nomen Echionium matrisque genus Peridiae.

Crimen] Id est criminationem. frequentissime Cicero, ut in Ver. Lib. I. c. 5. *Quaerat non solum quemadmodum nostro crimini, verum etiam quo pacto suae confessioni possit mederi.* & c. 11. *Itaque non modo vos, quibus est judicandum, nostra crimina tenetis; sed etiam Populus Romanus totam accusationem causamque cognovit.* atque inde conjungitur cum vituperatione v. c. 40. *Tibi uni paream, & totius istius culpae crimen, vituperationemque inconstantiae, potius suscipiam, quam ut in te sim crudelis.* & c. 50. *Non in supplicio crimen meum vertitur,* & sic *falsum crimen* apud Terentium Hecyr. v. 2. 13.

Nam si compererit crimini tua se falso uxor credidisse.

Parum placet ad hunc locum Donatus, neque enim in Virgilii locis alia criminis significatio est, ac nos modo dedimus. Sic quoque Phaedrus III. 10. 18.

Incensus ille falso Uxoris crimine.

Non debuit ergo Hyginum sollicitare Munkerus fab. XIX. sic recte scribentem, *Hi a Patre novercae crimine excaecati sunt.*

Jupiter hoc norit, maneat victoria si quem] In MS. est *noris,* ego in fine legendum censeo *quemvis,* nam in membranis reperio *quem si,* sane ita rusticior simiae sententia, qualem esse decet tam bellae bestiae. BARTHIUS. Pro *norit* C. 3. Col. 3. Ed. ant. reponunt *novit,* at vero B. & L. *nossit.* Voss. 1. *noscit.* Porro *maneat* mutatur a C. 3. in *moneat.* Voss. 3. 4. *movet.* Ed. ant. *moverat.* Fuit, fateor, cum in his nil refingendum putarem, praeter duas extremas voculas *si quem,* ex quibus formabam *Simum.* *Simus* quis sit, docet Servius ad Virg. Ecl. x. 7. *Simae graecum est nomen, id est pressis naribus: unde & simias dicimus.* adde Isidor. Orig. XII. 2. cupio hanc vocem reddere Martiali epigr. VII. 87. ubi nunc legitur

Si Cronius similem cercopithecon amat.

Malo, *si Cronius simum.* mirum enim *simum*, id est simis naribus, quod deforme habetur, posse alicui placere. Idem VI. 39.

At ille sima nare turgidis labris.

Huic itaque simiolae proles sua simila, Σιλωνὴ non tantum visa & Satyra, quod de insanis amatoribus Lucretius IV. 1163. sed formosis quibusque praestabilior.

Et

Judicio superest omnibus iste meo.

Ergo mos homini est, quidquid sibi fecerit ipse,
Vile licet maneat, comprobat ipse tamen.
Nolo velis rerum quidquam laudare tuarum,
Alterius nisi sunt ore probata prius.

Et quanquam forte haec conjectura nonnullis placere possit, postpono tamen eam alii, quae deinceps in mentem venit, versumque hunc ita corrigit.

Jupiter hoc nolit; manet at victoria si quem.

videt Simia mater Jovem in risus effusum ob simiolum, hoc illa aegre fert & exclamat, se vel invito Jove hunc pulcherrimum omnium judicare. Sic Cicero de Orator. I. 44. *Fremant licet omnes, dicam quod sentio.* & possit videri expressum ad illud Maronis AEn. II. 104.

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridae.

In quo futurum pro praesenti positum est, si credimus Quintiliano Inst. Orat. IX. 3. quo quid ineptius? neque tamen hae Quintiliani ineptiae: excidit aliquid ex illo Quintiliani loco. Martialis VIII. 44.

Tuoque tristis filius, velis, nolis,
Cum concubino nocte dormiet prima.

Quid si ita legimus?

Jupiter huic nolit.

Cic. I. Fam. I. *Cui qui nolunt, iidem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici.*

Superest] Vid. fab. XIII. 10.

Ergo mos homini est.] Tametsi me facturum puto nullum operae pretium, tamen, ne quid videamur praetermisisse eorum, quae in vetustis membranis inveniuntur, carptim memorabimus varias quatuor horum versuum lectiones. *Sic mos est homini* Cort. I. & 3. τὸ *homini* probat quoque & Ed. ant. quae posterior & *approbat* praefert, cui consentit Cort. I. *Ni sint alterius* C. 3. Col. 3. *Ni sit alterius* Ed. ant. quae & pro *ore* recepit *laude.* eadem distichon ultimum priori praemittit. Neveletus id plane neglexit, atque a sua editione exclusit. excludunt praeterea C. I. 2. Col. I. 2. At vero B. L. Voss. 2. 3. 4. nullum versum ex quatuor agnoscunt, quos ex editoribus secuti sunt Lugdunensis, Genevensis, & Batavi. Cort. I. iis in margine locum dedit.

FABULA XV.

Grus & Pavo.

Threiciam volucrem fertur Junonius ales
Com-

Threiciam] *Thraiciam* C. I. Col. I. *Treiciam* Voss. 3. *Trayciam* Cort. I. *Trayiciem* Ed. ant. Dicam aliquid ad Festum. interim vide Servium ad Virg. AEn. III. 57. Corte de Orthogr. III. c. 6. *Treiiciae* nomen hinc formatum puto in lapide, quem citat Onuphrius de Civit. Rom. pag. 225. *Threiciam gruem* dixit & Ovidius Amat. III. 182.

Communi sociam continuasse cibo.
Namque inter varias fuerat discordia formas,
Ma-

182. Avien. progn. vs. 419. & multi alii. Babrii haec fabula est, quam nunc in iis, quae illius nomine venditantur, frustra quaeras; duos hos ex ea fabula versus conservavit Suidas in Γέρανος.

Λίβυσσα γέρανος, ὁ δὲ ταὼς εὐπήληξ
Χλωρὴν ἀεὶ βόσκοιτο χείματος ποίην.

Libyssa grus, at vero pavus pulchra crista decorus
Viridem semper depascitur hiemis herbam.

Libyssam dicit gruem, quam *Threiciam* nominat Avianus, quod hieme in Africa, & Libya, aestate in Thracia degit. AElian. histor. Animal. II. I. & III. 13. adde Bochart Hieroz. II. part. 2. c. II.

Junonius] *Junonis* Ed. ant. prave.

Continuasse] Fuit id verbum aevo cadentis Latinitatis admodum frequenti usu, ut alibi notavimus. usus eo nisi fallor & Apulejus. BARTHIUS Advers. XXXIX. c. 13. At velim monuisset Barthius, quo sensu hic accipiendum sit hoc verbi. nam qua sententia fab. XXXIV. 16. ponitur, ea cognita & probata satis est Scriptoribus classicis. *Continuasse* legunt C. 2. 3. Col. 2. 3. Voss. 2. C. I. membranae Palatinae, atque editi libri, quibus usus est Neveletus. His adde Edit. ant. Lugdun. Genev. & Batav. reliqui autem omnes cum scripti, tum editi *continuisse* praeferunt. mihi quidem horum neutrum placet. placet autem substituere *contemerasse*, id est dictis lacessisse, vel societatis jus violasse. Namque ut hic *contemerare sociam*, sic Ovidius Amor. III. 9. 63. *temeratus amicus* dicitur, ubi vid. Cl. Burman. ceterum *communis cibus* hoc loco convivium vel caenam notat. sic dictam a κοινὸς, quia tum communiter, & cum familiaribus & amicis cibum capiebant. Plutarchus Sympos. Quaest. VIII. 6. atque hinc *coenula συμπόσιον* exponitur in Glossis vetustis. memoratur & sciti hominis dictum Plutarcho Sympos. VII. in Praef. qui cum aliquando solus caenasset, se edisse isto die, non caenasse, ajebat. casus sextus hic tempus designat, atque adeo *cibo communi* sive caena, est sub vel in caena, vel caena existente. vid. Periz. ad Sanct. Min. IV. c. 4. n. 28. & c. 6. n. 7. adde infra fab. XXXIV. 5.

Namque inter varias fuerat discordia formas.] Legendum *jamque inter.* & stilus est rusticus, non observans stricte nimis tempora verborum de pavone.

Et simul erectae circumdans tegmina caudae,
Sparserat arcanum rursus in astra jubar.

BARTHIUS. *Inter varias formas*; id est in variis formis, vel in varietate formarum, seu cum formae diversae essent. crebro namque *inter* pro *in*, atque ad tempus notandum adhibetur. loca multa lexicographis notata memini. forte tamen aliquid ulceris latet, nam Ed. ant. pro *namque* habet *ast.* pro *inter varias* B. *intum arias.* *Quinttim arias* L. imo vero haec ita corrigenda.

Nam quum inter varias fuerat discordia formas,
Magnaque de facili jurgia lite trahunt:
Quid tibi? multimodo fulgent mihi membra decore:
Caeruleam faciunt livida terga gruem.

Quid

Magnaque de facili jurgia lite trahunt:
Quod sibi multimodo fulgerent membra decore,
Caeruleam facerent livida terga gruem.
Et simul erectae circumdans tegmina caudae
Sparserat arcanum rursus in astra jubar.
Illa

Quid tibi? sc. inquit Pavo. *fuerat* & *sparserat*, pro *erat*, & *spargebat* posuit noster optimos Poëtas imitatus, tantum abest, ut rusticitas haec sint appellanda. tu consule quae adversus Barthium de hac re diximus in Dissertatione nostra.

Magnaque de facili jurgia lite trahunt.] Ed. ant. *magna atque.* in Voss. 3. *traent*, quod facili opera mutandum in *trahens*, quam veram lectionem olim putavi, cum *maxima* pro *magnaque* legendum existimarem, referremque ad τὸ *discordia. jurgia de lite* dixit, quae vitae Virgilii auctor, quem Suetonium existimamus, *altercationes litis* appellavit.

Multimodo] *Multimoda* B. L. *multitudo* Voss. 2. *multimode* Ed. ant. quorum nullum prae vulgato placet.

Decore] *Decora* B. L. ut cum voce *membra* construatur tanquam adjectivum, quod equidem hoc loco fieri nolim. *honorem* appellat mox vs. 8. imitatus hoc auctor Phoenicis

Tantus ibi decor est, tantus abundat honor.

Columella lib. VIII. c. II. *Harum autem decor avium*, de pavonibus loquitur, *etiam exteros, nedum dominos oblectat.*

Caeruleam] Vid. supra ad fab. VI. 12. colorem notat per se minime amabilem. Sic *situs caeruleus* in Poëmate, quod citat Barth. Adversar. XXV. c. II. sed vid. ad vs. 12.

Facerent] Nequicquam hoc in *faciant* mutatum est ab L. B. qui & mox *gravem* receperunt ἀντὶ τοῦ *gruem*. at vero M. habet *faciam.*

Erectae] Pessime Cott. I. *ereptae.* & Voss. 2. *erectare tegmina.* an & hoc Virgilianum, ut *tegmen* umbram notet?

Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi.

AElian. Histor. Animal. V. 21. Δεηθείς γε μὴν ψυχάσαι τὰ πτερὰ ἐγείρει, καὶ ἐς τοὔμπροσθεν ἐπικλίνας συμφυῆ σκιὰν ἀποδείκνυται τοῦ ἰδίου σώματος τὴν ἄγλην τὴν ἐκ τῆς ἀκτῖνος ἀποστέγων. *Quum refrigeratio ei necessaria est, tum passis pennis, & in anteriorem partem reflexis, ex sese corpus suum opacans, caloris vim frangit & propulsat.* Phile περὶ ζώων ιδ. n. 7.

Ἀκμὴν θερινῆς φλεγμονῆς ἀποστέγει.

Vim caloris aestivi defendit.

Sed & adversus ventos hoc tegmine utitur, ut continuo addit. quare malo hic *tegmen* amictum interpretari, certe AElianus; *amictum caudae gemmantis* vocat. Pallad. de re Rust. tit. 28. lib. I. Columel. VIII. II. *Semet ipsum veluti mirantem caudae gemmantibus pennis protegit.*

Sparserat arcanum rursus in astra jubar] Quod *arcanum* jubar? scribe *sparserat arquatum* a similitudine arcus caelestis sic appellat: cujus fulgor ex adverso sole tot colores trahit. BARTHIUS. Dudum est, cum conjectura eadem in mentem mihi venit, non in-

Illa licet nullo pennarum certet honore,

His

inspectis ad id tempus his Barthii notis. & sane *arcatum* & *arcanum* in antiquis libris confusa leguntur. Vide Ovid. Metam. XI. 590. quin & ad hanc conjecturam ducebat Lucianus de Domo, ubi de pavonis cauda, Πάσχει δέ αὐτὸ μάλιστα ἐπὶ τῶν κύκλων, οὓς ἐπ' ἄκροις ἔχει τοῖς πτεροῖς, ἱερὸς τινὸς ἕκαστον περιθεούσης. *Accidit autem ipsum maxime in circulis, quos in summis pennis habet, quarum quamvis veluti iris percurrit.* at vero nunc subducta melius ratione vehementer vereor hic quidquam mutare: nam & sic de Phoenice Claudianus vs. 17.

Arcanum radiant oculi jubar: igneus ora
Cingit honos: rutilo cognatum vertice sidus
Attollit cristatus apex, tenebrasque serena
Luce secat.

Soliti autem sunt nonnulli veterum comparare inter sese Phoenicis & pavonis decorem, fulgoremque. vide Barth. ad Claud. Phoen. 16. interpretatur autem Barthius Phoenicis arcanum jubar, *suave neque fervidum.* mihi vero contra videtur sacrum ac divinum notare, & quale est solis, nam Martialis quoque epigr. VIII. 36. 9.

Et prius arcano satietur lumine Phoebi,
Nascentis Circe quam videt ora Patris.

ubi frustra nonnulli *auricomo* obtrudunt. Priscian. Perieg. vs. 1030.

Luminibusque vident rectis mirabile Solem;
Et radios oculis & sacra mente retractant,
Signaque concipiunt arcana luce futuri.

Arcanum autem Solis jubar dicitur, vel quia jubar hoc Deorum & Siderum, qui Dei existimantur, proprium est: vel quia ab hominum aditu remotum. vid. Florus II. 17. 12. pertinent & huc versus Germanici in Arateis eo in loco, ubi de planetis, ex quibus levis menda eluenda.

Hoc opus arcanis si credam postmodo Musis,
Tempus & ipse labor, patiantur fata, docebit.

In nonnullis Aviani codicibus scriptum est *archanum*, de quo Carrion ad Val. Flacc. I. 481. Adde quae nos supra tab. II. 4. de voce *rursus* III. 6. *rursus* ergo erit retroversus, a posteriore parte. Ad verbum Phile de Animal. propriet. n. 7.

Πτερῶσιν αὐτοῦ τὴν κατόπιν ἐπανιστάνει.

Plumatium suum post te erigit. *in astra* ergo erit, quod Lucianus de Domo ἀναδείξας τῷ ἡλίῳ, & Plinius X. 20. *expandit colores adverso maxime sole.* Si tamen ea non placent, per me licet magis placeat hoc modo legi,

Sparserat arcanum, prorsus ut astra, jubar

quale stellarum jubar astra fundunt, tale sparsit Pavus. Ovid. Metam. XV. 385.

Junonis volucrem quae cauda sidera portat.

Stellantes gemmas dixit idem I. Metam. 724. & Claud. in Eutrop. II. 330.

sidereas Junonis aves.

pro *sparserat* Cort. 3. *solverat*, quod non probo. a rusticitate haec vindicavimus in Dissertatione.

Certet] *Certat* Ed. ant. Sed haec tanti non est, ut ejus auctoritate mutatum hic quidquam velim, tametsi haud ignoro, nonnullis hanc constructionem probari. vide Perizon. ad Sanct. Min. III. 14. 6. in versu sequenti *tantum* pro *tamen* legit Voss. 3. 4.

His tamen insultans vocibus usa datur.
Quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
Mer-

4. pro *usu*, *usus* Ed. Ant. pessime.

Datur] *Fuit* ediderunt Batavi: id quod veterum librorum nullus comprobat. *datur* hic notat dicitur. Claud. rapt. Prof. III. 336.

Captivamque pater post praelia praedam.
Advexisse datur.

vid. supra III. 4.

Innumerus] *Innumerus ordo* sunt varii ordines plumarum colorumque, neque enim unus ordo plumarum fulget in Pavone: *πολυμόρφους συνθέσεις χρωμάτων* appellat Pisides in *κόσμου*. v. 1220. variant tamen codices in hoc loco *innumeras* C. 3. Col. 3 Voss. 3 Cort 1. & 2. Ed. ant. velim esset liber, qui *in numeros* ostenderet, vel *in numerum*, nam unice id complecterer; crederemque imitatum esse Avianum Poëtam suum, Virgilium dico: sic namque hic Ecl. VI. 27.

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres.
Ludere

Et Georg. IV. 174.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.

Quos versus idem repetit AEn. VIII 452. III. 445.

Quaecumque in foliis descripsit carmina Virgo,
Digerit in numerum.

Significat autem scite, apte, *in ordinem* exponunt Servius & Nonius. Ille praeterea a numeris musicis locutionem arcessit. eodem sensu dixerunt & *numero*, hinc Serv. ad AEn. VII. 698. *numero scripsi, hoc est ordine, congruenter, sicut decebat, rationabiliter.* Adde ad AEn. XI. 599. sed parum abest, ut opiner doctissimum hunc Grammaticum deceptum eo hujus vocis *numero* usu, quem tradit Festus in *numero*. contra *extra numerum*, id est incomposite, inepte. vid. Parei Lexic. Crit. quod *in numerum* dicit Avianus, *κατὰ στοῖχον* appellat AElian. de animal. V. 21. verba adscribo, egregie namque scriptorem nostrum illustrant, potiorumque librorum lectionem confirmant. *οὕτω τοι καὶ ἐκεῖνος τὰ πτερὰ ἐν κόσμῳ, καὶ κατὰ στοῖχον ὀρθοῖ, καὶ ἔοικεν ἀνθηρῷ λειμῶνι, ἢ γραφῇ πεποικιλμένῃ πολυχροίᾳ τῇ τῶν φαρμάκων. Καὶ ἱδρὼς πρόκειται ζωγράφοις εἰκάσαι τῆς φύσεως τὸ ἴδιον.* Quae minus accurate & plene interpretati sunt Gilius & Gesnerus. tu ita verte: *sic ille pennas sublatas ornate & in numerum dirigit, similisque videtur florido prato, vel picturae varietate colorum distinctae, & admodum difficile est pictoribus proprietatem naturae imitari.* perspicimus ex his quare *variaverit* dixerit noster. Quin observatum Bocharto Hierozoic. part. II. lib. I. cap. 20. pavum *ὄρνιθα ποικίλην avem variam* fuisse vocatam, cujus *ἀλλαττόμενα χρώματα* nominat Lucianus. Synesius de Regno. p. 16. *θέαμα ποικιλώτατον καὶ πάγχρουν* de voce *variare* vid. Bentl. ad Horat. Art. poët. vs. 2. diximus infra fab. XL. 3. olim cum primum has fabulas legendas sumsissem, notasque sub acumine stili natas adspergerem, *ordo* in *oclus* mutavi, quod memineram Argi oculos in Pavonis caudam translatos. Ovid. Metam. I. 720.

Arge jaces, quodque in tot lumina lumen habebas,

Exstinctum est: centumque oculos nox occupat una.
Excipit hos, volucrisque suos Saturnia pennis
Collocat; & gemmis caudam stellantibus implet.

memineramque hujus Ausonii epist. xx.

Nec, quia mille annos vivit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos, regie pave, tuos.

atque illius Plinii Nat. hist. x. 20. *Omnesque in acervum contrahit pennarum, quos spectari gaudet, oculos.* forte melius legetur *in acervo*, nisi mavis *in* ex usu vetusto dictum. Certe hoc dicit Plinius *in acervo*, id est, cum coacervat pennas demissa rursus cauda. *Contrahit oculos*, id est conjungit, & ordinat in illo acervo gemmas, quas spectari vult, eodem modo *oculus* in vetusto epigrammate.

Cum quatit, & caudam Junonius explicat ales,
Mille oculos, gemmas mille, decenter habet.

Quare non dubitandum, quin *capita oculata pennarum* scripserit Palladius de Re rust. I. 19. Argumque quem *oculeum* nominat Plaut. Aul. II. 6. 18. *Stellatum* dicit Ovid. Met. I. 664. & Papinius Theb. VI. 277. sed in tanto librorum omnium consensu nil temere tentandum puto. adstipulatur nostro Alcimus Avitus IV. 629. de Iride

Nec numerare queas sic mixtos lumine visus,
Multiplici illudunt diversis vultibus orbes.

Si cui tamen *oclus* impensius placet, facile ei licebit τὸ *innumerus* defendere. *mille oculos* dixit alius Poëta.

Plumas] *Pennas* Cort. 2. male. *plumae* sunt pennae nitentes, pictae & variegatae, quare eae passim tribuuntur pavonibus, columbis, anatibus, psittacis. Horat. Serm. II. 2. 28.

num vesceris illa,
Quam laudas, pluma.

Lucret. II. 800.

Pluma columbarum quo pacto in sole videtur.

Tibull. I. I. 65.

Nam neque tum plumae, nec stragula picta, soporem,
Nec sonitus placidae ducere possit aquae.

Plumas has *versicolores* appellat Propert. III. 5. 64.

effulto pluma versicolore caput.

Et III. II. 32.

aut variam plumae versicoloris avem.

Phaedrus addit *pictas*, III. fab. 18.

Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.

Horatius *furtivas corniculae* plumas mox *colores* dicit, epist. I. 3. 18.

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Rex avium plumas, moveat cornicula risum.
Furtivis nudata coloribus.

Auson. epist III. 15.

Iricolor vario pinxit quas pluma colore.

Tertull. de Pallio c. III. *pavo pluma vestis.* miratus sum hoc non placere Echardo ad Petron. c. LV. hinc *plumarius* qui plumas istiusmodi in vestibus imitatur, & *plumatile.* vid. Turneb. Adversar. XI. 25. Voss. Etym. in *pluma.* Salmas. ad Vopisc. in vita Carini pag. 849. *plumatum Babylonicum* apud Petron. c. LV.

Plumato amictus aureo Babylonico.

forte *plumatio.* ὁ κρατικότατος Bentlejus *plumas* & *pennas* sic distinguit, ut has alarum esse, illis reliquas corporis partes velari scribat ad Horat. in Arte Poët. vs. 2. Do hoc, *pennas* plerumque dici firmiores alarum, *majores* appellat Ovid. Metam. XIV. 500. Sed & hoc ajo, suas esse alis *plumas*, πτίλα Graeci nominant. Imo si vera est lectio, quam tuetur Broukhusius, *plumas* pro

vali-

Mersus humi semper florida terga geris.

Ast

validioribus alarum pennis usurpavit Propertius I. 20. 26.

Hunc super & Zethes, hunc super & Calais.
Oscula suspensis instabant carpere plumis.

Neque indigent, ut puto, Horatii codices medicina, qui ridiculo monstro plumas inducunt, conflato ex omni animantium genere, rationalium atque irrationalium eorum, quae in terra, aëre, aquis vivunt. Si quid tamen mutandum in Horatio, ita potius mutaverim,

Hinc varias inducere plumas.

Variaverit] Ita Vossii & Cortii omnes. idque editum a Pulmanno, Edit. ant. Neveleto, Lugdun. & Batavo, Ceteri cum scripti tum editi *variaverat*.

Florida terga] Vide num tolerari possit illud Palat. *sordida terga*. NEVELET. Sed quis *sordida* pavi terga dixerit? scio per hiemem decorem pavonum perire. sed num ob id sordida haec avis? certe non sordidior grue. Verum nulla hiemis mentio in his versibus. contra vero hoc dicit grus, quamvis pennarum honore superbiat pavus, nunquam tamen eam sublimem per aëra caelo Diisque proximam ferri, sed florida sua terga humilem, ac quasi terrae adfixum gestare. sunt autem *florida terga* splendentia. sic *florentes aere catervas*, Virgil. VII. 803. Et recte hic Servius notat, similiter Ennium & Lucretium *florere* dixisse omne quod nitidum est. tu consule Gifan. in indic. Lucret. idem Grammaticus testatur in eandem sententiam Virgilium, Ennium, Accium, Pacuvium *floreos crines* appellasse. Virgilii versus est 605. AEn. lib. XII.

Filia prima manu floreos Lavinia crines.

Nunc editi omnes *flavos* exhibent. Scaliger mallet *floros*, quem vide ad Festum in *genas*. Sic *florus* ἀνθηρὸς glossae. Tertullian. de Pall. c. III. terga pavonis *fulgere* scribit, *Pavo pluma vestis, & quidem de cataclitis: imo omni conchilio depressior, qua colla florent: & omni patagio inauratior, qua terga fulgent.* frustra est Salmasius, qui *florere* de sola purpura dici autumat. Synonyma sunt in hac re *fulgere* & *florere*. nam & *fulgor* de purpura dicitur, ut est notissimum. Suet. in Cal. c. XXXV. Virgilius autem cum *florentes aere catervas* dixit, non utique splendorem purpurae designat, quin & Phaedr. collo Pavonis *fulgorem & nitorem* tribuit, non quidem purpurae, sed smaragdi: III. fab. 18.

Nitor smaragdi collo praefulget tuo.

hos alarum flores praedicat & Lucianus de Domo pag. 456. τὰ ἄνθη dicit, quae si cum pratorum floribus compares, οὐ ποθεινότερα μόνον, ἀλλὰ καὶ ὡς ἄν εἴποι τις, ἀνθηρότερα, καὶ τὰς βαφὰς καθαρώτερα. *flores non amabiliores modo, sed, ut ita dicam, floridiores & colore puriores.* non alia ratione *roseas alas* Pavonum dixit Claudian. in Eutrop. I. 109.

Patricius roseis pavonum ventilat alis.

Et de gallo gallinaceo Poëta, nescio quis, apud Pith. Epigram. pag. 128.

Alae, colla, comae, pectus, femur, ungula, cauda,
Paestanis lucent floridiora rosis.

Fallitur ergo Barthius, cum hoc Claudiani tentat de Phoenice vs. 21.

Antevolant Zephyros pennae, quas caerulus ambit
Flore color.

Ro-

Ast ego deformi sublimis in aëra penna,
Proxima sideribus numinibusque, feror.
Si quadam virtute nites, ne respice quenquam,
Ex alia quadam forsan & ipse nitet.

Rogat ille, *an in caerulo flos?* immo ajo florem esse in caerulo phoenicis, & talem, quem Solinus lib. XXVI. cap. 33. ubi de phoenice, *nitorem caeruleum* appellat. de caeruleo hoc nitore verbum non amplius addo, ne aliud hic agamus. Phile de Pavo

Λειμὼν γὰρ ἐστιν ἡ γραφὴ τῶν ἀνθέων.

Deformi] Sic plerique libri scripti & editi. Attamen Cortii unus *deformis*, idemque ediderunt Lugdunenses, Genev. & Batavi. ego *deformi* praefero. grus pavum formosis plumis humilem, se vero deformibus pennis sublimem, Sideribusque & Dis proximam jactat.

In aëra] Ita Cortii omnes, quibus consentiunt P. A. & Voss. 3. idque exhibent Edit. ant. Lugdun. Genev. & Batav. reliqui omnes *in aëre.* non moveo hic fluctus in simpulo. neutrum displicet. de columba Virgil. AEn. v. 215.

Fertur in arva volans.

Penna] *Pinna.* B. L. vid. fab. 11. 1.

Si quadam] Recte hosce duos versus neglexere C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4. porro non agnoscit eos Cort. 2. editionesque praestabiliores, Lugdun. Genev. & Batava. at vero editio antiqua eos ad caput hujus fabulae reduxit.

Ne despice] *Non respice* Ed. ant. pro *despice* habent *respice* Voss. 4. Pulm. Nevelet.

Forsan] *Et forsitan* Cort. 3. Ed. ant. quae & *ipse* habet pro *ille.*

FABULA XVI.

Quercus & Arundo.

Montibus e summis radicitus eruta quercus

De-

E summis] *Ex summis* Cort. 3.

Radicitus] *Radicibus* C. 2. Col. 2. utrum praeferam fere nescio. Illud plurimorum codicum auctoritas, hoc haud dissimilis Virgilii locus vindicat AEn. v. 449.

Radicibus eruta pinus.

Ubi haec notat Pierius Valerianus: *In Romano codice & aliquot aliis radicitus adverbium est. Sed radicibus nomen plurium codicum consensus & usitata loquendi figura libentius legit.* hactenus Pierius. idem Virg. Georg. 1. 319.

Quae gravidam late segetem ab radicibus imis,
Sublime expulsam eruerent.

Et AEn. VIII. 237.

Et imis
Avulsam solvit radicibus.

Quanto magis miror, minus idoneum visum esse nonnullis illud Phaedri III. 10. 49.

a radicibus
Non evertisset scelere funesto domum.

Id

Decidit, insani turbine victa noti.
Quam tumidis subter decurrens alveus undis
Suscipit, & fluvio praecipitante rapit.
Verum ubi diversis impellitur ardua ripis,
In fragiles calamos grande resedit onus.
Tunc, sic exiguo connectens cespite ramos
Miratur liquidis quod stet arundo vadis.

Se

Id quod tamen solerter vindicat praestantissimus Phaedri interpres & vindex Burmannus. *radicitus* tamen haud paucis aliis usurpatum, quos dudum citarunt Lexicographi. probavit & illud Augustinus de Grammat. *Sane sunt adverbia & per alias syllabas exeuntia, ut a fundo funditus, a Caelo caelitus, a radice radicitus.* ut tamen verum fatear, in hoc Aviani loco *radicitus* malo.

Decidit] *Dicit* B. L.

Turbine victa noti] Maronis aemulum agnosce AEn. IX. 91.

Neu turbine venti
Vincantur.

Tumidis subter] *Subtus tumidis* Cort. I. *subter* valet ex doctrina Agraetii Grammatici: *Subter est*, inquit, *quod, a re alia superiore premitur, & conculcatur: subtus, quod demissum altius non contingitur.* eadem fere habet Beda de Orthographia; atque hos sequitur Ausonius Popma de different. verb. lib. IV. contra tamen Virgil. Georg. II. 157.

Fluminaque antiquos subter labentia muros.

Varro de LL. lib. IV. *Capitium ab eo, quod capit pectus; id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit: alterum quod subtus, a quo Subucula.* Glossae *subtus* & *subter* exponunt ὑποκάτω. in Cort. 2. *timidis* est, sed a manu secunda correctum *tumidis*.

Verum] *Ast* Voss. 3. 4. P.

Resedit] *Residit* B. L. sic Virg. AEn. VI. 407.

Tumida ex ira tum corda residunt.

Sic *consido*, *desido*, *obsido*. vid. Gifan. indic. Lucret. in *obsido*.

Connectens cespite ramos] B. & L. *cepite*. prae oculis habuit Poëta illud Virgilii Georg. IV. 273.

Namque uno ingentem tollit de cespite silvam.

Philargyrus exponit *radicem*. sed hic terrae eam partem notat, qua radix continetur. Claudianus rapt. Proserp. III. 369.

Tollebant geminae capita inviolata cupressus
Cespite vicino.

Prudent. Cathem. X. 121.

Sic semina sicca virescunt,
Jam mortua, jamque sepulta.
Quae reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.

Pro *ramos* olim legebam *nodos*; sed in tempore me revocavit Plin. XVI. 36. *Latera arundini calamoque in rotunditatem bina, super nodos alterno semper inguine. Ut alterum ad dextram fiat, alterum superiore geniculo ad laevam per vices. inde exeunt aliquando rami, qui sunt calami tenues.* Intelligimus porro ex hoc loco, quid sit *ramos connectere*. nodis enim, quibus insurgit distincta arundo, connectuntur ordine illi rami.

Miratur liquidis quod stet arundo vadis] Ἀντίθετον non ex sequentibus solum, sed & superioribus petendum. miratur quercus, vi ventorum, suas radices ex montibus imas & saxis cautibusque implicitas, evelli, arundinem vero loco palustri & parum

Se quoque tam vasto necdum consistere trunco,
Ast illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando respondit canna susurro,
Seque magis tutam debilitate docet.
Tu rabidos, inquit, ventos, saevasque procellas
Despicis, & totis viribus acta ruis.
Ast ego surgentes paullatim demoror austros,
Et

parum firmo solidoque, exiguo etiam cespite constare. de quercu Virgil. IV. 445.

Ipsa haeret scopulis & quantum vertice ad auras
AEtherias, tantum radice in Tartara tendit

C. 2. & Col. 2. pro quod *stet*, *adstet* habent. C. 3. Col. 3. *prostet*.

Quoque] Vide supra fab. XI. 8.

Necdum] *Nondum* Cort. 3.

Respondit] *Respondens* C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. Cort. 1. 2. Voss. 3. 4. idque probari potuit, quod sane miror, Neveleto, Editori Genevensi, Lugdunensi & Batavo.

Docet] *Docens* Lugdun. Genev. & Batav.

Rabidos] Sic C. 1. 2. Col. 1. 2. a manu secunda, idque editum Lugdunensibus, Genevensibus, & Batavis; ceteri *rapidos*. neutra lectio damnanda hoc loco; sed B. habet *rapidus ventus*. Germ. in Capricorno.

Tunc rigor & rapidus ponto tunc incubat auster.

Idem *insanum austrum* dixit in Delphin.

Sentit & insanos obscuris flatibus austros.

& *rabidos Coros* Heins. ad Claud. Fescen. 83. adde quae diximus supra fab. I. 2.

Saevasque] *Saenasque* Cort. 3.

Despicis] *Dispicis*. B. L. Voss. 3. *De* & *Di* in compositis commutata sunt crebro, vide supra fab. XIII. 9. Manut. ad Cic. Fam. XIII. ep. 6. Casaub. ad Suet. in Caes. c. 1. & V. at vero in C. 2. Col. 2. pro *totis* legitur *tutis*, & Cort. 3. non *acta* habet sed *actu*.

Ast ego surgentes paullatim demoror austros] Ordinem mutant C. 3. Col. 3. Cort. 3. dum legunt *paullatim surgentes*. cogitavit hunc Virgilii versum Poëta Aen. III. 480.

quid ultra
Provehor, & fando surgentes demoror austros.

Atqui non moratur ventos calamus, sed eorum vim inclinata exit, πρὸς πᾶν τὸ πνέον καμπτόμενον, *ad flatus quosque sese flectentem* dicit Lucianus in Hermotim. pag. 556. unde proverbio locum datum scribit Pricaeus ad Math. XI. 7. eandem contexens fabulam AEsopus eodem modo ῥαδίως ὑποκλινόμενον πᾶσι τοῖς ἀνέμοις. vid. fab. CXLI. & in eadem fabula mox ὁ κάλαμος ὑποσεισθεὶς καὶ ὑποκλινθεὶς τοῖς ἀνέμοις. Neque aliter Aphtonius fab. XXXVI. ἔικει ἅπασι πεφυκὼς τοῖς πνεύμασι. & mox κατακλινόμενος. Apud Babriam est πνεύμασι δουλόμεθα *ventis servimus*. Non ergo morantur, &, quod magis est, *demorantur* ventos calami. sed ad sibilum eorum sese demittunt, ac

Et quamvis levibus provida cedo notis.
In tua praeruptus offendit robora nimbus,
Motibus aura meis ludificata perit.

Haec nos dicta monent magnis obsistere frustra,
Paullatimque truces exsuperare minas.

ac procumbunt. Quae omnia satis evincunt in mendo cubare haec verba, corrigenda distinguendaque hoc modo.

Haud ego surgentes paullatim demoror Austros.

Crediderim olim lectum *aut* pro *haud*. vid. Serv. ad Virg. AEn. IX. 282. quod fefellit ludi magistros, qui ineptum hoc *ast* substituerunt. Tu, inquit Arundo, ventos quantumvis rabidos & procellas saevas despicis ac contemnis, remorata eos roboris objectu, at vero ego nil eos demoror etiam surgentes, & leniter spirantes, sed continuo iis cedo.

Provida] Utpote quae aliorum casibus sapere discit. Corruptus est versus Babriae, corruptius etiam a Neveleto, expositus in fab. XI. legendus & interpretandus hoc modo

Πτῶσις δ' ἐκείνη ἐστιν ἡμῶν ἡ στάσις.

Ille casus est nostra statio.

Vel πτῶσις σοῦ κείνη.

Notis] Quis ferat hanc ταυτολογίαν dicent Grammatici, austri violentiam in superiore versu descripsit, in hoc noti; qui venti quomodo differunt? & miror hic nihil notatum Barthio. Equidem autem Grammaticis non credulus illis, qui σύνώνυμα censent *austrum* & *notum*. Distinguuntur tanquam genus & species Apulejo de Mundo pag. 62. edit. Elmenh. *Austrorum in nominibus illa est observanda diversitas, namque cum de abscondito polo flatus adveniunt, Notus est, Euronotus ille, qui inter Notum aut Eurum medius effringit; ex alio latere Lybonotos ex duobus unum facit.*

Tua praeruptus] *Tuo* Cort. 3. *proruptus* Voss. 1. posterius hoc Cl. Drakenb. ad Silium III. 51. Auctori nostro restituendum vidit.

Ludificata] Vox elegans hoc loco, usitata enim de his, qui mobilitate atque agilitate aliquid evitant. Florus II. 2. 8. *Ludificari fuga rostra.* ubi vide Cl. Duker. cui adde Wasse & Cortium ad Sall. Jug. c. LIV. in arena gladiatoria id *eludere* dicitur, de quo Lipsius Saturn. II. c. 20. pro *aura* in B. & L. repertum *aures*, qui & *meis* delent, utrumque pessime.

Perit] Quod frustra & nullo successu fit, id *perire* dicitur. Statius Theb. IX. 867.

Cum ducis Aonii magno cita turbine cuspis
Fertur in adversum, nervique obliqua sonori
Vincla secat, pereunt ictus; manibusque remissis,
Vana supinato ceciderunt spicula cornu.

Phaedrus hoc dicit *nequicquam perit.* II. fab. 5.

Non multum egisti, & opera nequicquam perit.

Haec nos dicta monent.] *Dicta meis monent* Cort. 3. nullo sensu. Tametsi autem hoc epimythion scripti omnes & editi receperunt, mihi tamen id non admodum probatur.

FABULA XVII.

Venator & Tigris.

Venator jaculis haud irrita vulnera torquens,
Turbabat rapidas per sua lustra feras.
Tum pavidis audax cupiens succurrere Tigris
Verbere commotas jussit adesse minas.

Ille

Haud irrita] *Non irrita* Voss. 3. Ed. ant.

Vulnera] Id est tela, vid. Gell. IX. 12. Virgilius AEn. X. 139.

Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes
Vulnera dirigere:

Et AEn. XII. 5.

Saucius ille gravi venantum vulnere pectus.

noster fab. XX. 4.

Atque avido fixum vulnus ab ore tulit.

Rapidas] *Pavidas* C. 2. Col. 1. Voss. 3 P. A. Cort. 1 2 3. Edit. ant. Sed repetitum hoc ex fab. V. 12.

Turbabat pavidas per sua rura boves.

ubi vide notas nostras. *rapidas* autem hoc loco potius videtur, quod in versu proximo *pavidis* sequitur. Malim tigres cursu rapidas, quam rapaces interpretari, ut in hoc Papinii Theb. VII. 584.

Non aliter cursu rapidae, atque immane frementes
Transiliunt campos.

ubi vetus Scholiastes *rapidae, propter summam celeritatem* ita *rapidum cursum* non uno in loco dixit Virgilius. AEn. VII. 675.

Descendunt Centauri Homolem, Othrymque nivalem
Linquentes cursu rapido

Tum] Sic C. 1. Col. 1. Voss. 3. edit. Lugdun. & Genev. reliqui *Tunc.*

Verbere commotas jussit adesse minas.] Tigrim vult convicia dixisse viro jaculatori, haecque ex glossis sententia colligitur, *verbera linguae* sane convicia sunt. Horatius. *metuentem patriae verbera linguae.* sed *verbere*, *convicio* significare legere non memini. BARTHIUS. Ille Horatii locus ita legitur III. Od 12.

aut exanimari metuenteis
Patruae verbera linguae.

Aviani hic versus, ut & nonnulli alii, illustrantur recte ex fabula AEsopi CCLXXXIII. in qua omnia huic similia, nisi quod Leo istic, hic Tigris rem gerit. sed solent istiusmodi personae haud raro commutari fabularum scriptoribus. Λέων δὲ μόνος προσεκάλει αὐτὸν εἰς μάχην. *Leo unus provocavit eum in pugnam.* hinc intelligimus *adesse* legendum non *abesse*, quod ostentant C 3. Col 3. P. A. Cort. 2. Edit. ant. idem habent C. 1. Col. 1 sed a manu secunda. Provocationem ergo hic versus habet, quae & haud difficulter ex verbis elicitur

jussit adesse minas.

commovere minas, dicitur, ut *commovere* vel *movere arma*, *bella*, neque fere aliter dicimus *movere* can-

Ille tamen solitó contorquens tela lacerto,
Nunc tibi, qualis eram, nuncius iste refert.

Et

cantus, *historiam*, de qua locutione Cl. Bentlejus ad Horat. Od. xxxvii. 20 eadem sententia Virgilius *tollere minas*, Georg. iii. 420.

Cape saxa manu, cape robora pastor,
Tollentemque minas, & sibila colla tumentem
Dejice.

Verbere id est flagillis vel flagellorum sonitu, baculorum percussorum crepitu, (quod & hodie fit in venatibus majoribus) aut quocunque strepitu, fremitu, sonitu, qui edebatur in venando, ad excitandas e lustris feras, quas mox subsidentes venatores excipiebant. Hinc Ausonius epist. iv. 28.

Aut spumantis apri cursum clamoribus urgues,
Subsidisque fero.

Debetur Virgilio versus ille Ausonii prior, vid. AEn. i. 324. Phaedrus i. 11.

Venari asello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit simul,
Ut insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet.

Idem fab. xii.

Venantum subito vocibus conterritus.

Explorari hoc dicebatur, ut ostendemus ad Festum: is *explorare*, inquit, *antiquos pro exclamare usos*. Pertinet huc quoque Martialis x. 37. 13.

Hic olidam clamosus ages in retia vulpem

Adde Arrianum de Venat. c. xvi. videtur enim vox *verbera* pro quovis sonitu, qui aëra & aures verberat, usurpari posse. Macrobius Somn. ii. i. *Ex ipso enim circumductu orbium, sonum nasci necesse est: quia percussus aër ipso interventu ictus vim de se fragoris emittit, ipsa cogente natura, ut in sonum desinat, duorum corporum violentâ collisio.* Adde Apulej. aut quicunque fuit, qui *Adlocuta* scripsit *ad Asclepium* pag. 87. edit. Elmenh. hinc Quintilianus Instit. i. 6. *verba ab aëre verberato.* Virgilius AEn. ii. 56.

AEthera verberat alis.

Et Lucretius v. 955.

verbera ventorum.

Et vi. 113.

Aut ubi suspensam vestem, chartasque volantes
Verberibus venti versant.

De sonitu verberum, seu flagellorum notandus hic Claudiani versus de Rapt. Proserp. ii. circa finem.

Verbera nulla sonant.

Ovidius in Ibin 161. *Verbera torta dabunt sonitum.* Et *crepantia verbera* Prudentius Peristeph. i. 56. Seneca in OEdip. 644. *Sonantes verbera.* elegans in hac re est hoc Ausonii Mosella 255.

Excussam stridenti verbere praedam
Dextera in obliquum raptat puer, excipit ictum
Spiritus, ut, fractis quondam per inane flagellis,
Aura crepat, motoque adsibilat aëre ventus.

Haud aliter Graecis κτύπος: cum proprie verbera, translatione etiam strepitum notat. Hom. Iliad. K. 535.

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.
Equorum celeripedum sonitus aures ferit.

Ille tamen] Voss. 2. *illa*. forte legendum *ille autem*.

Nunc tibi, qualis eram, nuncius iste refert.] Dixi tempora verborum, more aevi sui, non

Et simul emisso transjecit viscera ferro,
Perstrinxitque citos hasta cruenta pedes.
Molliter adfixum traheret cum saucia telum,
A

observare Avianum: sic *eram* pro *sim* positum hoc carmine,

Nunc tibi, qualis eram, nuncius iste refert.

Est vero ex hoc Mezentii ad AEneam [AEn. x. 881.]

Venio moriturus, & haec tibi porto
Dona prius.

mittentis jaculum. BARTHIUS. Tricatur iterum more suo Barthius, quem tamen confutatum dedimus in Dissertatione nostra. Non tamen silentio praetereundum, quod in Cort. 1. reperitur *feret* pro *refert*, tametsi autem haud quaquam hoc reprehendo, illud tamen ob Virgilii auctoritatem antepono, cujus hoc videtur in animo habuisse Avianus, ex AEn. II. 547.

Referes ergo haec, & nuncius ibis
Pelidae genitori.

Idem AEn. XII. 75.

Nuncius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer.

Sarcasmum hic nota praeterea, bis Virgilii non dissimilem, AEn. IX. 633.

I, verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt.

Et 742.

Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.

Et simul emisso transjecit vulnera ferro] Pulmanni Codd. 4. cum edd.

Et simul emisso transjecit viscera ferro.

NEVELETUS. Imo duo tantum ex tribus, quibus Pulmannus est usus. *transegit*, nam A. *transjecit* legit. Magna dictorum est varietas in hoc versu: *transjecit* Cort. 2. *transfixit* Edit. ant. reliqui omnes libri *transegit*: at vero *vulnera* habet, non *viscera* C. 2. Col. 2. quibus accedunt Voss. 2. 3. 4. F. L. Cort. 2. & quos memorat Neveletus, qui & ipse *vulnera* edidit, horum vestigia premunt Lugdun. Genev. Batav. at vero *vulnere* est in C. 1. Col. 1. pro *ferrum*, *ferre* habent B. L. Nihil fere in hac librorum discrepantia est, quod ab usu Latini sermonis recedat. edidi tamen id, quod Virgilio probatum reperi eo in loco, qui non fefellit Avianum, cum haec scriberet, ut modo ostendi.

Effugit horrendum stridens adducta sagitta:
Perque caput Remuli venit & cava tempora ferro
Trajecit. I verbis virtutem illude superbis.

Nequaquam autem improbandum τὸ *transegit*. Valerius Flaccus III. 191.

Frater Hagen, Thapsumque securigerumque Nealcen
Transigit, & Canthi pallentem vulnere Cydrum.

Suetonius Tib. c. XLV. *Domum se abripuit, ferroque transegit.*

Perstrinxitque] *Praestrinxitque*, C. 1. 2. Voss. 2. *prostrinxitque* Col. 1. 2. sed vide Dissertationem.

Molliter adfixum] Exulat hic versus a Voss. 3. *molliter* dicit more Medicorum, de quorum *molli manu*. vid. Gronovius Observ. II. 1. Gebhardus Crepund. II. 10. hanc *pendentem* & *suspensam manum* dixit auctor Panegyrici dicti Maximiano & Constantino. *Aliorum vulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate traxerunt, manu pendenti tractabo.* & deinde, *Ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem.* Certe *manus* Medicorum est, inde Symmachus lib. X. ep. 1. *Feriata manu curationem juvare praeceptis.* atque

A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dum rogat, unde foret, qui talia vulnera ferret;

Aut

atque inde Medici χειρουργοί. Quid si tamen *at fixum* pro *adfixum* legamus?

Traheret] Id est extraheret telum ex vulnere, id quod solebant vulnerati. Homer. Iliad. E. 110.

Ὄφρα μοὶ ἐξ ὤμοιο ἐρύσσῃς
πικρὸν ὀϊστόν.

Ut mihi ex humero trahas amaram sagittam.

& saepe alibi.

Telum] Barthius Adverſ. xxxix. c. 13. ubi hos versus citat, ut emendet atque exponat, *ferrum* edidit, ex MSS. an ex negligentia, qua crebro peccat, incertum.

A trepida] *Et trepida* Voſſ. 3. male.

Retenta diu] Legendum putem *rogata diu*; nisi quis Venerem aevi jam semibarbari agnoscit; cum quo non litigabimus. BARTHIUS. Prorsus aberrat a mente Aviani Vir doctissimus. *Retenta*, id est prohibita, ne telum avelleret a visceribus. Terent. Phorm. v. 6. 23.

Ubi in Gynaeceum ire occipio, puer ad me adcurrit Mida;
Pone adprehendit pallio, resupinat: respicio: rogo,
Quamobrem retineat me.

Retinuit autem vulpes, quo minus extraheret telum tigris saucia, ne eadem via & sanguis & spiritus effluerent. Corn. Nepos in Epam. c. IX. *At Epaminondas cum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum: usque eo retinuit, quoad nunciatum est, vicisse Boeotios. Id postquam audivit, satis, inquit, vixi: Invictus enim morior. Tum ferro extracto confestim examinatus est.* Virgilius AEn. x. 486. de Pallante vulnerato,

Ille rapit calidum frustra de vulnere telum,
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.

Ut tamen verum fatear, *diu* parum mihi integrum videtur, & tamen quid huic substituam nunc non succurrit, nisi *tigris*. videant alii in conjectando callidiores.

Dic quis ille foret] Haud satis integer locus. Editio Ulmensis *Dicque quis*. Altera editio *Ede; quis ille foret*. Non improbo doctissimi Pulmanni conjecturam; dum legit, *quis, dic, ille foret*. Ajo tamen lectionem esse si non genuinam, certe genuinae proximam, quam e Pal. hausi, ea est

Dum rogat, unde foret, qui talia vulnera ferret.

NEVELETUS. *Dum quis* C. 1. 2. Col. 1. 2. B. Edit. Lugdun. Genev. *Dic quis* Cort. 3. *Pande quis* Cort. 1. quod edidit Pulmannus. *Dicque quis* Edit. ant. At vero Batavi ediderunt *Dum quisnam*. Ceteri Codices agnoscunt *Dic quis*, quod sequitur Neveletus. Memini Gifanium in Indice Lucretiano voce *versus* docere in *is* terminata promiscue habita ab antiquis, ipsamque vocem *quis* in eorum numero recensere; de qua re vehementer equidem dubito: quae enim citat exempla, nequaquam id persuadent. Nam Ennii versus, quo productum arguit *quis*, admodum corrupte legitur in fragmento Festi, quod ab Ursino ex Bibliotheca Farnesiana est descriptum. Reliqui versus, qui Virgilii sunt, ob caesuram producunt terminationem *is*. rescribo autem hic ex vestigiis librorum antiquorum

 Dum

Aut ubinam jaculum delituisset agens.
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure coepit;

Nam

Dumque, quis ille, rogat, qui talia vulnera ferret.
nisi forte mavis
Dumque quis, illa rogat
illa nempe vulpis, nec falletur forsitan, qui opinatus fuerit, deesse hic aliquid, ut in eadem fabula Graeca. Vide Nevelet. ad AEsop. CCLXXXIII. ne tamen videamur fucum facere Lectori, non nostram conjecturam, sed Palatini codicis scripturam in contextu expressimus.

Aut ubinam] B. L. *Aut ubi jam* Voss. 2. utrumque pessime. Similiter pro *agens* in Cort. 2. *alens*, quod tamen emendatum in margine.

Illa gemens fractoque loqui] Editio Ulmensis *illa gemensque loquens*. An melius
Illa gemens fractoque loquens vix murmure, coepit.
(Nam solitas voces ira dolorque rapit.)
Sed melius doctissimus Pulmannus, *illa gemit fractoque*. NEVELETUS. Nulla memorabilis Codicum discrepantia, nisi quod levis macula insedit Voss. 2. Cort. 3. Prior *ille*, alter *facto* ostendit. nam quod in Cort. 1. reperitur *rauco* pro *fracto* ex glossa, ut mox dicemus, in contextum irrepsit. In Edit. ant. est *loquens*. in Voss. 2. *vis* pro *vix*. Facile, ut puto, carebimus hic ingenio Neveleti. At vero probabilior est conjectura Pulmanni *illa gemit*. Crebro animadverti, plura verba in hoc scriptore mutata esse in participia, quibus inepte indulgere solent ludi magistri. Tigris autem graviter vulnerata prius gemere, mox exili voce loqui coepit. Utro autem modo hic fractum murmur reddemus? tenue & exile, an verbis non integris sed interruptis prolatum, qualis vox est singultientium & lacrimantium, & cruciatibus nimiis impeditorum? Utraque sententia morienti ex vulnere & *vix loquenti* apta est. Ita *pronunciatio fracta* pro exili, molli, tenera, qualis est feminarum, eunuchorum ac cinaedorum, Plinius Epist. II. 14. *Pudet referre, quae quam fracta pronunciatione dicantur: quibus quam teneris clamoribus excipiantur.* De eunucho Claudianus in Eutropium I. 261.
verbisque sonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis.
At pro verbis dimidiatis Hieronymus in Epitaphio Paulae. *Aviaeque & amitae nomina dimidiatis verbis frangere. infracta* appellat Cicero in Oratore ad Brutum c. LI. *Hoc freti isti, & ipsi infracta & amputata loquuntur.* Lucretius III. 156. de metu vehementiore
infringi linguam vocemque aboriri.
an & eodem sensu *blandam atque infractam querelam nutricularum* dixit v. 253. & imitator hujus Arnobius pag. 139. Edit. Plantin? alii hoc, alii illo sensu capiunt: equidem utroque recte accipi posse puto. *rauco* autem, quod hic pro *fracto* substituit Cortianus primus, ex glossa Grammatici alicujus arreptum est. nempe soliti Grammatici fractum tubarum sonum *raucum* interpretari. Virgilius Georg. IV. 70.
fractos sonitus imitata tubarum.
Nazarius in Panegyrico Constant. *Nihil enim te permovent tubarum fractae voces.* errant tamen in hac parte Grammatici. neque enim hic *raucus* tubarum sonus designatur, sed interruptus, non uno tenore ac spiritu prolatus, sed mo-

Nam solitas voces ira dolorque rapit.
Nulla quidem medio convenit in aggere forma,

Quae-

modulis fractus atque amputatus, quem hodie in AEneatoribus observamus & lepide tradit Ennius

At tuba terribili sonitu tara tan tara dixit

& tale *murmur fractum*, Germanorum, quem *barditum* nominant, est intelligendum apud Tacitum de moribus Germ. c. III. Nihilo secius tamen eadem glossa vitiavit Apuleji verba Metamorph. VIII. pag. 213. Edit. Elmenh. *Sed illae puellae, chorus erat cinaedorum, quae statim exultantes in gaudium fracta, rauca & effeminata voce clamores absonos intollunt.* Quis *raucas* dixit puellarum & cinaedorum voces. Imo quis simul *fractam*, *effeminatam* & *raucam* dixit? Tu vide quae de *fracta voce* Gifanius monuit Indic. Lucret. Elmenhorst. Apulej. N. Heinsius ad Claudianum in Eutrop. I. 254, 261. Erunt forte, qui *raucam vocem* hic ex usu Gallorum transpadanorum interpretabuntur, de quo Servius ad Virg. AEn. VII. 705. sed hos non sequor.

Nam solitas] *Jam solitus* Voss. 2. perperam. sed admodum praepostere hunc versum exhibet Cort. 3. *Nam solitas ira dolorque rapit voces.*

Convenit in aggere forma] Hoc quoque dubium est. Nulla forma vulnerantis cum telo ad me venit. Sed *τὸ aggere* maculosum est, possis conjectare

Nulla tamen medio convenit forma sagitta.

sed illa est manu scripta lectio. BARTHIUS. Sed videamus an hic verior haruspex Barthius, quam in aliis. Sed ut aperte dicam, nihil in his dubitandum invenio; nihilque mutandum, neque quidquam discrepat a Virgilii instituto. *Convenit*, id est in eundem locum mecum venit. Pueris tritum est illud Maronianum,

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo.

Cicero in Catil. II. 4. *convenisse eodem complures.* *Formam* nominat Tigris, quod nescit, quis ille fuerit, a quo est vulnerata, tametsi indiciis colligit fortem eum virum fuisse. Inde & spectra, quae, qualia dicerent, nesciebant, *formas*, & quod idem est, *figuras* nominarunt. Cicero de Divinat. I. II.

Jam vero variae nocturno tempore visae
Terribiles formae bellum motusque monebant.

Atque ita in pulcherrimo monumento apud Gruter. 1223. n. 7.

VIDI SIDEREO RADIANTEM LUMINE FORMAM.

Claudianus in Rufin. I. 129.

simulacra coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras.

Nihil ergo in his est, de quo quis jure ambigat. at vero *τὸ aggere*, ait Barthius, maculosum est. Ego vero purgatissimum, mundissimumque dico: videtur nescivisse Vir alioqui eruditissimus, *aggerem* hic viam stratam aut publicam notare: An & sic Virgilius AEn. V. 113.

Et tuba commissos medio canit aggere ludos?

certe eo sensu 273. *viae aggerem* dixit,

Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens.

Ad quem locum Servius, *Agger*, inquit, *est media viae eminentia, coaggeratis lapidibus strata.* Idem autem ad AEn. XII. 446. videtur negare, *aggerem* pro *via* dici simpliciter, recte vero *aggerem viae*. At vero Beda de Orthographia

 ag-

Quaeque oculis olim sit repetenda meis.
Sed cruor, & validis in nos directa lacertis
Osten-

aggerem ἁπλῶς stratam exponit. *Agger per duo g. scribendum est*, inquit, *quando stratam significat*. Isidorus in Origin. xv. 16. *mediam stratae eminentiam*. cetera quae sequuntur Servio sunt sublecta. *strata* autem viam stratam notavit eo saeculo. vid. Eutrop. IX. 15. n. 123 ut hic *agger*, sic apud Endeleich de Mortibus boum, 33.

medio nam ruit aggere
Par victum parili nece.

aggerem Weitzius hic sulcum interpretatur, sed perperam. Non enim aratro, sed plaustro juncti erant hi boves commorientes in via publica. De aggeris hoc significatu vid. Savaro ad Apollinar. I. ep. 5. & IV. ep. 2. Castalio ad Rutil. Itiner. I. 39. Unus liber Cortii, nempe tertius *convenit ab aggere* habet. Similem errorem deprehendimus in Servio AEn. XII. 446. ubi Virgilii versum ita citat.

Qualis saepe viae deprensus ab aggere serpens.

Deceptos puto librarios aliis Virgilii versibus, qui tamen huc non pertinent, AEn. IX. 69. & XII. 446. Quaeret forte quis, cur hic *aggeris medii* meminit Poëta Avianus. Sed Tigris animosa hostem ad certamen vocat in viam publicam, spectatoribus atque arbitris compluribus subeundum.

Quaeque oculis olim sit] Mirifice hic dissentiunt inter se Codices vetusti & libri editi. Voss. 3. *Quae olimque oculis sit*. Cort. 3. *Quaeque olim oculis sit*. At vero Cort. I. *Quaeque olim oculi sunt* a manu secunda. Editio autem antiqua *Quae quondam oculis sit*. Ab his longissime recedunt Lugdunens. Genev. & Batav. qui versum hoc modo rescribunt,

Quaeque oculis o sit non repetenda meis.

Equidem autem ita malo

(Quanquam oculis o sit non repetenda meis.)

Respondet Tigris graviter sauciata: auctorem vulneris non vidi, neque eum deinceps cupio videre. Silius Italicus I. 653.

Quanquam o, si nullus terror,
non obruta jam nunc
Semina fumarent belli.

eleganter autem, pentameter ejusmodi παρένθεσιν, nisi mavis ἐπανόρθωσιν nominare, habet. Ovidius Heroid. XII. 83.

Quod si forte virum non dedignare Pelasgum
(Sed mihi tam faciles unde, meosque Deos.)

Amor. II. 17. II.

Non tibi si facies nimium dat in omnia regni
(O facies oculos nata tenere meos!)

Heroid. XV. 22.

O facies oculis invidiosa meis!

Art. I. 207.

Consistes aciemque meis hortabere verbis,
(O desint animis ne mea verba tuis.)

& 327.

Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore,
(O quantum est uni posse placere viro.)

Trist. II. I. 179.

Parce, precor, fulmenque tuum, fera tela, reconde,
(Heu nimium misero cognita tela mihi.)

Non omnino tamen contemnenda est Voss. 2. scriptura, quae pro *meis* exhibet *tuis*, quasi Tigris jam animam agens optet vulpi, ne ei unquam illa forma occurret. sed tamen hoc si admittimus, insuper alia correctione indigebit versus.

Directa] *Direpta* Cort. I. *dis-jecta*

Ostendunt aliquem tela fuisse virum.

Bruta licet soleant animalia jure timeri,
Omnibus est illis plus metuendus homo.

jecta ejusdem 3. neutrum probum. Virgilius AEn. XI. 653.

Spicula converso fugientia dirigit arcu.

Valerius Flaccus I. 568.

. & ingenti flammantem nubila sulco.
Direxit per inane facem.

Aliquem] Magna vis est hujus vocabuli hoc loco, notatque singularem atque egregium, aut duntaxat non vulgarem. Cicero de Offic. II. 12. *Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem fugiebant, virtute praestantem.* Persius Sat. I. 129.

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas.

Virgilius AEn. X. 547.

Dixerat ille aliquid magnum.

Sic *quidam*. vid. Manut. ad Cicer. Fam. I. ep. 9.

Bruta licet soleant] Amplius Editiones ambae,

More volant jaculi clandestina verba nocentis,
Nec praescire palam laederis unde potes.

Neveletus. Posteriores hos versus (modo versus sunt appellandi irato Apolline facti) extant etiam in Edit. ant. quae eos duobus prioribus praemittit. Cortianus primus unus est, qui eos recepit, ceteri non agnoscunt, neque Cortiani neque alii. Quod attinet ad distichon illud alterum, recte id excluserunt Cr. I. 2. Col. I. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4. Cort. I. 2. 3. Edit. Lugd. Genev. Batav. Colbertinus & Coloniensis tertius ita versum priorem legunt.

Cuncta licet soleant animalia cuncta timere.

Nullus autem non videt hos versus a magistello quodam esse consutos ex disticho hoc, ut censetur, Catoniano.

Quum tibi proponas animalia cuncta timere,
Unum praecipio tibi plus hominem esse timendum.

Omnibus est illis] Vide an melius Palatinae membranae

Plus tamen est illis jure timendus homo.

FABULA XVIII.

Juvenci & Leo.

Quatuor immensis quondam per prata juvencis
Fertur amicitiae tanta fuisse fides:
Ut

Per prata] *Perpetrata* B. L. quemadmodum tauri ferarum vim excipiant ac propulsent, docet Varro de R. R. II. 9.

Emissos] Verbum rurale. Virgilius de apibus Georg. IV. 22.

ludetque favis emissa juventus.

Ut simul emissos nullus divelleret error,
Rursus & e pastu turba rediret amans.
Hos quoque collatis inter se cornibus ingens
Dicitur in silvis pertimuisse Leo.
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,

Et

Divelleret] *Develleret*, idemque olim repertum in C. 1. Col. 1. quod tamen deinceps correctum. Cortianus primus *evelleret*, sed probum est, quod edidi.

Error] *Horror* Cort. 1. 2. quibuscum faciunt P. atque antiqua Editio. quod tametsi non plane improbo (*horror* enim metum notat, ut mox vs. 8. *horret*:) loco tamen huic convenientius esse illud arbitror. Non autem errorem hic itineris, sed mentis accipe: id est quamcunque perturbationem aut affectum, qui mentem ad prava impellere, atque a via in errores avocare solet. Hinc Fronto; *error est rei vitium, ut amor, dolor.* adde Heins. ad Ovid. Amor. I 10. 9. unde pro perverso studio, Horatius Epist II. 1. 117.

Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen, & levis haec insania, quantas
Virtutes habeat, sic collige.

in vocibus autem his *error* & *horror* distinguendis non satis diligentes inveniuntur librarii. vid. Burman. ad Ovid. Metam. XIV. 198. neque id mirum, cum nonnulla saecula adspirarint vocabula, quae a vocali incipiebant. Haec vero mens est Aviani, exeuntium boum amorem nullo errore aut vehementiore animi motu, ira puta, ac suspicione, fuisse divulsum, sed amantes exiisse, amantesque rediisse.

Rursus rediret] Terentius Eun. IV. 2 6. *cum sensi redeo rursum.* Adelph. IV. 2. 40. *in portum rursus redi.* Virgilius Georg. II. 231. adde Casaub. ad Sueton. in Caes. c. 11. & maxime in Tib c. LXIII. nec non Vorst. ad Sulpic. Sev. Histor. 1. 3. & 5. In C. 3. Col. 3. *&* in *ut* mutatur hoc modo, *rursus ut e pastu*, quod non sequor.

Et e pastu] Pro *&*, *ut* C. 3. Col. 3. pro *e pastu*, *& pastu* Voss. 3. vulgata lectio est in Cort. 3. sed adscriptum *a pastu* pro *e pastu*: credo ut glossae vicem haberet, quae tamen corrupit editionem antiquam, nam *a pastu* nunc exhibet. Non nego hoc Latine dici, sed illud usitatius est. Varro de Re Rust. II. 2. *Cum redierunt ad stabula e pastu.* & c. 5. *& cum redierunt e pastu.* Voss. 2. *pasto* mavult.

Amans] Hoc reposui ex Editionibus Lugdun. Genev. & Batav. a quibus nil recedunt C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. Voss. 3. 4. habet tamen & sensum *Ovans*, quod & scriptis & Editis reliquis placuit. Ovantes namque redierunt boves, & victoriam agentes feris immanibus superiores.

Collatis] *Collectis* Cort. 2. sed vide supra fab. IX. 4. & Heins. ad Claudian. in Rufin. 1. 316. & Consul. Stil. I. 34. Homerus Iliad. N. 237.

Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν, καὶ μάλα λυγρῶν.

Collatae enim vires prosunt virorum etiam valde inbellium.

Ingens] *Egens* Edit. antiqua. inepte.

Pertimuisse] *Permetuisse* Voss. 3. quod non spernerem, quia Virgilius eo usus est, AEn. II. 573. nisi in versu sequenti *metus* esset.

Con-

Et conjuratos horret adire boves.
Et quamvis audax, factisque immanior esset,
Tantorum solus viribus impar erat.
Protinus adgreditur pravis insistere verbis,
Col-

Conjuratos] Id est, qui conjurarunt. Claudianus in Rufinum II. 296.

Et conjuratos accendit voce clientes.

vid. Perizon. ad Sanct. Min. I. 15. 4. vel hic locus vanum Grammatici monitum reprehendit; qui ad Horat. Od. I. 15. inter *conjurare*, inquit, *& conspirare hoc interest, quod conspirare nunquam sit in perniciem alicujus, conjurare autem semper.* Veriora docuit Servius ad Virg. AEn. VIII. 5.

Et quamvis] Ita Edit. Ant. & Cort. 3. in quo tamen ab alia manu correctum in *sed.* Verum si & non placet, aut legendum *Nam*, aut in hunc sensum τὸ *sed* exponendum.

Audax factisque] Haec vix, ac ne vix quidem, placent. Edit. ant. delet τὸ *factisque*, quod suspicionem praebet, lectam fuisse olim hic vocem, quam non intellexerunt librarii. Cort. 2. *factis* detrahit encliticam *que.* Tu vide an hoc velis, *animo rictuque.* *Rictum* Plinius Nat. Hist. *hiatum minacem* appellat. Martialis I. 23. de Leone Caesaris

Praeda canum lepus est, vastos non implet hiatus.

de eodem 49.

Rictibus his tauros non eripuere magistri,
Per quos praeda fugax, itque reditque lepus.

rictus autem leonini immanitas ex AEliano cognoscitur de Animal. IV. 34. ἀδδηφάγος δ' ὢν, καὶ ὅλα φασὶ μέλη βρύχων ἂν καταπίοι. *Vorax adeo, ut dicatur fremens solida membra deglutire.* imo integrum hinnulum, sic namque Phile c. 31.

Ῥοφεῖ δὲ νεβρὸν εὐχερῶς ὅλον βρύχων.
Ἀδδηφάγον γὰρ ἐστι.

forte Avianus cum animo & rictu immaniorem leonem finxit, illud Virgilii respexit AEn. X. 724.

si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet hians immane.

leonem immaniorem intellige inter leones, de quo usu comporativi Cl. Perizon. ad Sanct. Min. II. 10. 5.

Tantorum] Operarum error hic videtur. Liber enim Pal. & Editiones *Taurorum.* NEVELETUS. *Taurorum* edidit quoque Pithoeus in editione posteriore & Batavi. Sed *Tantorum* unice valet, idque comprobatur consensu MSS. omnium, & praeterea ex opposita voce *solus*, quod tamen frustra Editio antiqua mutat in *solis.* de voce *Tantus* vid. fab. X. 9. ad extremum notandum subticeri hic *tamen* post *quamvis*, quod & saepe aliis factum. Virgilius AEn. XI. 2.

AEneas, quamquam & sociis dare tempus humandis
Praecipitant curae, turbataque funere mens est,
Vota Deum primo solvebat victor Eoo.

ubi vid. Serv. adde Duker. ad Flor. II. 6. 32. & IV. I. 10.

Impar erat] *Impererat* B. vide supra fab. XI. 5.

Pravis insistere verbis] *Dictis insistere pravis* Cort. I. insistit verbis, qui, ope alia posthabita, solis verbis rem perficit, iisque insistit atque inhaeret. Celsus in

Collisum cupiens dissociare pecus.
Et, postquam dictis animos disjunxit acerbis,
Invasit, miserum diripuitque gregem.

Tunc

Praefat. *Ex quibus quia maxime pertinere ad rem concoctio videtur, hinc potissimum insistunt.* & mox, *Nam & hi, qui pecoribus ac jumentis medentur, cum propria cujusque ex mutis animantibus nosse non possint, communibus tantummodo insistunt.* Virgilius AEn. IV. 529.

neque unquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit. Ingeminant curae, rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
Sic adeo insistit.

id est ex curarum his fluctibus huic consilio inhaeret. Idem XI. 573.

Uique pedum primis infans vestigia plantis
Institerat.

In his Lucretius dixit *ponere* III. 4.

Fixa pedum pono pressis vestigia signis.

Fallitur autem Servius ad AEn. VI. 563. ubi docet, non satis Latine cum Dativo construi hoc verbum. *Verba* autem *prava* dicuntur, ut *consilia prava* apud Phaedr. I. 25. quibus a via recta quis ad perniciem avocatur. adde ad fab. I. 3.

Collisum] *Collectum* Edit. ant. idque olim praetulerunt C. 3. Col. 3. qui tamen in margine habent *collatum*, id quod in contextu ostendunt Cort. 1. P. A. At vero Cort. 3. *connexum* amat, tametsi in margine *collectum*. Sed editum praefero ob hoc Horatii Epist. I. 2. 7.

Graecia Barbariae lento collisa duello.

Scholiastes interpretatur *prostrata*, malo tamen ad inimicitias compulsa. Vellej. II. 52. *Collisa inter se duo reip. capita*, Pompejum & Caesarem intelligit. proprie *collidi* dicuntur, quae mutuo impulsu committuntur, inde in glossis *conlidit* & *contundit* συνθλᾶ. *conlisum argentum* συντεθλιμμένος ἤγουν συνεπτυγμένος ἄργυρος, unde lux Ovidio Art. III. 221.

Annulus ut fiat primo colliditur aurum.

convenit etiam fabula Graeca, in qua est διαστάντας δέ προῃρεῖτο χειρώσασθαι, *discordes constituit subigere*, vid. Aphthon. fab. XVI.

Et postquam] Sic Lugd. Gen. & Batav. non male, invitis tamen MSS. qui *sed postquam* habent. B. & L. pro *sed*, *sic*, quod non displicet, Voss. 4. *Hic*: corrige *Hinc*, & subjunge distinctionem, ut referatur ad versum sequentem.

Tauros] Forte melius cum Palat. *animos*. NEVELETUS. Edidit namque *tauros* Neveletus, idemque probatum est Pulmanno ac Pithoeo, & qui hunc sequi solent. *Animos* exhibent Lugdun. Genev. & Batav. id quod non veritus sum recipere, addicentibus Coloniensibus & Colbertinis omnibus, adderem Vossianis, nisi eorum primus dissentiret. In Cort. 2. supra scriptum erat *tauros*. parum ab illis discedunt B. L. in quibus *animus*. corruptissime tamen Editio ant. *pecus* substituit, neque melius *distinxit*, quod eadem pro *disjunxit* reposuit.

Invasit miserum diripuitque gregem]

Tunc quidam ex illis: vitam servare quietam
Qui cupit, ex nostra discere morte potest.

Neve cito admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deserat ante fidem.

gem] Eo modo, quem tradunt Graeci fabulatores Aphthon. fab. XVI. κατ' ἕκαστον *separatim singulos.* Gabrias ἕκαστον γυμνόν. forte aliquid hic in Aviano ulceris latet, & tamen nihil opitulantur Codices vetusti. C. & Col. omnes habent *invadit*, neque aliter Voss. 3. idem extat in L. & B. sed a manu secunda, nam prima *invadat.* Puto tamen distinguendo opitulabimur hoc modo,

Invasit, miserum diripuitque gregem.

invasit nempe *pecus*, quod huc repetendum ex vs. 12. possis & ad *tauros* referre, si id substituere placuerit in versu proximo pro *animos*, de quo modo diximus. Hic ergo sensus est, primo disjunxit pecora haec, mox invasit, & sic gregem, qui taurorum quatuor erat, diripuit. *Diripere* autem est lacerare, Ovidius Fast. V. 309.

Hippolite infelix, velles coluisse Dianem,
Cum consternatis diripereris equis.

vid. Heins. ad Fast. III. 265. in Voss. 3. tamen est *dirupuitque.*

Tunc] *Tum* Voss. 2. 3. 4. C. 1. idque ediderunt Neveletus, Lugdun. Genev. Batav. neque id nos improbamus: ut neque mox *ipsis*, quod complures Codd. occuparunt, tametsi mihi magis adridet *illis*, quod posui secutis Edit. ant. Lugdun. Genev. & Batav. atque ex scriptis Voss. 2. P. A. Cort. 1. 2.

Quietam] *Beatam* C. 3. Col. 3. illud plurium MSS. consensus, hoc forte frequentiora aliorum Scriptorum loca vindicant, tametsi nec illud auctoritate destituitur, quam in re liquida frustra movemus.

Cupit ex] Amoenius sonat, quam *cupiet* quod invenitur in C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M Voss. 2. 3. ed. Lugd. Genev. Batav. solus A. *Cupiat.* Sic & solus Cort. 2. *dicere* pro *discere.*

Neve cito admotas] Detruncatur *ve* in Edit. ant. & Voss. 2. *admotos* habet. At vero vetusti Codices duo, quorum alter est M. ultimum hoc distichon omittunt, & ut verum fatear, libenter id induxero, tametsi antiquius forte est, quam cetera ἐπιμύθια inepta, quae passim delevimus, quae & caussa est, cur plurimos codices id occuparit.

Aut] *Vt* C. 1. Col. 1. Cort. 3.

Deserat ante fidem] In libro calamo exarato *deserat arte*, idque a Glossulario exponitur fallacia & dolo hostium, qui, ait, quem volunt occidere, prius amicis faciunt inimicum. atqui haec fabulatori cum suo sibi magistro, nunc danda arbitrati sumus, hominibus bonis, quos sanos inter vetustiores indigetes vitam vivere malumus, BARTHIUS. Posthac nobis otium faciet usque ad fab. XXXIV. Barthius, quae enim his interjectae sunt, intactas praeteriit, credo, quia eas in libro suo manuscripto, aut dicam potius fragmento, ut nominat ipse, non invenit. Quae ipsa caussa est, cur in earum expositione breviores esse possimus.

FABULA XIX.

Abies & Dumus.

Horrentes dumos Abies pulcherrima risit,
Quum facerent formae jurgia magna suae.
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus consociaret honos.
Nam mihi deductum surgens in nubila corpus,
Verticis erectas tollit in astra comas.

Pup-

Horrentes dumos] *Horrendos* Cort. 2. *torrentes* Cort. 3. Voss. 2. *dumas*. *horrere* dicitur, quod spinis & tactu asperum est. Virgilius Georg. I. 151.

segnisque horreret in arvis
Carduus.

Varro de L. L. lib. v. *Tum etiam in corpore pili, ut arista in spica hordei, horrent.* sic *horrida* apud Virg. Georg. II. 69.

Inseritur vero ex foetu nucis arbutus horrida.

at vero *horrendus* fere aliud notat.

Pulcherrima] *Pulcherrimae* Voss. 3.

Indignum cunctis certamen haberi] Id est cunctos existimare indignum atque inaequale hoc esse certamen; nisi mavis *certamen* accipere ipsos certantes. Virgilius Ecl. VII. 16.

Et certamen erat Corydon cum Thirside magnum.

ita certe accepisse hoc videntur, qui mox legerunt, *Quos meriti*. & quamvis haec ita commode exponuntur, inhaeret tamen scabrities huic versui, quam meliorum librorum ope destituti non tangimus.

Quos meritis] *Quod* C. I. 2. Col. I. 2. B. L. Voss. 2. Edit. ant. Lugdun. Genev. & Batav. Voss. I. *nos. meriti* habet C. 3. quod non contemnendum.

Consociaret] *Se sociaret* Batav. sed alios sequor. *sociare* & *consociare* est aequare, parem atque aequalem reddere. Calpurn. ecl. II. in fin.

Este pares, & ab hoc concordes vivite: nam vos
Et decor, & cantus & amor sociavit & aetas.

sententiam versus hujus hausit Avianus ex illo Phaedri IV. 23.

Conferre nostris tu potes te laudibus?

Deductum] Id est tenue, laeve, ac suave, non crassum atque informe. opponitur autem dumo exili ac spinis aspero. Abies eam formam in se praedicat, qua pueri delicati commendari solent, corpus tenerum, comam spissam. vox probatissima antiquioribus Poëtis. Afranius in Virgine: *Verbis pauculis respondit, tristis voce deducta.* item Cornificius, *Deducta mihi voce garrienti.* vid. Macrobius Saturn. VI. 4. ubi illud Virgilii exponit ex Ecl. VI. 5.

deductum dicere carmen.

hinc emaculandus Lucilii versus apud Nonium,

Deducta tunc voce leo: cur tu ipsa venire
Non vis.

Im-

Puppibus & patulis media cum sede locamur,
In me suspensos explicat aura sinus.
At tibi deformem quod dant spineta figuram,
Despectum cuncti praeteriere viri.

Ille

Impingit in syllabam Janus Guilielmius, qui aliter corrigit Verisimil. II. I. Voss. 3. *deductus* legit. & mox C. 3. pro *in astra*; *ad astra*.

Puppibus & patulis] *Puppibus in patulis* C. 3. Col. 3. Ed. ant. potiorem MSS. numerum probo.

Locamur] *Locantur* C. 3. atque ita ediderunt Lugdunenses Genev. & Batavi. Turbavit, credo, hos in sequenti versu illud *me*, sed praeter caussam. Nam similiter alii Scriptores, etiam ii, qui elegantissimi censentur, numeros miscuerunt, praesertim si pluralis pro singulari esset usurpatus, ut hoc loco. Terentius Hecyr. II. 2. II.

si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus,
Te judice ipso.

Catullus in epigram. ad Lesbiam.

Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. O lucem candidiore nota.

complura collegit Barthius ad Rutil. Itiner. I. 33. quin & mox versu proximo *tibi* dicit, quum in vs. I. dixerat *dumos*.

Explicat] *Expulit* Cort. I. sed corruptius in Edit. ant. sic integer versus scribitur

In me suspensum explicat aura velim.

At tibi deformem quod dant spineta figuram] Vix operae pretium erit discrepantiam librorum hic notare, quaecunque est, eam a glossulatoribus profectam arbitror. Sic C. I. Col. 3. Ed. ant. non *At* sed *Ast* praeferunt, contra Cort. I. *Sed*. pro *quod* receperunt *quia* C. 3. Col. 3. Cort. 2. pessime Edit. ant. *quae*. at vero C. 2. Col. 2. *dent* malunt quam *dant*: Cort. 3. *tribuunt*: Edit. ant. *dat*. *Spineta* vero pro ipsis spinis est positum, ut *salictum* pro salice, *arbustum* pro arbore, *virgultum* pro virga, atque alia hujusmodi. Virgilius Georg. II. II.

Sponte sua veniunt, camposque & flumina late
Curva tenent: ut molle siler, lentaeque genistae,
Populus, & glauca canentia fronde salicta.

& AEn. x. 362.

qua saxa rotantia late
Impulerat torrens, arbustaque diruta ripis.

Despectum cuncti praeteriere viri] B. L. M. frustra legunt *Dispectum*, nec melius Ed. ant. *despectam*. Cort. 3. *cunctus viam* pro *cuncti viri*. Voss. 3. *praeteritae* non *praeteriere*. forte distichon hoc modo reformandum

At te, deformem quod dant spineta figuram,
Despectum cuncti praeteriere viri.

ni mavis,

Despiciunt cuncti praetereuntque viri.

Viri, id est homines: sic Graecis ἄνδρες. Virgilius Georg. IV. 223.

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Clau-

Ille refert: nunc laeta quidem bona sola fateris,
Et nostris frueris imperiosa malis,
Sed quum pulchra minax succidet membra securis,
Quam velles spinas tunc habuisse meas.

Nemo suae carnis nimium laetetur honore;
Ne vilis factus post tua damna gemat.

Claudianus epigram. de Apono 47.

Calcantumque oneri nunquam cessura Virorum,
Sustentat trepidum fida ruina pedem.

Ille refert: nunc laeta] *Illa* C. 2. Col. 2. pro *refert*, *habet* B. L. pro *nunc*, *tamen* Cort. 3. pro *laeta*, *caesa*. Cort. 2. sed in margine *laeta*.

Fateris] Id est ostentas, testaris. Claudianus de bello Get. vs. 165.

Thraces & AEmonii poterunt, Moesique fateri.

Florus II. 6. 39. *quam velociter, quatuor anni fatentur*. vid. Duker. ad IV. 12. 62. & quos ille citat. Salmas. ad Capitolin Pertin. c. I. Schulting ad Senec. controv. II. & sic *confiteri* Florus I. 18. 20. *Quum, perorante Appio Caeco, pulsi cum muneribus suis ab Urbe legati, interroganti regi suo, quid de hostium sede sentirent: Urbem templum sibi visam; senatum, regum consessum esse, confiterentur*. an similiter Suetonius in Aug. c. IV. *Priusquam confiteri se candidatum consulatus posset?* nam eam lectionem tuentur praestantiores aliquot Codices, tametsi ex Viterbiensi atque ex Ursini Cod. Casaubonus *Profiteri* edere maluit.

Frueris] Id est delectaris. vid. Valla de elegant. V. 5. & quos citat Freinsh. indic. Flori. omnino ergo rejicienda est hic Voss. 3. & Cort. 2. nec non Edit ant. auctoritas, substituentium *fueris*. neque etiam sequor B. L. M. in quibus est *sed nostris frueris*.

Succidet] Praestat hoc τῷ *succidat*, quod reperitur in C. 2. & Col. 2. quin & *succidit*, quod fatentur B. M. L. putidum est *magna* pro *membra*, quod reperitur in Edit. ant.

Quam velles spinas] Palat. Codex & editio Ulmensis praeferunt, *Quam malles spinas*. NEVELETUS. His accedunt Cort. 3. & Ed. ant. nil muto. Virgilius AEn. VI. 436.

quam vellent aethere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores.

XI. 585.

Vellem haud correpta fuisset
Militia tali.

non addo plura, ne operam ludam.

Nemo suae carnis] Versus hos postremos omisit Palat. liber & editio altera, pro quibus hos habent

Cum pulcher fueris, deformem spernere noli.
Turpia namque vigent, saepe decora cadunt.

Distichon utrumque agnoscit Ulmensis. Ceterum Palat. habet *Fortia saepe cadunt*. NEVELETUS. Distichon utrumque recidunt C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4. Cort. 2. Recte quoque neglexerunt Lugdun. Genev. & Batav. at vero Cort. 3. & Edit. ant. conspirant cum edit. Ulmensi, & utrumque probant. Tu si tanti ducis, has accipe differentias. *nimium*, *nimio* Cort. 3. Ed. ant. *damna*, *fata* C. 3. Col. 3. *facta* Cort. 3. *cum pulcher*, *Tum pulcher* Cort. 3. *deformem*, *deformes* Ed. ant.

FA-

FABULA XX.

Piscator & Piscis.

Piscator solitus praedam deprendere saeta,
Exigui piscis vile trahebat onus.
Sed postquam superas captum perduxit ad auras,
Atque avido fixum vulnus ab ore tulit.
Parce, precor. supplex lacrimis ita dixit obortis.

Nam

Deprendere saeta] Ita reposui auctoritate Cortiani I. ceteri omnes *suspendere*. illud autem mihi multo suavissimum est visum, usitatumque in venatu ac piscatu, aptum namque verbum dolis atque insidiis, sive ad detegendam, sive ad comprehendendam praedam. Ovidius Metam. I. 296.

Hic summa piscem deprendit in ulmo.

vid. Nicol. Heins. ad Metam. I. 37. deprehensionem hanc, quae fit hamo, & saeta, festive tradit Ausonius in Mosel. 247. hi funiculi piscatorum ex saetis equorum marium fiebant, ut tradit Plutarch. de solert. Animal. c. LVII.

Superas captum] *Captum superas* Edit. antiq. mox *deduxit* habet Cort. I. non improbo, si *captum superas eduxit*.

Atque] *Ac* Cort. 3. sed hoc nihili. aliquid forte videbitur, quod in eodem invenitur, *vulnus ab ore trahit*: tametsi mihi vulgatum probatur. *tulit* id est sustulit. Virgilius Ecl. IX. 51.

Omnia fert aetas, animum quoque.

Vulnus] Hamum seu telum notat. vid. supra fab. XVII. I. Voss. 3. & 4. *fuit* substituunt pro *tulit*, nullo sensu.

Parce, precor: lacrimis supplex ita dixit obortis] *Parce quaeso* Ed. ant. perperam. *supplex lacrimis* Voss. 3. 4. Cort. I. 2. cum quibus faciunt edit. Lugdun. Genev. Batav. quod per me sequi licet. *Ita supplex* Cort. 3. *abortis* non *obortis* est in Voss. 3. & Edit. ant. & ne quis id imprudentiae scribentis imputet, eodem modo id scriptum reperitur in iisdem libris fab. XXV. 3. & quia in nonnullis codicibus Ovidii id invenerat, defendendum suscepit Gebhard. in Crepund. I. c. 12. ubi tamen nullam sententiae suae rationem adfert. equidem credo vitiosae id dandum pronunciationi, quae librarios decepit. Nam ut *obortae lacrimae*, sic & *obortum gaudium* dicitur, quod Festus in litera O. recenset. Adde Vir. Celeberr. P. Burmannum ad Ovid. Metam. I. 350. Batavi porro ediderunt *lacrimis adfatur obortis*. Virgilius AEn. III. 492.

Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis.

Ovidius Metam. I. 350.

Deucalion, lacrimis ita Pyrrham adfatur obortis.

Suspicor scripsisse Avianum

Parce, precor, supplex lacrimis ita fatur obortis.

Vir-

Nam quanta ex nostro corpore lucra feres!
Nunc me saxosis genetrix foecunda sub antris
Fudit, & in propriis ludere jussit aquis.
Tolle minas, tenerumque tuis sine crescere mensis,
Haec

Virgilius AEn. xi. 41.

lacrimis ita fatur obortis.

Nam quanta] *Sed quanta* C. 3. Col. 3. *Nam magna* Cort. 2. neutrum placet.

Ex nostro corpore] *Ab nostro corpore* Voss. 3. 4. sed praepositionem hanc delet Ed. ant. nihil hic novandum censeo.

Damna] Tolerari potest, quod vetus editio legit, *lucra*. NEVELETUS. Editionem hanc comprobat C. 3. Col. 3. neque nos ab horum auctoritate recedendum putavimus, praesertim cum eam res ipsa confirmat: non enim damna dein, sed lucra recensentur. Si quid tamen video, vere ita hunc versum finxit Avianus,

Hem! quanta ex pasto corpore lucra feres.

Glossae Terentii: *Amabo, sodes, hem, mea tu:* blandientis. *Pastum corpus* est pinguefactum & saginatum: quin & ipsa vox *corpus* per se saginam quandam designat: utrumque haustum ex Phaedro III. 7.

Cani perpasto, macie confectus lupus
Forte occurrit. Salutantes dein invicem
Ut restiterunt; unde sic quaeso nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?

contra *impastus* Virgilius AEn. ix. 339.

Impastus ceu plena leo per ovilia turbans;
Suadet enim vesana fames.

& sic *impasti pisces* x. 560. non displicet, quod M. praefert. & Voss. 2. *feras* pro *feres*, id est *ferre possis:* nam quod est in Voss. 3. *fuit*. plane vitiosum.

Nunc me saxosis] *Nunc*, id est hoc ipso tempore, ac si diceret *me modo saxosis*. quod si legeretur, aliud non requirerem. Recens autem se natum dicit, & quidem in locis saxosis ut tenerem arguat, ac macilentum.

Foecunda] *Foetida* B. L. Voss. 2. quod plane foetidum hoc loco: *foecundam* dicit matrem pisciculus ob innumerabilem ovorum prolisque copiam, de qua Plinius ix. 50. & AElian. histor. Anim. ix. 63. quae & apud Poëtas in proverbium venit. Ovidius Trist. iv. 1. 56.

Quotque fretum pisces, ovaque piscis habet.

quanto autem numerosior suboles, tanto distractior in singulos, & minor est parentum cura. diligentissimus est verborum in hoc versu Avianus. Omnia enim haec *Nunc*, *saxosis*, *foecunda*, *propriis*, *ludere*, ostentant exiguitatem pisciculi, atque inopiam pinguescendi. Ceterum *ab antris* editum est in Edit. antiq. & nonnulli Codices vetusti *in* detraxerunt voci *propriis:* utrumque pessime.

Tolle minas] Sic & fab. ult. 12. ex Virgilio AEn. x. 451.

Tolle minas: fatus, medium procedit in aequor.

Cort. 3. mutat *tenerum* in *tenerisque*, at caudam *que* illi detrahit

Haec tibi me rursum littoris ora dabat.
Protinus immensi depastus caerula ponti,
Pinguior ad calamum sponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens absolvere piscem,
Difficiles queritur casibus esse vices.

Nam

hit Ed. ant. id quod nemo sequi volet.

Rursum] *Rursus* C. 3. Col. 3. Voss. 3. P. A. Cort. 2. Ed. ant.

Littoris ora] Hoc praetuli, cum ob majorem codicum in id consentientium numerum, tum ob haec Virgilii Georg. II. 44.

primi lege littoris oram.

& AEn. III. 396.

Italique hanc littoris oram.

nam quod Cort. 3. ostentat, ediderun tque Lugdun. Genev. & Batav. *littoris unda* per se non rejiciendum. monstri tamen simile est, quod habet Voss. 3. *litoras quadrabit*, & L. *litoris quadrabis.*

Immensi depastus] *Immenum* Ed. ant. *pastus per caerula* P. A. quo & vocat Edit. ant. *depastus per caerula.* nempe quia hoc Latinius existimarunt magistelli, qui vero his verius sapiunt, illud Virgilianum esse norunt. apposite sane Ausonius epist. III. 13. id *populare caerula* dixit.

Tum quas vicinae suggessit praeda lacunae,
Anates, maritas junximus,
Remipedes, lato populantes caerula rostro
Et crure rubras punico.

B. & L. ut & Voss. 2. *ponto* praeferunt. Sed ut hic *caerula ponti*, sic Ennius *caerula campi* apud Macrobium VI. 3.

Fert sese campi per caerula.

& Lucretius I. 1089. *caerula caeli.*

Calamum] *Thalamum* inepte habent Cort. 2. Ed. ant.

Recurro] *Redibo* C. 3. Col. 3. Voss. 3. 4. Cort. 1. 2. P. Ed. ant. sed in Cort. 3. *adibo.* verum & vox illa, & tempus plus valent ad exprimendum affectum. Horatius epist. I. 7. 73.

hic ubi saepe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum.

Sic praesens pro futuro Valer. Flac. I. 677.

Tum quocunque loco meritas tibi plurimus aras
Pascet honos, ubicunque votis horrendus equisve
Stas Pater; atque ingens utrinque fluentia Triton
Fraena tenet.

Ille nefas captum] Multa in his versibus mutata vitiataque esse quivis perspicit. quodnam hic nefas in dimittendo pisce? Scio *nefas* nonnunquam de criminibus levioribus usurpari, imo etiam de re adspectu horrenda, quae sine crimine est. vid. Virgilius AEn. VII. 71. Sed quod crimen, quis horror est, capto per imprudentiam & nihil commerenti parcere? Dein num difficiles sunt fortunae & casuum vices? imo anne potius faciles, & mobiles? refingo ergo versus contaminatissimos hoc modo,

Ille negat captum referre absolvere piscem,
Dum faciles queritur casibus esse vices.
Non stultum est, inquit, praesentem amittere praedam?
Stultius & reditus vota futura sequi?

multa commemorat piscis cur debeat dimitti, sed negat piscator *referre*, id est conducere ac prodesse eum dimittere: Virgilius Georg. III. 548.

Praeterea jam nec mutari pabula refert.

Nam miserum est, inquit, praesentem amittere praedam,
Stultius & rursum vota futura sequi.

Incerta pro spe non munera certa relinque,
Ne rursus quaeras forte, nec invenias.

Sic *facilis aestus* Prudentius Hamartag. 278.

Haec sexus male fortis agit; cui pectore in arto
Mens fragilis facili vitiorum fluctuat aestu.

neque haud multo aliter *lutum facile* dixit Tibullus I. I. 31. Virg. Georg. I. 266.

Nunc facilis rubea texatur fiscina virga.

& supra fab. x. 4.

Et facilem fraenis flectere coepit equum.

queritur posuit vel pro loqui, ut alias *gemere*, de quo vid. Differt. vel, quod verius puto, mimico ac simulato quodam questu misericordiam ostendere nec tamen praestare, plane ut *deflere* Suetonius Cal. c. XXXVIII. *Prolataque Divorum Julii & Augusti diplomata, ut vetera & obsoleta, deflebat.* in quibus verbis quidquam mutari nolim. in versu 15. *stultum* pro *miserum* edidi ex auctoritate P. & Cort. 3. *sequi vota* dicitur eodem modo, ut *sequi spem*; de quo Cl. Cortius ad Sallust. Cat. XXXV. 4. *vota futura reditus* pro vota futuri reditus, usitata Poëtis figura. de qua dixi supra; sic mox fabula sequenti

Haec vox implumes turbavit credula nidos.

id est nidos credulos. Ceterum *vota futura* malo, quam *vota diurna*, quod occupavit haud paucos libros cum scriptos, tum impressos. Potior tamen pars *futura* probat, ut C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. B. L. Voss. 2. 3. 4. Cort. 1. 2. Ed. Lugd. Genev. & Batava. idemque sibi repertum in libro Palatino & editionibus suis vetustis ad hunc locum monet Neveletus. reliquarum vocum in his quatuor versibus has deprehendi discrepantias. in vs. 13. *Ille nefas*, *ille nefas est* Voss. 3. *captum referens: referens captum* Cort. 2. vs. 14. *Difficiles: difficile* Voss. 3. *queritur* delet Voss. 2. *casibus: cassibus* Cort. 1. vs. 15. *stultum est: τὸ est*, abest ab Edit. ant. vs. 16. *stultius & rursum: tutius est iterum* C. 3. Col. 3. ex quibus qui veriora exsculpere poterit, me ingenii praedicatorem habebit. In Graecis fabulis ita est, vid. fab. AEsop. III. *Ἀλλ᾽ ἔγωγε ἄφρων ἂν εἴην, εἰ τὴν ἐν χερσὶν ἑτοίμην τροφὴν ἀφεὶς, τὰ μὴ φαινόμενά πω διώκοιμι. Ego vero demens essem, si qui in manibus paratus est, cibo dimisso, quae non videntur persequar.* & fab. CXXIV. *Ἀλλ᾽ ἔγωγε ἄνους ἂν εἴην, εἰ τὸ ἐν χερσὶ παρεὶς κέρδος, κἂν σμικρὸν, ἢ τὸ προσδοκώμενον, κἂν μέγα, ὑπάρχῃ ἐλπίζειν. Sed ego demens fuerim, si quod in manibus est, misso lucro, licet sit parvum, exspectando etiam magnum sperem.*

Incerta pro spe] Hi duo versus non reperiuntur in C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. B. L. Voss. 2. 3. 4. Cort. 1. 2. ed. Lugd. Genev. & Batav. pro *relinque*, *relinquas* est in Ed. ant. ut & pro *ne*, *&*: pro *forte nec*, *forte non*. spurios esse quivis non ineptus videt.

FA-

FABULA XXI.

Rusticus & Avis.

Parvula progeniem terrae mandaverat ales,
Qua ſtabat viridi ceſpite flava ſeges.
Ruſticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam ſupplex forte petebat opem.
Sed vox implumes turbavit credula nidos,
Sua-

Ruſticus & avis] Ea eſt fabula vulgatiſſima ex Gellio lib. II. c. 29. NEVELETUS. Tradidit eam quoque Babrias. vid. Suid. in voc. ἀμᾶν. abeſt tota fabula ab Edit. Ant.

Progeniem] *Progenie* maculoſe Cort. 3. Aviculam hanc caſſitam nominat Gellius.

Qua] *Qui* B. L. M. dicam alias, ſaepe hoc pro *qua* uſurpatum.

Viridi] Admodum inepte Voſſ. 2. *viridem*, niſi quis corruptum cenſet ex *viridi in*, quae tamen durior eſt eliſio.

Flava ſeges] Id eſt jam matureſcens ſeges, *frumentis flaveſcentibus* dixit Gellius, λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη, ut eſt in Euangelio Johannis IV. 35. & dudum ante Homer. Il. E. 500.

ὅτε τε ξανθὴ Δημήτηρ
Κρίνει ἐπειγομένων ἀνέμων καρπόν τε καὶ ἄχνας,
Αἱ δ' ὑπολευκαίνονται ἀχυρμιαί.

quando flava Ceres
Secernit urgentibus ventis fructumque & paleas;
Subalbicant autem palearum receptacula.

in Voſſ. 3. eſt *flaga* nullo ſenſu. Unus Cortianus 2. *Ceres*, quod praeferrem, ſi plures addicerent, aut fabularis ſermonis ſimplicitas vocem *ſeges* non magis requireret. Alias ſaepe hae voces commiſtae leguntur. vid. Burm. ad Ovid. Amor. I. 15. 12. & Artis Amat. I. 401. Faſt. I. 687.

Fragili cupiens] *Cupiens fragili* Cort. 2.

Vicinam] Namque vicinitatem veteres in propinqua parte amicitiae putabant. vid. Terentius Heaut. I. I. 4. adde Petr. Mol ad Longi Paſtoralia lib. III. pag. 98. recte autem noſter vicinos in adjuvanda meſſe primos vocatos fingit, quos poſt amicos rogatos dicit Gellius, qui a minoribus neceſſitudinibus ad majores proceſſiſſe ruſticum ſcribit. de hac mutua vicinorum opera ita Cicero Offic. I. 18. *Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quiſque vel ſine nobis aut poſſit conſequi, aut non poſſit. Ita non iidem erunt neceſſitudinum gradus, qui temporum, ſuntque officia, quae aliis magis, quam aliis debeantur: ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem.* aliquid de hoc vetere vicinitatis jure idem pro Planc. c. IX.

Sed vox implumes] Legendum *Haec vox*, nihil corruptius in toto hoc libello, quam iſtiuſmodi particulae, in initio verſus poſi-

Suaserat & laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet discedere mater:
Nam, quid ab externis proficietur? ait.
Ille iterum caris operam mandavit amicis.
At

tae, quae passim vitiatae sunt.

Credula nidos] Pro *credulos nidos.* vide ad fabulam superiorem. nidos intellige pullos, in eadem hac fabula Gellius *atque ita Cassita nidum migravit.* disertius Virgilius Georg. IV. 16. de hirundinibus.

Omnia nam late vastant, ipsasque volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam.

similiter XII. AEneid. 475.

Nigra velut magnas Domini cum divitis aedes
Pervolat, & penitus alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas.

vid. Barth. & N. Heins. ad Claud. III. Consul. Honor. in praefat. 5 neque aliter divinus Lucas XIII. 34. ἠθέλησα ἐπισυνάξαι τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ὄρνις τὴν ἑαυτῆς νοσσιὰν ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε. hoc addendum in Cort. 3. legi *sedula* non *credula.* in B. & L. *nidus* pro *nidos.*

Suaserat & laribus] Codex unus eorum, quibus usus est Pulmannus, *suaserat a laribus.* forte verum est *suasit & a laribus*: praecedit namque *turbavit.* ad defendendam tamen omnium librorum auctoritatem, conspirantium in *suaserat*, possis *turbarat* reponere, eo certe ducunt Cortiani duo 2. & 3. in quibus *turbabat* reperitur. *suadere* hoc loco est commovere, inducere: neque homo tantum sed & res suadet. Virgilius Ecl. I. 54.

Hinc tibi quae semper vicino ab limite sepes,
Hyblaeis Apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro.

Cort. 3. *rebus* habet pro *laribus*: sed hoc probum, nam quamcunque domum atque habitationem notat apud Poëtas.

Continuare fugam] C. 3. Col. 3. *continuasse.* an *continuare* est continuo facere, continuo capescere? sic existimet qui volet: Ego suspicor Avianum *accelerare* scripsisse, quod mutarunt inepti, ut syllabam fulcirent. Virgilius AEneid. I. 361.

Tum celerare fugam, patriaque excedere suadet.

Gellius haec ita. *Pulli trepiduli circumstrepere; orareque matrem ut jam statim properet, atque ad alium locum sese asportet.* forte tamen altius ulcus insedit, quam ut exigua hac ope tolli potuerit:

Remeans prohibet] *Praemeans prohibens* Cort. 2. satis inscite, nec melius mox idem *discere* pro *discedere*, in ora tamen libri vera lectio comparet.

Nam quid] *Jam quid* Voss. 2. *Nunquam* Voss. 3. hinc conjicio *num quid.*

Externis] *Extrenis* Cort. 3. *extremis* C. 1. Col. 1. *extremo* Cort. 2. sed in margine *externis.*

Proficietur] Sic C. 3. Col. 3. Voss. 3. quibus calculum adjecit Batavus editor: reliqui *proficietur.* tu vide quae supra disputavimus fab. 11. 6.

Ille iterum] *Ille enim* C. 3. *ille rerum* B. nec probius Cort. 3. *coram* pro *caris.* turbant alii in voces

At genetrix rursum tutior inde manet.
Sed postquam curvas dominum comprendere falces,
'Frugibus & veram sensit adesse manum.

Nunc

ce *operam*. B. namque & L. *opera* exhibent, at vero Col. 3. Voss. 2. *operum*. Col. 2. *rerum*. Imperite quoque Cort. 2. *praestabat* substituit in locum τȣ̃ *mandavit*.

At genetrix] *Ast* Cort. 3. Voss. 2. corrupte *ut*.

Rursum tutior] *Rursus* Cort. 1. cur tutiorem se ab amicis domini dicat, quam a vicinis, caussa ex Cicerone, quem supra citavimus, intelligitur.

Curvas dominum] *Dominum curvas* Voss. 4. P. A. Cort. 2. 3. pejus Voss. 3. *dominus curvas*.

Veram manum] Id est nihil simulantem aut fallentem, sed re vera ac sedulo opus peragentem. fallere namque ac cunctari solent amici in praestandis operis mutuis. diserte Gellius in hac fabula *Dominus, quos rogaverat, operitur: sol fervit & fit nihil: & amici nulli erant.* & mox: *Cognatos affinesque nullos ferme tam esse obsequibiles, ut ad laborem capescendum nihil cunctentur.* Sic *verum* simulato opponit Terentius Andr. 1. 1. 20.

Quas credis esse has non sunt verae nuptiae.

So. *Cur simulas igitur?*

nescio quid impulerit Batavum editorem, ut *totam* praeferret, quod abhorret ab editis scriptisque libris omnibus, nisi forte *manum* is interpretatus est familiam, & domesticorum manum seu multitudinem. equidem autem hic operam accipere malo, quae manu praestatur. Sic Gellius cum hanc fabulam narrat: *Videsne*, inquit, *haec ematuruisse & manus jam postulare?* Atque iterum deinde: *Et frumentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus.* Virgilius AEn. XI. 329.

ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant, nos aera, manus, navalia demus

atque inde *manus artificis* Tibullus 1. 9. 11.

Quid fuco splendente genas onerasse? quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?

Martialis VIII. 50. 1.

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris haec manus est, an, Polyclete, tua?

noster infra fab. XXIV. 12.

Artificis testem si cupis esse manum.

Virgilius AEn. 1. 593.

namque ipsa decoram
Caesariem nato genetrix, lumenque juventae
Purpureum & laetos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus.

Inde & *manupretium*, de quo Brisson. Antiq. sel. IV. c. ult. ad extremum monendum, *saevam manum* legi in C. 3. Col. 3. unde quis conjiciat *servam manum*, id est servilem aut servorum. Ovidius Fastor. VI. 558.

Hoc est cur odio sit tibi serva manus.

& Heroid. X. 90.

Neve traham serva grandia pensa manu.

Plautus in Persa II. 4. 9.

Servam operam, linguam liberam herus me jussit habere.

idem error inquinavit Horatium Od. I. 35. 17. ubi de Fortuna

Te semper anteit serva Necessitas,
Clavos trabales & cuneos manu

I 3 Ge-

Nunc ait, o miseri, dilecta relinquite rura,
Quum spem de propriis viribus ille petit.

Gestans aëna; nec severus
Uncus abest, liquidumque
plumbum.

Serva legit antiquus scholiastes & libri aliquot vetusti: alii contra *saeva* receperunt, quod tuetur Vir Cl. Richardus Bentleius. Verum serva haec necessitas fuit, quae ut lictores, servi publici, Romae consulibus aliisque magistratibus, fasces, sic Fortunae potentissimae Deae instrumenta supplicii praeferebat. apposite hos Martis servos, lictores vocat Claudianus laudib. Stil. II. 367. seqq.

talis ab Istro,
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Deposito mitis clypeo candentibus urbem
Ingreditur trabeatus eques. Spatiosa Quirinus
Fraena regit, currumque patris Bellona cruentum
Ditibus exuviis, tendens ad sidera quercum.
Praecedit lictorque Metus cum fratre Pavore;
Barbara ferratis innectunt terga catenis.

idem de similibus Romae Deae servis in Consul. Olybr. 75.

Roma Probo cupiens dignas persolvere grates,
Sedula pro natis Dominum flexura rogando
Ire parat. famuli currum junxere volantem
Impetus, horribilisque Metus.

nec movet, quod Necessitas rerum domina & regina Fortunae serva dicitur, nam & Claudianus Romam, rerum dominam, fingit *Dominum rogando flexuram*: habet namque Necessitas delegatam hanc sibi potestatem a Fortuna, ut suam Aeolus, qui clauso ventorum carcere regnabat, aliique Dii a Jove. vid. Virg. AEn. I. 17. Dein Metus, Pavoris, Impetus non mitius imperium est quam Necessitatis, qui tamen parere finguntur. Necessitatem Horatius videtur significare, quam Pindarus Pythior. IV. Κίνδυνον dixit. Dicendum porro in Cort. 2. inveniri *sentit adesse*, male.

Nunc ait] *Tunc ait* Voss. 4. Cort. 3. quibus non subscribo. vulgatum confirmat distichon Babrii, non illius, cujus nunc ficto nomine venditantur fabulae, sed antiqui, quem legit laudatque Avianus. conservavit eos versus Suidas in voc. ἀμᾶν.

Νῦν ἔστιν ὄντως, παῖδες, ἐκ τόπων φεύγειν,
Ὅτ' αὐτὸς ἀμᾶ, κοὐ φίλοισι πιστεύει.

Nunc licet revera, o fili, ex locis istis fugere,
Quum ipse metit nec amicis credit.

prave quoque mox Cort. 2. *dilata* pro *dilecta*, nec rectius Cort. 3. *dilectam linquite.*

Quum spem] *Dum spem* Voss. 2. non probo, neque illud etiam quod in Cortii 3. est *frugibus*, pro *viribus.*

Ille petit] Editio altera (nam Ulmensis hanc fabulam non habet) distichon hoc addit,

Exemplo simili vitare pericula debes,
Instans quando malum videris esse tibi.

NEVELET. Recte hoc Monachis auctoribus reliquere ceteri libri omnes, nec dignum habuere, quod memorarent.

FABULA XXII.

Invidus & Cupidus.

Jupiter ambiguas hominum praediscere mentes,
Ad terras Phoebum misit ab arce poli.
Tunc duo diversis poscebant numina votis.
Namque alter cupidus, invidus alter erat.
His

Praediscere] Hos retinent libri plerique omnes cum scripti tum editi, soli Batavi ediderunt *perdiscere*. quod reponerem, si per libros vetustos liceret. *praenoscere* autem quod praeferunt P. A. Cort. 1. 3. ex glossa, ut plurima alia in hoc libello, est ortum. Cortii 2. in manifesto errore deprehenditur, dum *praedicere* ostendit. Praepositio *prae* notat Jovem oratum ab hominibus dare rogata potuisse, nisi prius didicisset hominum animos mobiles & cupiditatem incertam. *discere* autem est cognoscere Virg. AEn. II. 65.

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes.

misit praediscere, id est ut praedisceret, frequens est Poëtis, ut *eo visere* Terent. Phorm. I. 2. 52. an & sic Valer. Flacc. I. 31. *pergit extinguere?* Virgil. Ecl. II. 43. *orat abducere*, ubi vide Serv. AEn. XII. 343.

quos Imbrasius ipse
Nutierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos.

Ovid. Metam. I. 200. *saevit extinguere.* adde Muncker. Indic. Hygin. in *infinitivo.* in versu sequenti *terram* habent Cort. 1. & 2. vulgatum magis probo. Ovid. Metam. I. 213.

Et Deus humana lustro sub imagine terras.

Tunc duo] Mirum quantum in hac fabula corruptum. Scribo

En duo diversis poscebant numina votis,
Quorum alter cupidus, invidus alter erat.

monui saepius in nullas voces impudentius grassatam magistrorum audaciam, quam in voculas in initio versuum positas. misit Jupiter Phoebum, & is cum in terras venit, ecce tibi duos. quae sententia digna est Poëta. *Numina* edidi ex C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 2. & 3. idemque dudum admiserant Batav. Lugd. Genev. nam ceteri omnes *munera.* Verum illud probatum Virgilio AEn. I. 666

Ad te confugio, & supplex tua numina posco.

atque inde confirmatur hic Ovidii versus, Metam. VII. 248.

Verba simul fundit, terrenaque numina poscit.

munera autem & *numina* confundi etiam supra docuimus, & ad fabulam seq. vs. 5. adde notas ad Ovid. Fast. IV. 253. in Voss. 3. & 4. *pascebat*, quod tamen deinceps correctum in *poscebat.*

Namque alter cupidus] Edit. ant. *unus nam cupidus.* sic & Cort. 3. *invidus unus.* non intercedo, quo minus *cupidum* hic accipias eo sensu, quo accipiendum monet Broukhus. ad Tibul. I. I. 90, vere tamen adsentior Cl-

His sese medium Titan, scrutatus utrumque,
Obtulit, & precibus ut peteretur, ait,
Praestabit facilis: nam quae speraverit unus,
Pro-

Cl. Dukero, qui & avarum recte *cupidum* dici contendit ad Flor. III. II. 2. & IV. 12. 12. diversa autem, id est contraria, sunt cupidi atque invidi vota, quod ille, quae in alio bona sunt, sibi appetit, hic etiam ea perire laetatur, vel damno suo.

His sese medium] Multi scripti habent *his quoque se*, ut C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3 Cort. 2. 3. *se* pro *sese*. B. quae spreta Editoribus, nec injuria. *medius* est, qui inter duas partes, sive rerum sive hominum, versatur, Cl. Burman. ad Ovid. Metam. V. 564 hinc arbitrum notat, seu eum, qui intervenit & conciliat dissentientes. consulantur ii, quos citavit Cl. Dukerus ad Flor. IV. 2. 55.

Et precibus ut peteretur ait, praestabit facilis] Absona haec sunt & sensum nullum habent. nec verius Ed. ant. *praestare.* Sunt qui *praestandi* malunt, ut C. 1. 3. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 2. 3. 4. atque ei locum dederunt in editione sua Nevelet. Lugdun. Genev. & Batav. hoc si recipimus, legendum putem ex levissima mutatione,

ut peteretur, agit,

sic *facilis* cum genitivo construitur Claud. laudib. Seren. 54. *frugum facilis.* cogitavi aliquando ita corrigendum

quod petar, istud, ait
Praestabo facilis.

Ovid. Fast. I. 145.

si plura requirere vellem,
Se mihi difficilem non fore.

si quis *istud*, vel *illud* hic vacare censet, idem censeat *illa* vacare in hoc Ovid. I. ex Pont. 4. 17.

Firma sit illa licet, solvetur in aequore navis,
Quae nunquam liquidis sicca carebit aquis.

Quae speraverit] Ita B. L. M. Col. 1. Voss. 2. 4. nec ab his recedunt Edit. Lugd. Genev. Batav. idemque innuit C. 1. dum *speraverat* legit. At vero vocis hujus sensum cum non perciperent scioli, in vulgatiorem, tritioremque mutarunt: scripti namque & editi, praeter eos quos modo diximus, *quaeque rogaverit* habent. Voss. 3. autem *quaeque rogaverat.* Cort. 3. *quodcunque rogaverit.* Edit. ant. *quod rogaverit.* Sed verbum *rogare* hic ex glossa irrepsit. *Sperare* autem hoc loco est rogare, sic fab. VIII. 11.

Jupiter arridens postquam sperata negavit.

in quam lectionem istic codices omnes conspirant. Sed quid hic Codices testor? Plautum hic noster auctorem habet. duo in hanc sententiam loca Plautina citat Servius ad Virg. AEn. I. 547. verba Grammatici sunt haec, *Veteres tamen sperare dicebant Deorum auxilia rogare. Plautus in Milite* [act. IV. sc. 5. 10.] *Deos sperabo teque postremo tamen. In Casina* [act. II. sc. 5. 38.] *Diis sum fretus, Deos speravimus.* Ex sententia ergo hujus *Deos sperare* Plautus dixit pro *Deos rogare*, aut Deorum auxilium rogare. contra vero Viri eruditi, Gulielmius quaestion. Plaut. in Cas. c. IV. Lambin. & Taubman. in notis ad Casin. l. c. Pareus in Lexico Plaut. exponunt *in Deo confidere*, quod & probatur Viro politissimo Joh. Fr. Gronovio. Sed ita ut interpretarentur, impulit eos persuasio vitiatum esse locum, legendumque non *speravimus*, ut edidit Gryphius, nec Lambinus immutare est ausus, sed *sperabimus*, quod & post Guiliel-
mi-

Protinus haec alter congeminata feret.
Sed cui longa jecur nequeat satiare cupido,
Di-

mium & Dousam, quem vid. in explicat. Plaut. II. c. 5. passim in contextum receptum esse video, invitis, ut suspicor, libris antiquioribus, invito etiam Grammatici, de quo antea diximus, testimonio, quo antiqua lectio exhibetur & defenditur. Sed si *speravimus* aut *sperabimus* in illo Plauti loco considere notat, cur non id mox repetiit Olympio, cum respondet, *Nam omnes mortales Dis sunt freti.* Non enim mortales Dis minus confidunt, quam iis freti sunt. At vero aptissima exibit sententia, si *speravimus* retinueris, atque exposueris *rogavimus*. *Dis sum fretus*, inquit, *Deum speravimus.* putabat sese propitios habere Deos, quia eos rogaverat, ac votis propitiaverat: quae expositio tanto probabilior, quanto magis convenit cum librorum priscorum, tum antiqui Grammatici fide. Sed age, alium Comici locum perspiciamus, qui est in Mil. glor. IV. 5. 5. adscribam eum integrum, quo magis sententia pernoscatur, distinguendum hoc modo

donavi ei, quae voluit: quia postulavit, te quoque ei dono dedi.
PA. *Etiam me? quomodo ego vivam sine te?* PY. *Age, es animo bono*
Idem ego te liberabo: nam si posset ullo modo
Impetrari ut abiret, ne te abduceret, operam dedi:
Verum oppressit. PA. *Deos sperabo, Teque. postremo, tamen*
Etsi istuc mihi acerbum est, quia hero te carendum est optimo:
Saltem id volupe est, cum ex virtute formae evenit tibi
Mea opera super hanc vicinam, quam ego nunc concilio tibi:

post haec verba *Deos sperabo, teque* majore distinctione cetera sunt disjungenda: quod & vidit Acidalius, ut monet Taubmannus. nam eleganter sane *postremo* additur, cum quis ostendit sese graviuscule aliquid concedere. Terent. Hecyr. III. 5. 61.

Postremo, inter se transigant ipsi ut lubet.

dein Gryphius edidit non *deos sperabo*, sed *Deos spero.* quod forte verius. *spero Deos teque*, id est rogo ut Dii tuque mihi detis, quod optimum est. Et credo, qui *sperabo* hic praeferunt, locum priorem ex Casina in animo habuerunt. Sic idem Plautus in Cistell. II. 3. 52.

Deos teque spero.

idque imitatus est Iscanus, auctor saeculo suo longe eruditior, Bell. Trojan. I. 228.

Da tura Tonanti
Quum dederis, sperata neget.

& noster supra fab. 8.

postquam sperata negavit.

an & ita Silius II. 179.

Qui thalamos ausus quondam sperare superbos.

verum de hoc hujus versus Siliani sensu non contendo: nam & commode aliter exponitur.

Protinus haec] *Protinus hoc* Cott. 3. qui & ante *quodcunque rogaverit* reposuerat. Idem mox *ferer* pro *feret.*

Sed cui] Malim *hic cui. hic* pro tum, vel alter. sic & vs. 13. *ille.*

Longa jecur nequeat] Forte *nequit.* hoc versu cupidus describitur. *longa cupido* ingentem atque inmensam cupidinem notat. sic coelum, mare, aliaque *longa* Poëtis dicuntur. vid. Heins. ad Ovid. Metam. I. 255. & Burm. ad Remed. 595. Broukh. ad Tibul. I. 4. 18. Sic *longa ruina* Scal. in catal.

I 5 *Grat-*

Distulit admotas in nova damna preces.
Spem sibi confidens alieno crescere voto,
Seque ratus solum munera ferre duo.
Ille ubi captantem socium sua praemia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit extinctus ut lumine degeret uno,
Al-

Graecia bellorum longa succussa ruina,
Concidit, immodice viribus usa suis.

jecur cupiditatis sedes credebatur. vid. Schol. ad Horat. Od. IV. I. 12. Claud de IV. Consf. Honor. 248. apposite ad Aviani mentem,

At sibi cuncta petens, nil collatura cupido
In jecur, & tractus imos compulsa recessit.

ut autem hic *jecur satiare*, sic *jecur implere* dixit Prudent. Peristeph. VIII. 131.

Admotas in nova damna] Quas ante admoverat preces, id est quae ante precatus erat, nunc distulit. *in sua damna* habet Cort. I. 3. nescio an potius legendum in *sua lucra. damna* & *lucra* etiam antea confusa meminimus XX. 6. certe cupidorum est magis sua lucra inhiare, quam damna alteri struere, quod posterius invidorum proprium est, ut ex hac ipsa fabula cognoscitur. & tametsi nonnunquam adversa optat alii cupidus, facit id tamen studio compendii sui. pulchre in hanc sententiam Avienus prognost. 505.

sic in contraria semper
Vota homines agimur, nostrique cupidine fructus
Possimus alterius dispendia.

Seque ratus ferre] Recidit *que* Cort. 2. *ratus ferre*, id est se laturum esse. vid. Sanct. in Minerva I. c. 14. atque istic in notis Perizon. n. 4. adde praeterea quos nominat Duker. ad Flor. I. 12. 9.

Captantem] Id est studiose ac per insidias petentem: Brisson. de Verbor. signif. & Scheffer. ad Phaedr. fab. IV. 7. Cort. 3. *socium captantem.* & Voss. 3. *sua praemia videt.* manifesto utrumque errore.

Supplicium proprii] *Suscipiunt* Cort. 3. *propriis* Voss. 3. perperam: pessime quoque Edit. ant. *optans* pro *optat.*

Extinctus ut] *Orbatus ut* Cort. 3. *extincto quod* Cort. I. unde legere possis

Nam petit extincto quo lumine degeret uno.

sic *quo* notabit *ut*. Sed ut dicam, quod res est, parum placet, tu vide an hoc magis adlubescat.

Nam petit extincto sub lumine degat ut uno.

degat quidem hic magis convenit, quia sequitur mox *vivat*, ducit eo etiam Cort. 3. in quo *degeat.* multiplex est usus praepositionis *sub* & saepe additur, ut vacare videatur. Claud. in Rufin. II. 458.

Tunc animae, quas ille fero sub jure peremit.

Priap. LXIII.

Parum, quod acta sub laboribus luce,
Parem diebus pervigil traho noctem.

Sub brevitate Hygin. in fabulis, id est breviter. German. in Orctophyl.

Sed proprio tamen una micat sub nomine flamma.

de qua locutione plurima congessit Burm. ad Ovid. Trist. II. 551. adde Quintil. declam. CCCLXXIX.

Alter ut, hoc duplicans, vivat utroque carens.
Tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
Invidiaeque malum retulit inde Jovi.
Quae dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Laetior infelix & sua damna cupit.

ccclxxix. Sanct. in Minerva iv. c. 6. Ut autem hoc loco, sic & fab. xxiv. *sub* librariorum vitio transiit in *ut.* vid. istic ad vs. 16. adde fab. iv. 2.

Hoc duplicans] *Id duplicans* Ed. ant.

Sapiens] Re ipsa edoctus, quae sit sors hominum: non enim est hoc perpetuum epitheton Apollinis. B. & L. habent *inhumanam sortem.* nullo sensu.

Retulit inde] Hoc restitui ex A. ceteri omnes *ipse.* unus Cort. 2. *ille.* habet tamen *ille*, atque *ipse* aliquid, quando cum Deo, praesertim cum Jove conjungitur, quod admodum probatum fuit auribus veterum, tametsi id nonnullis forte hodie languere videbitur. Cic. in Mario,

Partibus intonuit coeli pater ipse sinistris,

adde ad fab. xiv. 10.

Qui dum proventis]. Non conjuncta haec prioribus legit editio Ulmensis.

Qui de proventis, aliorum gaudet iniquis
Laetior, infelix in sua damna ruit.

Palat. Codex *Quae* legit. NEVELETUS. Nostri omnes *Quae* exceptis Voss. 2. 4. Cort. 1. 2. atque Edit. ant. in quibus *qui* reperitur, solus Cort. 3. *Cui.* hos ex editoribus praeter Pulmannum sequitur nemo. *de proventis* addicunt etiam Cort. 2. 3. Ed. ant. Verum nobis diversum probatur. *proventum* etiam malarum rerum dici docuit Nonius. quemcunque eventum notat Caes. B. C. II. 38. *Multum ad hanc rem probandam adjuvat adolescentia, magnitudo animi, superioris temporis proventus, fiducia rei bene gerendae.*

Laetior infelix & sua damna cupit] Ita edidit Neveletus atque Pithoeus, idque longe plurimorum MStorum auctoritate confirmatur, & hic pro *etiam* ponitur magnamque vim habet. Invidia sive invidus infelix, sed tamen laetus, damna etiam ac mala non detrectat, dummodo alterius calamitatibus majoribus pascitur. *Iniquus* enim admodum gravibus est. Virg. Georg. I. 164. *& iniquo pondere rastri.* de voce *cupit* antea monuimus ad fab. vi. 14. facessat ergo Lugdun & Genev. editorum lectio, *sic sua damna*, nec non Batav. *sed sua damna.* non tamen displicet Ulmensis editio *in sua damna ruit.* neque ab hac divertit Edit. ant. confirmaturque Cort. 1. forte nec inde alienus Cort. 3. tametsi erravit in voce extrema, habet enim *in sua damna cupit.* pessime Voss. 3. *in sua damna dedit.* infra fab. xxx. 15.

Nam cur membrorum demens in damna ruisset.

subnectit Cort. 3. ineptum hunc epilogum,

Invidus ut non sis, nec avarus nostra fabella
Edocet, his casibus ne similem subeas.

FA-

FABULA XXIII.

Statuarius.

Venditor insignem referens de marmore Bacchum
Expositum pretio fecerat esse Deum.
No-

Venditor insignem] Desideratur haec fabula in Edit. ant. omnium haec obscurissima forte & contaminatissima est: parumque in ea purganda proficiunt Codices nostri antiqui, & fortean nos tantundem proficiemus. Quod si, ut in tenebris, hic offenderimus, nullus, credo, id nobis vitio dabit. Neveletus & Barthius plane manum hic abstinuerunt.

Referens] Id est formans, fingens; vox admodum frequentata de iis, quae imaginem rei nobis ante oculos ponunt. Horat. Epist. I. 18. 61.

Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur.

& simili modo haec vulgatissima dicuntur *refert patrem, avum.* Virgilius AEn. IV. 329.

si quis mihi parvulus aula
Luderet AEneas, qui te tamen ore referret.

neque dissimili sensu Historicus aut Poëta dicitur *referre res gestas.*

Expositum pretio] Insuetior haec locutio videtur *fecerat Deum expositum esse pretio*, id est fecerat Deum exponi venalem. Et tamen simili paene modo in lapide antiquo invenit Sirmondus, quem exhibet Gruterus Thesauro Inscr. pag. 1114. n. 5.

SI QUIS HOC MONUMENTUM SOCIORUM VENDIDERIT
SIVE DONATUM FECERIT INFERET AERARIO.

atque id existimo significasse veterem notam D. F. Valerius Probus exponit *Donum fecit.* Sed tu lege *Donatum fecit.* est autem *donatum facere*, donare, sic *scissum facere* pro scindere. Propertius II. 14. 8.

Et faceret scissas languida ruga genas

sic & *nudum facere*, *exanimum facere*, pro nudare, exanimare. Idem III. 6. 8.

Fac mea rescisso pectora nuda sinu.

Priap. 65.

Ne tamen exanimum facias pecus omne.

& quantum hinc recedit *facere missum aliquem*, id est mittere, dimittere, quod usitatissimum est? Quid? quod & convenit illud Terentii Heaut. II. 2. 100.

Ademtum jam tibi faxo omnem metum.

& Phorm. V. 8. 39.

Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio

Esse autem post *facio* haud raro abundat, ut fab. XXVI. 10.

Tu tamen his dictis non facis esse fidem.

ubi tamen vide notas nostras: abundat quoque fab. XXXI. 6.

Non tamen iratus, quem petit, esse videt.

& supra fab. VI. 10.

Verborum vacuam prodidit esse fidem.

Denique fab. XXXVI. 14.

Expertem nostri quae facit esse jugi.

& XXXIX. 16.

Sed-

Nobilis hunc quidam funesta in sede sepulchri
Mercari cupiens compositurus erat.

Al-

Saevior hoc, alios quod facis esse malos.'

XL. 8.

Et vanas approbat esse notas.

ubi vide notas nostras. nec non in hoc Ciceronis pro Ligario c. VI. *Tu cum pacem esse cupiebas.* & saepe alias. Dubitavi tamen aliquando an verius legatur *ire* pro *esse*, eo sensu quo venire vel vendi notat Claudianus in Eutrop. I. 203.

Tot Galatae, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.

Exponi autem dicuntur omnia, quae hominum oculis aperte proponuntur, ut res venales & aliae. Florus III. 41. 14. *caput pro rostris exponitur.* Voss. 3. legit *exposito pretio.* Contra Voss. I. & B. L. *expositum pretium.* Similiter Voss. 3. in versu sequenti *hoc quidam.* omnia perperam.

In sede sepulchri] Nobiles namque monumentis suis signa & statuas imponebant. Livius XXXVIII. 56. *Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt. quarum duae P. & L. Scipionum dicuntur esse: Tertia Poëtae Q. Ennii.* adde de hoc monumento P. Manutium & Tollium ad Cic. pro Archia c. IX. & in primis l. VII. C. de religios. Si miraris Deum in funesta sede collocatum, per me licet existimes, effigiem hanc non tanquam Dei alicujus, sed tanquam pulcherrimi adolescentis impositam fuisse sepulchro. Nam insigne suum si Deo detraxeris; homo videbitur; sin homini addideris; Deus. Vide quae in hanc rem disputat Arnobius pag 194. edit. Plant. Suetonius in Tib. c. III. *Permisitque ea sola conditione, ne inter simulacra Deorum, sed inter ornamenta aedium ponerentur.* adde pulcherrimum monumentum apud Fabrettum pag. 233. Sed cur de Deo miraris? cum constet plurima Deorum simulacra insculpta esse sepulchris veterum. vid. Georg. Fabriç. Roma c. XX. in fin. Kirchman. de Funerib. lib. III. 18. Guther. de jure Man. II. 28. 29. Genios sepulchris consecratos fuisse, monumenta plurima loquuntur; tu vide Reines. Inscript. Class. XIII. n. 64. id autem tanto diligentius hoc loco observandum, quod apprime conveniunt Genii & Bacchi imagines; constat hoc ex nummis & gemmis antiquis. Cortianus tertius hic *funesta sede* detracta praepositione; primus autem non *sede*, sed *caede* scribit. At vero perite noster & more vetusto *funestam sedem* pro loco sepulturae dixit. Virgilius AEneid. VII. 3.

Et nunc servat honos sedem tuus ossaque nomen.

vid. Serv. ad Virg AEn. VI. 149. & Bentlejus ad Horat. II Ode 18. 29. Gruterus Inscript. p. 611. n. 7.

HANC SEDEM
FRUCTUM LABORIS SUI
VIVI SIBI POSUER.

Spon. Miscel. sect. v. pag. 229. Fabret. Inscr. pag. 732. n. 452.

HAE SUNT PARVAE TUAE MEAEQUE SEDES.

consule praeterea Kirchm. de Funeribus lib. III. c. 10. Savaron. ad Sidon. Apollin. II. ep 8.

Compositurus] *Dispositurus* Cort. I. *expositurus* Cort. 3. forte *impositurus.* Plin. VII c. 30. *Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulchro suo imponi jussit.* De eadem tamen re Cicero verbo *constituere* usus est pro Arch. c IX. *Itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore.*

Fer-

Alter adoratis ut ferret munera templis;
Redderet & ſacro debita vota loco.
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Quum ſpes in pretium munera diſpar agit.

Et

Ferret munera] *Ferret numina* C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. N. P. Cort. 2. Edit. Lugdun. Genev. & Batav. reliqui *munera*, vide notas noſtras ad fabulam ſuperiorem vſ. 3. utrum hic praeferas *numina* an *munera* parum refert, & ſententia eſt eadem. Sed quaeris, Bacchi hoc ſimulacrum, an alterius Dei templo conſecravit? ita certe accepit haec Aviani verba Thomaſinus de Donariis c. III. pag. 33. ubi eum Rufum Feſtum Avienum nominat. Et videtur id confirmare vſ. 9.

Seu me defunctis, ſeu malis tradere Divis.

ſed tamen, ut puto, non impedit is, quo minus Bacchum hunc ſuo templo conſecratum putemus. Dubitandum tamen non eſt, quin Deorum aliorum ſimulacra aliorum templis dedicata fuerint. Gruter. Inſcr. Theſ. pag. 76. n. 6.

LIBERO AUG. SIGNUM
SILENI ET SATYRI.

Fabrettus Inſcr. pag. 133.

DIS DEABUS
: : : :
SIGNUM AEREUM
PANTHEUM.

Cupidines dicatos matri Deum vide apud Reineſ. Claſ. I. n. 226. adde Cuper. de Harpocrate pag. 123. Cicero quoque in Verrem IV. 43. ſimulacrum Apollinis ex fano AEſculapii ſublatum narrat. adde mox c. 57. quin & c. 60.

Redderet &] Cort. 3. *Reddet nt.* Thomaſinus dicto loco *Reddebat* legit, ex libro an memoriae errore, neſcio. ego nihil migrandum cenſeo.

Nunc ait ambiguum] Senſus eſt obſcuriſſimus hujus verſus. Imo & hunc & quinque ſequentes admodum vitiatos puto, ſanandos hoc modo

Nunc, ait, ambiguum, faciat quod mercibus omen,
Quum ſpes & pretium pectora diſpar agit,
An me defunctis, an malis tradere Divis;
Sive decus buſti, ſeu velis eſſe Deum.
Subdita nequitiae eſt magni reverentia Bacchi,
Ac, qua dat, retinet funera noſtra manu.

vel ut olim conjiciebam

Atque eadem retinet funera noſtra manus.

Longum eſt ſingulorum in his cauſſam reddere. *Spes & pretium* reſcripſi ex Cort. 3. *Spes* autem lucrum notat, ut fabula ſuperiori 11.

Spem ſibi confidens alieno creſcere voto.

niſi mavis ἓν διὰ δυοῖν dictum pro *ſpes lucri*, quae figura admodum frequens Virgilio.

Pretium agit pectora] Id eſt incerta atque ambigua reddit, ſic Pomponius l. III. D. de Orig. juris. *Iterumque coepit populus Romanus incerto magis jure agi.* nam ita legendum vere vicit Vir Ampliſſimus Cornelius van Bynkershoek in Praetermiſſis ad hanc legem. in vſ. 11. *nequitiae* repoſui ex auctoritate trium MSS. B. L. & M. *Nequitia* autem quamcunque improbitatem notat. Syrus Mim.

Nequitia poena maxima ipſamet ſui eſt.

Prudentius Hamart. 112.

An,

Et me defunctis, seu malis tradere Divis,
Sive decus busti seu velis esse Deum.
Subdita nequitiae est magni reverentia facti,
Atque eadem retines funera nostra manu.

Convenit hoc illis, quibus est permissa potestas,
An prodesse aliis, vel nocuisse velint.

Auctor nequitiae scelerum Deus, asper iniquus.
Qui, quodcunque malum vitioso fervet in orbe
Sevit.

Inde virtuti opponitur a Seneca de Constantia c. VII. *Non est autem fortior nequitia virtute.* & peculiariter, vid. fab. VII. in fine. pro turpi avaritia, quae significatio huic loco convenit, usurpari notat Scholiastes Horati Od. III. 15. 12. Improbe autem atque avare fecit statuarius, quod spe lucri dubius haerebat, mortuis an Divis hunc suum Bacchum concederet. eleganter *funera Dei* dicit collocationem ejus in sepulchro, funerum ac mortuorum sede, ubi sine honore atque adoratione erat futurus. quam sortem quis recte & *fatum* dixerit. Ut adeo defendi hoc colore queat multorum librorum scriptura, qui vs. 11. *fati* habent pro *facti*. quanquam & *fatum* hic non eam porro interpretationem refugit, quam ex Tertulliano colligimus Apologet. c. XII. *Quantum autem de simulacris ipsis, nihil amplius deprehendo, quam matres, sorores esse vasculorum, instrumentorumque communium, vel ex iisdem vasculis vel instrumentis quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis transfigurante, & quidem contumeliosissime, & in ipso opere sacrilege.* Equidem autem inter diversas has conjecturas eam expressi in serie versuum, quae ex sententia nostra optime congruere videbatur. *fatum* & *factum* confundi docuit Cl. Duker. ad Flor. in prooem. Porro in vs. 12. *Ac* pro *atque* erat in Cort. 3. idemque istic *munera* pro *funera* recepit per supinam oscitantiam. De syllaba posteriore in *velis* vid. Barth. Advers. XXIII. 14. & Vossius de Analog. lib. II. 31. Quod ad ipsum fabulae argumentum attinet, non dissimile est hoc Horatii Serm. I. 8. 1.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum.

In eandem sententiam Ovidius ex Pont. II. 8. 5.

Argentum felix, omnique beatius auro,
Quod, fuerat pretium cum rude, numen erit.

consule praeterea Lactantium II. c. 4. & doctissimum hujus praeceptorem Arnobium pag. 195.

Permissa] *Commissa* Cort. 3. non probo.

An prodesse aliis] Pro *an*, *seu* habet C. 3. *en* Voss. 2. *aut* Cort. 1. 3. *prodesse aliis* C. 3. P. Cort. 3. idque receptum Batavo. reliqui *praestare magis.* Pro *seu nocuisse*, *aut nocuisse* Cort. 1. *se nocuisse* Cort. 3. *vel nocuisse* Batav. pro *velint*, *volunt* Cort. 3. de usu particulae *an*, rectene ei, & quemadmodum subjungatur *aut*, certatum memini inter viros litteratissimos Cellarium & Borrichium, quorum observationibus ad defendendum hoc ἐπιμύθιον quidquam addere piget: persuasum enim mihi est Poëtae id nostro suppositum esse, ut omnia alia. Tu inspice appendicem ad Curas posteriores Cellarii pag. 48. ejusdemque Antibarbarum pag. 226.

FA-

FABULA XXIV.

Venator & Leo.

Certamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam, nobilis atque Leo.
Hi

Protractum] *Projectum* B. *profectum* M. illud vulgatissimum est in significanda mora. Suetonius in Caes. c. LII. *Convivia in primam lucem saepe protraxit.* & saepe alias.

Quondam] *Quidam* Cort. 3. adde supra ad fab. VII. 3. & Scheff. ad Phaedr. I. fab. 24.

Nobilis atque Leo] Perpetuum hoc epitheton leonis fab. XXXVII. 14. *nobile murmur agit.* Animum enim magnum & spiritum generosum notat, quem describit Plinius VIII. 16. *Illa nobilior animi significatio, quamlibet magna canum ac venantium urgente vi, contemtim restitansque cedit in campis.* Ovidius III. Trist. 5. 33.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
At lupus & turpes instant morientibus ursae,
Et quaecunque minor nobilitate fera est.

Martialis I. 49. 4.

Nec nihil a tanta nobilitate refert.

Claudianus Consul. Mallii 302.

cum forte leaenae
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.

nobilem hanc *iram* nominat Lucanus VI. 487. quem imitatus est Poëta nescio quis. Pith. Catal. pag. 23.

Iratus recolas, quod nobilis ira leonis
In sibi prostratos se negat esse feram.

Seneca de Clem. I. 5. *Elephantes leonesque transeunt, quae impulerunt.* adde notas nostras infra ad fabulam XXXVII. 13. De homine etiam ad animum transfertur. Ovidius I. ex Pont. 2. I.

Maxime qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus.

secutus hoc est mihi ignotus apud Gruter. Inscr. pag. 1055. n. I.

AUXISTI MENTIS NOBILITATE GENUS.

Florus II. 6. I. *Urebat nobilem populum ablatum mare.* Rutil. I. 75.

Aras Paeoniam meruit medicina per artem,
Fretus & Alcides nobilitate Deus.

Complures vocem *nobilitate* temere sollicitant, inter quos & non nemo infelicissima sane conjectura. Johannes Castalio, ut ubique fere, sic etiam hoc loco confictam a se lectionem in contextum recepit, quod alios levissime secutos miror. Ille *Fretus* in *Factus* mutat, satis Latine: sed a vestigiis Codicis antiqui aberrat minus *cretus*, eo sensu, quo aliquem creatum consulem, regem dicimus. epigramma, quod inter vetera recenset Pith. pag. 70. & Almelov. ad Calcem Amoen. Theol.

Non potuit natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deum signa creavit homo.

Hi quum perpetuum cuperent in jurgia] *Hic q. p. facerent injuria* Voss. 3. nullo sensu. sic vs. seq.

pro

Hi quum perpetuum cuperent in jurgia finem,
Edita continuo forte ſepulchra vident.
Illic docta manus flectentem colla Leonem
Fecerat in gremio procubuiſſe Viri.

Sci-

pro *edita*, *adita*, Voſſ. 2. *forte*, *ſorte*, Cort. 3.

Sepulchra] Στήλας habet fabulator Graecus fab. CCXXIII. cippum intellige ſepulchralem: Gloſſator vetus, *Cippus* ςήλη. erecti hi cippi ad ſepulchra erant.

Docta manus] Inepte Cort. 3. *magis*. per doctam manum intellige artem artificis. vid. Cl. Burm. ad Ovid. I. Art. Am. 518. *Manum artificis* dixit mox vſ. 12. Virgilius AEn. XII. 210.

nunc artificis manus aere decoro
Incluſit.

epigramma de Romae ruinis, quod ediderunt Opitius, Pithoeus & Almeloveen,

Confer opus, marmorque novum, ſuperumque favorem,
Artificum ut vigilent in nova facta manus.

ſic legendum. Suſpicor tamen, non valde antiquum eſſe hoc poëma. Auſonius epigr. LXI. & LXIV. & epitaph. XXVIII. Prudent. Hamart. 267. & ſic *pictorum manus* adverſ. Symmach. II. 39. *fabrilem manum* Periſt. II. 69. adde ſupra XXI. 12.

Fecerat in] *Sculpſerat* & Cort. 2. quod eſt ex Gloſſa. Artificibus atque opificibus commune eſt illud vocabulum, unde & ipſi Fabri *Artifices* ſunt dicti. Virgilius AEn. VIII. 626,

Illic res Italas Romanorumque triumphos
Haud vatum ignarus, venturique inſcius aevi
Fecerat ignipotens: illic genus omne futurae
Stirpis ab Aſcanio pugnataque in ordine bella.
Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam.

adde vſ. 710. Cicero in Verr. IV. c. 1. 2. *Artifex ejuſdem modi Cupidinem fecit illum.* inde *Facere* Poëtae & Scriptores dicuntur. Claudianus Rapt. Proſerp. II. 44.

Hic Hyperionio ſolem de ſanguine naſci.
Fecerat.

Terentius Prolog. Heaut. 30.

fecit ſervo currenti deceſſe populum.

in Praefatione ſupra *animalia ridere fecimus*. Graeci ſimiliter ποιεῖν; in antiquis operibus ἐποίει, atque in hac fabula Graeca ἐποίουν λέοντας ὑποτασσομένους. imo non aliter dicitur Poëta, qui & inde nomen traxit, *facere verſus*. & medicus *medicinam*, quod tamen bifariam ſumitur. vid. Phaedr. fab. VIII. & XIV. & *facere* id eſt procreare Salmaſ. ad Pervigil. Ven. II. idem Graecis uſitatum; Mol ad Longi Paſt. pag. 49. Ceterum σχῆμα Herculis brachiorum complexu leonem Nemeaeum elidentis hic deſcribitur, quod dedit ex nummo antiquo Drakenb. ad Sil. III. 32. quo Hercules genu nixus inflexum procumbentis in gremium leonis collum brachiorum nodis elidit. & ſchemate nequaquam diſſimili exhibetur in Lucerna Santi Bartoli part. II. pag. 29. fabula antiqua, quam edidit Niland. n. 52. *ſuffocatum leonem* ſcribit. pro *in gremio*, *ingenio* Cort. 3. Hercules autem in ſepulchris exhibetur modo Cerberi domitor, mo-

Scilicet affirmans pictura teste superbum
Se fieri: extinctam nam docet esse feram.
Ille graves oculos ad inania signa retorquens
Infremit, & rabido pectore verba dedit.
Irrita te generis subiit fiducia vestri,
Artificis testem si cupis esse manum.
Quod si nostra novum caperet solertia sensum,

Scul-

do λεοντόφονος, modo alium laborem patrans. vid. Gli sepolchri antichi ejusdem Petri Santi Bartoli pag. 16. 19. 89. de voce *procumbere* vid. infra ad fab. XXXVI. 10.

Pictura] Imo sculptura. Sed *pingi* dicuntur omnia, quae signum, notam, imaginem alicujus rei referunt. novimus, quae acu picta dicantur. pro scribere Priap. 15.

Quale fuit malum, quod litera pinxit Aconti.

Cicero Verr. IV. 13. Tlepolemum & Hieronem *Pictores* appellat, quorum alter fingere e cera solebat, alter pictor erat. Isid. Orig. XIX. 16. *Pictura est imago exprimens speciem alicujus rei, quae dum visa fuerit, ad recordationem mentem reducit.* quae haud dubie antiquiori sublecta sunt. fabulator antiquus Nilandi eodem modo *pictum* dicit hoc monumentum fab. LII. At vero ut aperte dicam, quod sentio, sunt in hoc disticho, quae nequaquam arrident. Neque enim placet *superbus* pro superiore, tametsi non ignoro hoc Senecae Oedip. 95.

Cumque e superba rupe jam praedae imminens,

Sic enim nonnulli codices. Cur enim vox *prior* non succurrit, quae longe aptior & eo sensu usurpata est supra fab. IV. 3. Deinde *extinctam* non placet, imo ipsum illud *scilicet* interpretamentum Magistri sapit. Tu vide, an hoc placeat.

Ilicet! hinc jactat pictura teste superbus,
Se fortem, & victam nunc docet esse feram.

Ilicet ponitur in damnis, malis ac clade alicujus. vid. Donat. ad Virg. AEn. II. 424. Victam feram intellige caussa & lite victam. Terentius Phorm. I. 2. 82.

Quum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.

& sexcenties Cicero & alii. Quin malim hic *victum ferum*, quam *victam feram*. Phaedrus I. 21. 8. de leone

Asinus ut vidit ferum
Impune laedi.

item II. 1. 8. *nunc* non cum *docet* construendum, sed *victum*. *fortem* quod reposuimus videtur juvari a Codice Cort. 3. in quo est *fore* pro *fieri*.

Rabido] *Rapido* C. 3. Col. 3. M. P. A. G. edit. Lugdun. similiter mox vs. 16. *rapidis* habent. C. 3. Col. 3. B L. M. P. A. Cort. 1. 2. 3. sed vid. ad fab. I. 2. & XVII. 2.

Generis subiit] *Subiit generis* Cort. 2.

Vestri] B. L. M. Voss. 2. 4. Cort. 3. Edit. Lugdun. Genev. & Batav. Ceteri praeter hos *nostri*.

Artificis] *Artifices* male. Voss. 2.

Quod si.] *Sed si* P.

Novum caperet solertia sensum.] *Novum* id est insuetum. insuetum enim Leonibus pingere, malo autem hoc, quam egregium, admirandum, de quo saepe Servius ad

Sculperet ut docili pollice saxa Leo:
Tunc Hominem adspiceres oppressum murmure solo,

Con-

ad Virgilium & Gronov. Diatrib. Stat. c. VI. elegans vox *caperet*. Non capiuntur ea, quae ampliora sunt, quam ut complecti possimus. Florus I. 18. 16. *Ut victoriam suam Roma non caperet.* Claud. Laud. Stil. III. 131.

Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit.

Sculperet] Sic longe major pars Scriptorum atque editiones antiquiores. *Scalperet* tamen est in B. Voss. 1. 2. Nevelet. edit. Lugdun. Genev. & Batav. Similis diversitas est in Horatio Od. III. 11. in fin.

& nostri memorem sepulchro
Scalpe querelam.

ubi vid. Crucq. Ovidius Metam. X. 248. Dausq. in Orthogr. Salmasius ad Solin. pag. 33. ubi docet, origine non differre has voces, usu tamen. adde eundem pag. 736. *scalpi* nempe dici ea, quae cavantur, *sculpi* cum figurae exstant. adde porro Aldum Manutium de Quaesitis per Epist. III. c. 9. hoc si verum est, marmora antiqua pleraque scalpturam simul & sculpturam habent. Scalptos titulos, sculptas imagines: quare recte in Horatio *Scalpta querela*, & hoc loco in nostro *sculpta saxa*, sed mox idem Salmasius docet pag. 774. haec usu saepe turbari.

Adspiceres] *Adspicies* Cort. 2. sed in margine *adspiceres*.

Murmure solo] Sic edidi ex Cort. 3. nam *magno*, quod omnes reliqui tenaciter servant, sensum non habet. Leo indignatus jactantiam hominis, qua brachiorum nexu leo suffocatus a viro ostentabatur, respondet, si ipse pingere aut sculpere posset, sese exhibiturum hominem, nullo Leonis nisu ac labore, sed solo murmure dejectum. Sed si meo arbitrio res ageretur, rescriberem pro *Murmure magno*, *marmore in isto*. Sane marmor pro sepulchro saepe Poëtae, quod ditiorum monumenta ex marmore erant. Notum est illud Varronis,

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo.
Pompejus nullo. Credimus esse Deos?

Epitaphium Africani apud Plutarchum in vita Scipionis,

Devicto Hannibale, & capta Carthagine adaucto
Imperio, hoc cineres marmore tectus habes,
Cui non Europe, non obstitit Africa quondam,
(Respice res hominum) quam brevis urna tenet.

versus hos sic corrigendos existimamus, quos admodum maculate edidit Pith. Catal. pag. 72. Manut. ad Cicer. pro Archia c. IX. iis fidem abrogat, quod cineres & urnam meminerunt, cum constet, ut ait, Africanum crematum non esse. Non nunc diligentius inquirere lubet, crematus sit vulgatissimo Romanorum usu Scipio, an ex more gentis suae integer terrae mandatus. Sed hoc certum, Plinium etiam lib. VII. 30. ubi eandem Scipionis historiam memorat, cineris meminisse. *Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulchro suo imponi jussit: clarumque illud nomen, imo vero spolium ex tertia orbis parte raptum in cinere supremo, cum Poëtae titulo legi.* De sepimentis tumulorum marmoreis vid. Casaub. ad Suet. in Ner. XXXIII. ubi citat vetus epigramma in Caninium, quod quia huc pertinet

 ad-

Conderet ut rabidis ultima fata genis.

adscribam; sed purgatum mendis suis quam plurimis.

Quoad vixi, vixere omnes inter meos.
Eundem mi amorem praestat puer, item senex.
Monumentum indicio est saxo septum marmore.

Saxum marmor dixit, ut *lapis silex*. Plura notat Taubm. ad Plaut. Asinar. I. 2. 87.

Conderet ut rabidis] Legendum omnino *Condere sub rabidis*. Suetonius in Tib. c. XXI. *Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit*. *Genae* autem hic sunt malae vel maxillae, vid. Festus sive Paulus in *Genas*. Plin. XI. c. 36. & Isidor. XI. c. I. Tribuit genis dentes fabulator Anonym. fab. XXVII.

Tot bona furatur senium; nam robore privat
Corpus, dente genas, & levitate pedes.

Condere fata est finire fata; *defungi fatis* dicimus eodem sensu: Ausonius *peragere* & *concludere fata* de mortibus Caesarum,

Sera senex capiens exul Nero fata peregit.

& mox

Claudius ambiguo conclusit fata veneno.

Condere pro finire dixit & Virgilius Ecl. IX. 51.

saepe ego longos
Cantando memini puerum me condere soles.

ubi vid. Servius & Scholiastes vetus ad illud Stat. Theb. X. 54.

Condiderant jam vota diem.

vox autem huic loco aptior, quod sepulchralis est. vid. Gifan. Indic. Lucret. & Barth. ad Stat. Theb. X. 427. atque hinc *conditoria* dicta, de quibus Casaub. ad Sueton. in Aug. c. XVIII. Kirchm. de funerib. III. c. 10. paulo aliter dixit Sever. in AEtna. vs. 123.

aut illa vorago
Derepta in praeceps fatali condidit ore.

videtur hoc Aviani ultimum distichon expressum ex illo Homeri Iliad. Π. 487.

Ἠΰτε ταῦρον ἔπεφνε λέων ἀγέληφι μετελθὼν,
Αἴθωνα, μεγάθυμον ἐν εἰλιπόδεσσι βόεσσιν,
Ὤλετό τε στενάχων ὑπὸ γαμφηλῇσι λέοντος.

Veluti taurum interficit leo armento superveniens,
Fulvum, magnanimum inter flexipedes boves,
Peritque gemens sub maxillis leonis.

Ultima fata genis] Editio amplius haec addit

Nec pictae tabulae, nec testi credito per se,
Nam pellens eris, si male credideris.

Quae mihi merae sunt tenebrae & Monachi recentioris commenta videntur. NEVELETUS. Hosce nostris nullus agnoscit, lege in versu priore *pro se*; sed desino plura conari, quis enim in hoc stercore aurum quaesiverit? Plane etiam sordida sunt ac foetentia, quae C. 3. & Col. 3. illorum loco exhibent

Ne credas aliquem docet ista parobola forte
Exemplo vacuo credere velle tibi.

leviter offendit hic Cort. 3. dum *sata* pro *fata* exhibet.

FA-

FABULA XXV.

Puer & Fur.

Flens Puer extremam putei consedit ad undam,
Vana supervacuis rictibus ora trahens,
Callidus hunc lacrymis postquam Fur vidit obortis,
Quaenam tristitiae sit modo caussa, rogat.
Ille

Putei consedit] *Puta considit*, Cort. 3. per errorem.

Ad undam] *Ad undam*, ita C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. Cort. 3. sed in margine hic *oram*, hos sequuntur edit. Lugdun. Genev. & Batav. Pejus tamen Cort. 1. C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. Voss. 2. *in unda*. *Putealem undam* dixit Ovidius in Ibin. 391. in reliquis

putei consedit ad oram.

Confusionem similem *orae* & *undae* ex libris vetustis Valerii Flacci notavit Burm. ad lib. 1. 20. & ad Ovid. ex Pont. IV. 7. 1.

Supervacuis] *Supervacuas* Voss. 2. in Voss. 3. 4. a manu secunda correctum erat *ut fertur vacuis*. *Supervacuos rictus* dicit, quod nulla ei flendi caussa erat, qui nihil amiserat. Cort. 2. *rictibus* mutat in *fletibus*, sed glossa deceptum puto, vid. ad fab. VII.

Fur vidit obortis] *Fur vidit ab ortis* Cort. 3. *Abortis* Voss. 3. & Edit. ant. vid. supra ad fab. XX. 5. videndum tamen, an potius hic legatur

Callidus has lacrymas postquam fur vidit, adortus.

de hac voce sic Donat. ad Terent. Andr. IV. 1. 46. *Adoriri proprie dicitur repente ex insidiis aliquem invadere.* Valerius Flaccus 1. 694.

quod regis adortus
Progeniem, raptoque dolis crudelis Acasto,
Cetera nuda neci, medioque in crimine Patrem
Liquerit.

Forte malit quis, nec me admodum invito,

Callidus hunc lacrymis postquam fur vidit opertum.

Sic *opertum contumeliis* dixit Cicero in Verr. IV. c. 50. *Non importunissimas istius libidines, non vim, non contumelias, quibus operti oppressique erant, conquerebantur.*

Quaenam tristitiae sit modo caussa rogat] Conjungenda in constructione *modo rogat*, id est confestim, mox. Scal. Catal. 1. pag. 183.

Dextera quid dubitas? durum est jugulare Catonem.
Sed modo liber erit. jam, puto, non dubitas.
Fas non est vivo quenquam servire Catone;
Nedum ipsum: vincit, nunc Cato si moritur.

hoc modo interpungendus versus postremus. Ceterum trajectiones vocum, quam synchysin dicunt Grammatici, praesertim adverbiorum, crebras observare licet in scriptoribus optimis. ex Horatio multa constipavit cum Sanctius in Minerva IV. 11. tum Rutgers. Venus. Lect. pag. 282. Sic *postmodo* German. in Arat. non suo loco posuit,

Ille sibi abrupti fingens discrimina funis,

At-

Hoc opus, arcanis si credam postmodo Musis,
Tempus & ipse labor, patiantur fata, docebit.

construe tempus & labor docebit postmodo. Sic corrigendos esse hos versus docuimus supra. Suet. Aug. c. XXVII. *Nam & Pinarium equitem Romanum cum concionante se, admissa turba paganorum apud milites subscribere quaedam animadvertisset;* id est concionante se apud milites. vid. in Caes. c. LV. an & sic in eodem cap. XXVII. *Nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere?* pro nec statim, ne aliud quidquam inveniretur? c. XXVIII. *De reddenda rep. bis cogitavit, primo post oppressum statim Antonium,* id est statim post oppressum Antonium. c. XLIX. *Commodius id visum, ut, qui a loco perferunt litteras, iidem interrogari quoque, si quid res exigant, possent.* Construe, ut iidem qui perferunt litteras a loco sc. rei gestae &c. Non opus ergo emendatione Torrentii c. LXXIII. *Veste non temere alia, quam domestica usus est, ab Uxore & sorore & filia nepotibusque confecta.* quae Torrentius similiter sollicitat. omitto complura alia loca Tranquilli; quorum nonnulla etiam alii notarunt. Turbatior ordo est in illo Ovidii Fast. I. 329.

Pars etiam, fieri solitis aetate priorum
Nomina de ludis Graja tulisse fidem.

quod noto, ut alium hujus Poëtae versum, qui diutissime exercuit eruditos, expediamus ex Pont. III. 3. 61.

Sic regat imperium, terrasque coërceat omnes
Caesar, ab AEnea qui tibi fratre nepos.

posteriorem versum sic ordina, qui nepos ab AEnea fratre tibi, hoc modo facile vindicatur verus atque usitatus Augusteo saeculo vocis *nepotis* sensus Ovidio. Neque enim sic Caesar dicetur nepos Amoris, sed AEneae. Nam *Nepos ab AEnea*, id est AEneae, *fratre tibi*, id est tuo fratre. exemplis parcimus. Nepotem autem AEneae recte dici Augustum, quis dubitat? An & similiter Augustus Nepos Veneris an Romuli dicitur in poëmate de pervigilio Veneris vs. 73.? Non putem: versus ex vestigio librorum vetustorum, a quibus longissime cesserunt Editores, nos sic legimus.

Moxque Marti de sacello dat pudicam virginem,
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias;
Unde Ramnes & Quirites, perque prolem posteram,
Romuli matrem creavit & nepotem Caesarem.

per Romuli matrem intelligo Atiam, matrem Augusti, natam M. Atio Balbo & Julia, sorore Julii Caesaris. vid. Sueton. in Aug. c. IV. quae gens Julia a Venere atque Albanis regibus originem repetebat. Romulum Augustum dixit Poëta, quo nomine delectatus est Augustus, tametsi id publice recipere est veritus. vid. Dion. Cass. lib. LIII. pag. 507. Adde Suet. in Aug. c. VII. & Flor. lib. ult. cap. ult. in fin. Creditur etiam Virgilius Augustum inde Quirinum nominasse AEn. I. 292. Nepos Caesar aut Lucius erit, fratri Cajo superstes, aut Agrippa, de quibus Sueton. in Aug. c. LXV. videtur ergo hoc Poëma factum, cum alter horum in aula Augusti gratia floruit. Quin ex hoc diverticulo in viam atque ad Avianum redimus.

Abrupti fingens discrimina funis] Iterum hic participium loco alieno positum, haud dubie librario-

Atque auri queritur desiluisse cadum.
Nec mora; sollicitam traxit manus improba vestem,

Exu-

riorum errore, de quo supra diximus fab. XVII. 13. lege *fingit*, nisi mavis ex P. in versu sequenti legere

Auri conqueritur.

recisa conjunctione *atque*. *abrupti fingit discrimina funis.* id est fingit diruptionem funis. *discrimen* enim separationem & disjunctionem notat. Curt. III. I. 13. *Quae quia continenti adhaeret, sed magna ex parte cingitur fluctibus, speciem insulae praebet, ac nisi tenue discrimen objiceret, maria, quae nunc dividit, committeret.* Ovidius VIII. Metam. 576.

Non est, inquit, quod cernimus, unum.
Quinque jacent terrae: spatium discrimina fallit.

Virgilius AEn. IX. 142.

Quibus haec medii fiducia valli,
Fossarumque morae, leti discrimina parva.

Vallum & fossas discrimina leti vocat, quod iis a leto discluderentur, atque ab irruptione hostium defenderentur. Sic iterum AEn. X. 511.

Tenui discrimine leti
Esse suos.

Ovidius Metam. VII. 425.

At genitor, quanquam laetatur sospite nato;
Attonitus tantum, leti discrimine parvo
Committi potuisse nefas.

& quia parva haec discrimina dubia & periculosa esse solent, inde pro periculo haec vox usurpatur. Cort. 3. pro *abrupti* legit *rupti*. sed nil muto. pessime Voss. 3. *Abruptis figens discrimine* pessime quoque Voss. 2. *finis* pro *funis*.

Atque auri queritur desiluisse] *Ac auri* C. 2. Col. 2. Cort. 3. Abest conjunctio a P. qui legit *conqueritur*. *dissiluisse* C. 1. 2. 3. Voss. 3. Edit. ant. *delituisse* Cort. 1. Maxime placet vulgata lectio. *desilire* dicuntur, quae subito ac repentino casu ruunt, de aquis Horatius III. Od. 13. in fin.

unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

& I. 16. Epod. 48.

Montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.

Ovidius IV. Fast. 427.

adspergine multa
Uvidus ex alto desilientis aquae.

dissiluisse tamen probabit, qui lapsu eo urnam fractam putaverit. Arnob. p. 129. edit. Plant. *Habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa.* De & di in compositis saepe commutata videas. vid. supra fab. IV. 6. & XI. 12. Servius ad Virg. AEn III. 416. citat haec Ciceronis pro Mil. c. X. *Cum autem hic de rheda rejecta poenula dissiluisset.* prave; legendum *desiluisset*, & sic ipse Servius legit ad Georg. II 384. modo utraque nota ejusdem Grammatici sit. Batavi ediderunt *desiliisse*, quod non sequor. Diomedes lib. I. pag 371. *Salio perfectum suavius enuntiari videtur salii quam salivi, sed plerique veterum salui dixerunt. Item Livius ab urbe condita novos transiluisse muros. Non minus & Cicero pro Milone, rejecta paenula desiluit. Virgilius* AEn. X. 453.

Desiluit Turnus bijugis.

adde Priscian. lib. X. pag. 609.

Sollicitam traxit manus improba vestem] *Vox improba* C. 3. Col. 3. *Manus improba mentem*, Voss. 2. 3. 4. Cort. 3. sed hic in margine *vestem*. *Mentem* quoque edidit Ne-

 ve-

Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immersus delituisse datur.

Sed

velet. & ex uno Codice suo Pulmannus. corrigo ita

Nec mora: sollicitum traxit mens improba, vestem
Exuit, & putei protinus ima petit.

Hoc modo si legas, ipsa mentis sollicita cupiditas, ut dicitur Ciceroni pro Milone c. XVI. ex verborum numero perspicitur, quod artificium summopere laudatum est in Virgilio. & ita *sollicitus* apud Lucret. V. 46.

Quantae conscindunt hominem Cuppedinis acres
Sollicitum curae.

Mens improba est insatiabilis, nimis avida, ut solet usurpari Virgilio Georg. III. 430. de angue

hic piscibus atram
Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet.

Ingluviem similem lupi, *faucem improbam* dixit Phaedrus fab. I. 8. atque ita *spem improbam* Justinus XXIX 2 *Qui non contenti Italiae terminis, imperium spe improbâ totius orbis amplexi.* ubi vid. Berneccerus. recte autem mens improba *trahere* dicitur; siquidem haec vox de quocunque studio ac cupiditate usurpatur. Nonnihil diximus supra ad fab. XIV. 9. Virgilius Ecl. II. 65.

trahit suâ quemque voluptas.

Ovidius Halieut. 48.

Cetera, quae densas habitant animalia silvas,
Aut vani quatiunt semper lymphata timores
Aut trahit in praeceps non sana ferocia mentis.

an *menteis* legendum in versu hoc extremo? sic Claudianus in Rufinum I. 1.

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem.

Sed ut *ferocia mentis*, sic *fax mentis*. Silius Ital. VI. 332.

Abripuit traxitque virum fax mentis honestae
Gloria.

Statius Silv. I. 2. 257.

Unus amor, simplexque canendi
Caussa trahit.

& III. 38.

Huc oculis, huc mente trahor.

Ausonius Eidyl. XVI. 23.

Cur me natura magis, quam
Disciplina trahit.

Avienus Descript. Orbis.

Quin impactus amor est si dicere Persas
Consimilis, solersque trahit te cura per orbem.

sic edidit Pithoeus, qui & nota adfixa versum priorem corruptum arguit, restituo hunc ita,

Quin, inpacatos amor est si discere Persas.

Iscanus de Bello Trojano I. 33.

Felices, quos non trahit ambitus.

& accommodate huic loco II. 32.

Mens Priamum in diversa trahit.

caussam exponit Themistius in primum de anima, Πᾶν γὰρ τὸ ὀρεκτὸν ἀτεχνῶς ἕλκοντι, καὶ σύροντι προσέοικε τὴν δύναμιν τὴν ὀρεκτικήν. *Quicquid enim desideratur, plane est simile trahenti ac ducenti appetitum.* quem locum notat P. Petitus III. Miscell. 20.

Ima petit] *Ima ira petit* Voss. 3. *vina petit* G. 3. utriusque erroris caussa perspicitur.

Pallia] *Tegmina* Cort. 3. sed in margine *pallia*.

Immersus] *Immensis* C. 1. 3. Col. 1. 3. Cort. 1. *immensus* Cort. 3. sed in margine *immersus Immersis* Cort. 2. in his nihil est quod

sol.

Sed post fallaci suscepta pericula voto
Tristior, amissa veste resedit humi.
Dicitur his solers vocem rupisse querelis,
Et gemitu summos sollicitasse Deos.
Perdita, quisquis erit, post hac sibi pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natat urna vadis.

Ne-

tollere velis. contemnenda tamen non omnino lectio, quam in P. invenit Pulmannus, *in mediis.*

Delituisse] Cort. 2. mendose *delatuisse.*

Datur] Vide supra fab. III. 4. XV. 10.

Sed post fallaci suscepta pericula voto] Haec adducunt C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. Voss. 2. 3. Cort. 2. 3. M. atque ex Editionibus Lugdunensis, Genevensis, & Batava. pessime Pithoeus *fallacis votis.* Ceteri libri *fallacis voti.* quod secuti sunt Pulmannus & Neveletus. Voss. 2. habet *vota.* Edit. antiqua *fallacis prior.* turbavit credo librarios praepositio a casu suo remota. In versu sequenti τὸ *Tristior* quoque suspectum est, quare refingo versum ita,

Sed post fallaci suscepta pericula voto,
Tristis, ut amissa veste, resedit humi.

caussa emendationis hujus manifesta est. *Ut* enim prorsus eleganter habitum, gestumque rei denotat.

Dicitur his solers] *Solers* hic periculo & damno cautum notat, atque usu peritum. Avienus Phaenom. 673.

Tum quoque si piceam spectaris surgere noctem,
Informem tetris tellurem ut vestiat alis,
Littus ama, fuge solers caerula tegmina noctis.

pro *his* autem *hic*, id est *tum* substituere malim.

Querelis] *Loquelis* C. 3. Col. 3. sed vulgata lectio potior.

Summos] *Superos* Edit. ant. nil muto. refertur hic ad dignitatem, quomodo vir aut homo summus dicitur. Vellej. II. 33. *Et Lucullus summus alioqui vir, profusae hujus in aedificiis, convictibusque & apparatibus luxuriae, primus auctor fuit.*

Perdita quisquis erit &c.] Versus hi duo mendosissimi sunt. Quid enim hoc, *post hac bene pallia credat?* verborum ineptissimorum inanis est sonus, & tamen aptiora ex libris vetustis non hauriuntur. Cortianus 3. pro *quisquis erit* habet *quisque sibi.* pro *post hac, post haec,* A. & Cort. 2. Edit. ant. *post hanc* Voss. 3. pro *bene, sua,* Cort. 3. sed correctum a manu secunda. Batavi ediderunt *sibi.* Iidem pro *credat* extulerunt *cernat*, quod & Pithoeus habet. Editio antiqua *credit.* versus vero alterius quae sententia? An non insanum quis juret hominem, qui mala imprecatur existimanti urnam natare in aquis? quod illud scelus tam grande? Et si vacua fuit urna, utique ea natavit. fictiles namque fuisse fere urnas, quibus aqua olim hauriebatur, intelligimus ex urna Rheae Sylviae, Ovidius Fastor. III. 14.

ponitur e summa fictilis
Urna coma.

Nemo nimis cupide sic res desideret ullas,
Ne, plus cum cupiat, perdat & id, quod habet.

atque ex illa Tarpejae, de qua Propertius IV. 4. 15.

at illi
Urguebat medium fictilis urna caput.

Sed fac auream fuisse, qualis illa fingitur Amymones a Poëtis, de qua Propertius II. 20. 47. atque ibi Broukhus. haud aliter & illa, ut fictilis & aenea olla, de quibus fabula XI. natabit, nisi plena fuerit. sed si urna haec ille cadus auri fuit, de quo vs. 6. anne insanissimus dicendus fur, qui eum natare existimarit? cadus enim auri dicitur, ut cadus vini; id est vino plenus. sed mitto alia ἀσύςατα. Quae dixi, satis arguunt, nimis atrociter hic saeviisse audacissimorum manus. flagitium autem hoc admodum esse vetustum, inde suspicamur; quod id codices omnes vitiavit; omnium enim hic una est conspiratio, nisi quod Voss. 2. & Cort. 3. *natat* pro *natet* praeferunt. Ulcus ergo est, sanatu difficile, nisi aliquando meliores codices id curent.

Bene qui conjiciet vatem hunc perhibebo optimum.

epilogus fabulae, convenit huic Phaedri de cane ferente carnem per fluvium I. 4.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.

conveniunt & Justini verba XXXIX. c. I. *Dum aliena adfectat, ut adsolet fieri, propria per defectionem Syriae amisit Demetrius.* vadum de aqua puteali similiter Phaedrus fab. IV. 8.

Nemo nimis cupide] Desideratur hoc distichon in C. I. 2. 3. Col. I. 2. 3. B. L. Voss. 2. 3. 4. Cort. 2. Sed in 3. manu aliena in margine adscriptum erat. excluserunt illud quoque Edit. Lugd. Genev. & Batav. in Cort. 3. *Nullus homo cupide* pro variante lectione adscriptum erat. *Si res* Edit. ant. *cum plus* Cort. I. Edit. ant.

FABULA XXVI.

Leo & Capella.

Viderat excelsa pascentem rupe Capellam,
Comminus esuriens cum Leo ferret iter.

Et

Viderat] *Sederat* mendose Voss. 3.

Pascentem] *Poscentem* Voss. 3. *pascente* in Voss. 4. nullo sensu, ut mox in Voss. 3. *communis* pro *comminus*. forte *pendentem* legendum pro *pascentem*. Virgilius Ecl. I. 75.

Ite meae, quondam felix pecus, ite capellae
Non ego vos post hac viridi projectus in antro,
Dumosa pendere procul de monte videbo.

Graeca tamen AEsopi fabula CCXXXIV. vulgatam confirmat lectionem. Λύκος θεασάμενος αἶγα, ἐπί τινος κρημνώδους πέτρου (an πέτρου) νεμομένην.

Εἶπε

Et prior, Heus, inquit, praeruptis ardua ſaxis
Linque, nec hirſutis paſcua quaere jugis.
Sed cytiſi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas ſalices & thyma grata pete.
Illa gemens, Deſiſte, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis inſimulare dolis.
Vera licet moneas & magna pericula: tollas
Tu

Lupus capram in praerupto paſcentem antro eſt intuitus.

Et prior] *Te prior* Ed. ant. & mox pro *linque*, *inque*. Voſſ. 2. peſſime.

Hirſutis] Quae ſpinis, carduis atque aſperioribus fruticibus herbiſque ſunt obſitae. Sic *hirſutas frondes* dixit Virgilius Georg. III. 231. quae opponuntur pratorum laetis graminibus,

Frondibus hirſutis & carice paſtus acuta.

inde in gloſſis *hirſutum* ἀυχμηρὸν, τραχύ.

Paſcua] Id eſt loca, in quibus jucunde paſcaris, & te oblectes; proprie adjectivum eſt, quod notat ex Varrone Servius ad Virg. Georg. I. initio. & Iſidorus Orig. XIV. c. 13. adde Taubmannum an Turnebum ad Plautum in Trucul. I. 2. 47. Ceterum videtur Avianus Horatium imitatus hoc loco, is enim Serm. II. 6. 90. de mure Urbano

quid te juvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorſo.

& mox vſ. 95.

quo bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus.

Sed cytiſi] *Et ſithici* Cort. I. *ſcitici* Cort. 2. ſed in margine additum *cytiſi*. *Ctici* Cort. 3. *cithiſi* Ed. ant. ſed recte habet vulgata lectio. Virgilius ecloga I. 78.

non me paſcente, capellae
Florentem cytiſum & ſalices carpetis amaras.

Sine adſpiratione ſcribendum; vid. Pierius ad Virgilium Georg. II. 431. Graeci κύτισον nominant. mendoſiſſime Cort. 3. pro *per prata*, *pax prata* ſcribit, nec melius Voſſ. 2. & 3. *florem* mutant, ille in *flore*, hic in *florent*.

Thyma] *Loca* Cort. I.

Illa gemens] *Ille* B. M. Cort. 3. male. De voce *gemere*, dixi in Diſſertatione.

Inſimulare dolis] *Inſinuare* A. *intimulare* ex Cortianis unus. *inſidiari* Edit. ant. corrigo *ſollicitare*, id eſt fallere velle, quod ipſum ex gloſſa Batavi ediderunt. Sic fabula ultima vſ. 6.

Tentat compoſitis ſollicitare dolis, ubi tamen paullo aliter uſurpatur haec vox, ut ad iſtum locum notabimus. Vox *ſollicitare* certe in illecebris, ac corruptelis frequentatur Juſtinus XXI. I. 5. *Quibuſcunque delinimentis poteſt, animos eorum ſollicitat.*

Vera licet moneas] *Vera licet moveas* Voſſ. I. & Cort. 3. atque ita Pithoeus in editione altera. quod, tametſi non omnino diſplicet, quod hoc verbum ita nonnunquam adhibitum reperi, ut prope ad ſignificationem memorandi accedat; hoc tamen loco verius mihi videtur verbum *moneo*, quod ad conſilium pertinet. vid. Donatus ad Terent. Hecyr. I. I. 7. adde Ma-

Tu tamen. His dictis non facis esse fidem,
Nam quamvis rectis constet sententia verbis,
Suf-

Manutium ad Ciceronem Famil. I. ep. I. Popmam de Differentiis verborum. Scheffer. ad Phaedrum lib. I. in prologo. *moneo* autem & *moveo* in MSS. saepe permutantur, ut fab. XXVII. 5. XXX. 17. commista haec, & necdum, quod scio, correcta in Epigrammate vetusto, quod Casaubonus describit ad Suetonium in Calig. c. IV.

Parce hospes tumulo, Caesar Germanicus hic sum:
Saepe etiam ignotis ipse dedi requiem.
Quod si quem tumuli nihil hujus gratia tangit,
Admoneat, patriae fraude quod hic jaceo.

At tu versum quartum ita lege

At moveat, patria (nisi mavis *patrui*) *fraude quod hic jaceo.*

patriam fraudem aut patrui dicit dolos Tiberii Caesaris, quibus periit Germanicus. Tiberius autem adoptione pater ejus erat, natura patruus.

Et magna pericula] Ita edo auctoritate Editionum Batavarum, quam lectionem suspicor ex antiquis libris haustam. Certe ea mihi unice probatur. Ceteri omnes *majora pericula.* In errorem duxit librarius prava distinctio hujus loci, quam hoc modo constituendam arbitror,

Vera licet moneas, & magna pericula; tollas
Tu tamen; his dictis non facis iste fidem.

reposui *iste* pro *esse.* Tu qui iste, id est talis es. sic infra XL. 8.

& vanas quin premis iste notas.

Solet hoc pronomine *iste*, invisus, adversarius, hostis significari. Hoc notavit olim Donatus ad Terentium Eun. I. 2. 112. *Iste bene additum, quasi odiose, ut alibi* [Adelph. IV. 7. 36.]

jam vero omitte,
Demea, tuam istam iracundiam.

Virgilius [AEn. IX. 94.]

aut quid petis istis.

haec enim pronomina spernentis sunt, odiumque monstrantis. Hactenus Donatus, quem adde ad Andr. Prol. 15. & Eun. II. 3. 73. & sane apte congruit expositio ejus in Adelph. IV. 7. 36. huic Aviani sententiae. *Tuam istanc dicendo & ridiculam, & supervacuam significat, & habet aliquid acerbi, tu iste, tu ista.* Virg. AEn. XII. 808. qui versus non fugit Donatum,

Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas.

Et ne plura exempla hic cumulem, liceat dicere, ubivis fere Ciceronem in Orationibus suis adversarium pronomine hoc *iste* notare. *Tollas* dicit Avianus, nempe istius modi consilia ac monita. sic in fabula ultima, quae ejusdem fere est argumenti,

Et tecum viles, improbe, tolle minas.

ubi tamen vide notas. *facere fidem dictis* notat facere ut dictis credatur. Pompon. Mela I. 7. *Faciuntque ei fabulae aliquam fidem.* Aliter tamen dicimus fere facere fidem homini. Praeclare hoc docuit Cl. Duker. ad Flor. III. 16. 6. in Edit. ant. non *tollas* sed *tollis* legitur, & *Tu tamen his verbis.* omnium corruptissime Voss. 2. *nos facis* pro *non facis.*

Rectis] Id est probandis, sequendis; Terent. Heaut. I. I. 26.

Vel me monere hoc, vel percontari puta:
Rectum est, ego ut faciam; non est, te ut deterream.

& II. 2. 86.

Etsi consilium, quod cepi, rectum esse & tutum scio.

Consist] *Constat* C. 2. 3. Col. 2.

3 I

Suspectam hanc rabidus consiliator habet.

Ne citius blandis cujusquam credito dictis,

Sed

§. antea docuimus, *quamvis* nonnunquam cum indicativo construi. sic marmor vetustum Gruter. LX. 4.

QUAMVIS LIBER ERAT ; FECI SERVIRE TONANTEM

C. 1. & Col. 1. *constant* habent, sed vitiose.

Suspectam] Contra MSS. tum Editiones omnes mutat doctissimus Pulmannus *suspectam* in *suspensam*. NEVELETUS.

Rabidus] *Rapidus* Voss. 3. quod ubique fere pro *rabidus* substitutum est in nonnullis codicibus, ut non uno in loco monuimus. *Gravidus* C. 1. 2. 3. Col. 1. 2. 3. B. L. M. Voss. 2. P. A. Cort. 1. 2. 3. Edit. Lugdun. & Genev. decepit hos veterum scriptura, qui *ravidum* exararunt. Unde in glossis *raviosus* λυσσώδης, *ravio* λυσσῶ. inde est *raviat* vel *rabiat*, quod exponitur λυσσᾷ, quod & *rabit* dixerunt, unde hoc Varronis apud Nonium

Quid est? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi?

an & huc pertinet Isidori glossa *ravit ravie loquitur?* an *ravie* pro *rabide?* sed verisimilior est Vossii lectio in Etym. voce *raucus*, *rauce* loquitur. B. autem pro V & V pro B. usurpatum priscis nullus paulo humanior ignorat. legerem hic in Aviano *Avidus*, nisi *rabidus* recte diceretur leo hoc loco ob esuriem. inde in fabula Graeca respondet capella, αὐτὸς δὲ τροφῆς ἀπορεῖς. *Tu ipse cibo indiges*. Virg. AEn. VI. 421. *fame rabida*. & IX. 63.

collecta fatigat edendi
Ex longo rabies & siccae sanguine fauces.

Atque hinc *vesana fames* AEn. X. 723.

Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans,
Suadet enim vesana fames.

Ovid. VIII. Metam. 828.

furit ardor edendi.

& sane rabidus fame leo suspectus merito est capellae. Batavus, ut solet, in diversa omnia abit, & pro *rabidus* edidit *talis*.

Consiliator habet] *Conciliator* Cort. 1. quod & edidit Batavus, sed fallitur. consiliator est, qui monet & consilia dat. Auson. Gratiar. Act. *Habes ergo consiliatorem, & non metuis proditorem.* ubi Vinetus monet hoc verbali sic usum esse ante Ausonium etiam Plinium IV. ep. 4. addo & Phaedrum II. 6.

Si vero accessit consiliator maleficus.

ubi vide Prasch. & Scheffer. quibus adde Pricaeum ad Apuleji Metam. 1. pag. 9. *habet* tuentur omnes, sed habere aliquem suspectum alio sensu dicitur. quare malim *agit*, vel *aget*, id est facis. sic fab. XXXVII. *agere murmur. agere rimas*. Priap. LXIII. Codex Pulmanni unus in secunda persona extulit *habes*, non inepte, sed potior est codicum consensus, si ferri potest. *agit* autem & *habet* crebro confusa vid. ad fab. IX, 6. ut & *habitant* & *agitant* Drakenb. ad Sil. Ital. XIII. 524.

Ne citius blandis] Horum versuum nullum est vestigium in C. 1. 2. Col. 1. B. Voss. 2. 3. 4. Edit. Lugdun. Genev. & Batav. Ceterorum magna hic inter se pugna est: aciem hic instructam dabimus, spectet hanc atque victori praemium ponat qui volet, equidem andabatarum praelia nil moror. Liber Palatinus, teste Neveleto, ita habet,

Non

Sed si sint fidi respice quid moneant.

Non tutum est verbis cujusquam credere blandis,
Editiones ambae quas idem Neveletus consuluit.
Non citius blandis fallacis credito verbis,
Sed si sint fidi, respice quid moneant.
Ne citius blandis, Non citius blandis Edit. ant. *Non monet haec blandis* C. 1. Col. 1. *Non tutum est placidis* Cort. 3. *Ne citius doctis* Cort. 1. *cujusquam, cujusdam* Col. 1. *fallacibus* Ed. ant. *credito : credere* C. 3. Col. 3. Cort. 3. *dictis : verbis* Cort. 1. 2. in versu altero *sed si : quae si* Cort. 3. *respice: perspice* Cort. 2. *prospice* Ed. ant. *quid moneant : quae monuit.*, C. 3. Col. 3. Cort. 2. *dum moveas* Cort. 3.

FABULA XXVII.

Cornix & Urna.

Ingentem sitiens Cornix adspexerat urnam;
Quae minimam fundo continuisset aquam:

Hanc

Adspexerat] *Conspexerat* Cort. 1. sed vulgati recte. sic fab. xxiv. 15.
Tunc hominem adspiceres.
Terentius Adelph. III. 4. 9.
Ehem Demea, haud adspexeram te.
& Hecyr. III. 3. 7.
Postquam me adspexere ancillae advenisse.
item 16.
Postquam adspexi; o facinus indignum, inquam.
Ex his aliisque Terentii locis intelligitur, *Adspicere* notare, derepente aliquid intueri. *Unam* habet Voss. 2. pro *urnam* male.

Quae minimam] Id est perexiguam, aliquam sed non sufficientem. Sever. Sanctus de mortibus boum vs. 58.
Nam solamen erat vel minimum mali.
tenuem est in Edit. ant. *parvam* in Cort. 3. utrumque ex glossa irrepsit. Quod autem Voss. 3. recepit *quem* pro *quae*, & unus codex antiquus *nimiam* pro *minimam* plane erroneum est, nollemque id editum a Neveleto.

Continuasset] Libri MSS. & Edd. *continuisset* hic legunt. NEVELETUS. Miror ergo *continuasset* (vid. fab. xv. 2.) placuisse Neveleto & Pulmanno, improbatum libris antiquis plerisque, & alienum a ratione. adrisit id tamen Cortianis omnibus, & Voss. 3. tametsi in hoc *continuasse* legitur. ubique fere haec vox corrupta est, & miror usque adeo in deliciis fuisse librariis τὸ *continuare*. *Continuisset* dicit pro *continebat*. sic mox vs. ult.
Qua coeptum volucris explicuisset opus.
subjunctivus pro indicativo, ut fabula superiore vs. 2.
Comminus esuriens qua leo ferret iter.
plusquam perfectum pro imperfecto saepius usurpatum fuisse veteribus monuimus in Dissertatione ad fab. xv. & sic Phaedrus fab. I. 22.

Al-

Hanc enisa diu planis effundere campis.
Scilicet ut nimiam pelleret inde sitim.
Postquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata nova calliditate jocos.
Nam brevis immersis accrescens sponte lapillis

Po-

Respondit ille: faceres si caussa mea,
Gratum esset, & dedissem veniam supplici.
dedissem id est darem.

Enisa] Sic C. 1. 2. Col. 1. 2. L. M. idque secuti sunt Editores Lugdun. Genev. & Batavus. Ceteri *enixa*, quod illi postpono; non, quia antiquum non est, sed quia forte Orthographiae saeculi, quo Avianus vixit, magis congruit. Servius ad Virg. AEn. 1. 148. *Adnixus antiquum est, ut connixus, quibus hodie non utimur: dicimus enim adnisus & connisus.* Quodsi tamen Virgilii Orthographiam eodem studio, quo dicta prosecutus est noster, *enixa* reponere oportebit, id enim summo Poëtae est probatum, ut eodem in loco Servius arguit; quem vide, porro ad vs. 510. & ad Ecl. 1. 15. adde Diomedem pag. 371. Edit. Putsch. utramque inflexionem *nisus* & *nixus* fatetur quoque Priscianus pag. 903. *Nitor nisum, invenitur tamen & nixum*, illud de sua, hoc de priorum aetate. consule praeterea Cl. Drakenb. ad Silium Ital. 11. 123. Voss. 3. pro *Hanc enisa*, *Hinc imissa*: *Hinc* reperitur etiam B. Vossianus quoque tertius pro *diu*, *diu est.* neque aliter Cort. 1. non incongrue.

Scilicet] *Sed* Cort. 3. quod ex nota, qua veteres *scilicet* designabant, est ortum.

Nimiam] Vid. supra ad fab. 1. 5.

Viam] *Via* Voss. 3. per errorem.

Virtus] Vires, robur. Ovid. Metam. xv. 201.

Nam tener & lactens, puerique simillimus aevo
Vere novo est, tunc herba nitens, & roboris expers
Turget & insolida est; & spe delectat agrestem.
Omnia tum florent, florumque coloribus almus
Ridet ager: neque adhuc virtus in frondibus ulla est.

Phaedr. in fabula similis paene argumenti 13. lib. 1.

Virtute & semper praevalet sapientia.

ubi vid. Faber. imitatus hoc fabulator antiquus; quem edidit Niland fab. LXII.

Sat animae sine virtutibus.

Virtutem virium dixit Curt. IX. 7. quem loquendi modum egregie tuitus est ac vindicavit Jac. Perizonius in Curtio vindicato pag. 64. & seq. cujus me disciplinis formatum esse, in prima felicitatis parte pono, nec merita obliviscar unquam.

Admovet] *Admonet* C. 3. B. L. M. Cort. 1. solenni permutatione, vid. supra fab. XXVI. 9. mox *dolor* habent pro *delos* B. L. imperite.

Brevis immersis] Ea est Libycorum corvorum solertia, ut ait AElianus lib. 11. 48. περὶ ζώων. & Plutarchus in libello πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα. NEVELET. Vid. Plut. c. 22. ubi addit similem solertiam sibi in cane spectatam. adde Lips. ad Belgas

1.

Potandi facilem praebuit unda viam.

Viribus haec docuit quam sit prudentia major;
Qua coeptum volucris explicuisset opus.

1. ep. 44. *Brevibus mersis*, Edit. ant. quod quidem omnino contemnendum non est, mihi tamen ceterorum lectio magis arridet. De voce *brevis* dixi in Dissertatione.

Adcrescens] Eleganter hoc dictum videtur Illustri Heinsio ad Valer. 1. 178. ubi tamen citat versum, *adcrescens unda lapillis*, ἁμαρτήματι, credo, μνημονικῷ, nam in Codicibus quibus ipse Vir summus est usus, id non inveni.

Lapillis] *Capille* perverse C. 3. Col. 3.

Potandi] *Portandi* Voss. 1. corrupte. sed vulgatae lectioni nil cedit ea, quam Cort. 3. atque Edit. antiqua suppeditant *potantis*.

Viribus haec docuit] Vetus est Titinnii dictum

Sapientia gubernator navem torques non valentia.

NEVELET. Citat hoc Titinnii dictum Nonius in *Valentia*.

Qua coeptum volucris] Ita complures libri vetusti. Sed *quae* praeferunt B. L. M. & Voss. 4. neque aliter Edit. ant. Lugdun. Genev. & Batav. utram utri lectionem anteponam, nescio. Si *quae* recipimus *volucris* erit secundus casus. Voss. 3. praeterea per errorem manifestum *ceptus* habet & *explicuisse*. Desinit hic Colbertinus Codex 3. & ut suspicor etiam Coloniensis 3.

FABULA XXVIII.

Rusticus & Juvencus.

Vincla recusanti, dedignantique Juvenco
Aspera mordaci subdere colla jugo,
Rusti-

Vincla] *Vincula* perperam Cort. 3.

Dedignantique] L. caudam *que* abscindit legitque *dedignanti*. pejus Voss. 3. *dedignati*. male quoque Ed. ant. *dedignateque*.

Subdere colla jugo] Res haec *domitura* dicitur rusticis, & *domari* dicitur bos, cum jugum primum imponitur: inde in veteri Calendario rustico, quod exhibet Gruter. Inscript. XXXVIII. sub mense Majo IVVENCI DOMAN. Virg. Georg. 1. 284.

Septima post decumam felix: & ponere vitem
Et prensos domitare boves.

Perite autem noster vinclorum meminit, vinciebantur enim ante, & ligabantur, quam jugum accipiebant. Rem omnem diligenter exponit Columella 11. c. 6. prave hic Voss. 3. & Cort. 3. ille *subsedere*, hic *juga*. Scal. in Catal. 1. pag. 210. ubi laudes Claudii Imperatoris decantantur ob captam Brittanniam.

Conspectu devicta tuo, Germanice Caesar,
Subdidit insueto colla premenda jugo.

Male nunc legitur *Germania, Caesar*. Claudius autem Germanicus est dictus cognomine pater-

Rusticus obliqua succidens cornua falce,
Credidit insanum defremuisse pecus.
5 Cautus & immenso cervicem innectit aratro:
(Namque erat hic cornu promtior atque pede.)
Scilicet ut longus prohiberet verbera temo,
Neve ictus faciles ungula saeva daret.

Sed

terno, de quo Suet. in Claud. c. 1. vox *colla* reddenda vetusto epigrammati de Navigatione in iisdem Catal. pag. 190.

Ante feri cervis submittent colla leones.

Perperam nunc *corda* scriptum legitur.

Falce] *Falcem* male Cort. 3.

Defremuisse pecus] Sic scripti atque editi omnes, nisi quod B. & Col. 2. habent a manu prima *infremuisse*. Una Batavorum editio *detumuisse*. *defremere* est a fremitu desinere, *desaevire* dixit in eadem causa Columella VI. 2. *Si nimis asperi erunt, patere unum diem noctemque desaeviant: simulatque iras contuderint, manu producantur.* Atque ita *detumescere* Prudent. Peristeph. XIV. 145.

Quibus tumetis moxque detumescitis.

Defervere Iscanus, praestantium Poëtarum non ineptus imitator, de Bello Traj. I. 213.

Qui gratis domitos tulerit defervere tauros.

Dedolere Ovidius Remed. Amor. 294. & Fast. 3. 480. *Pecus* pro tauro vid. supra fab. V. 16.

Cautus & immenso] *Immense* B. L. *in mensam* Ed. ant. ineptissime. C. 1. Col. 1. *immerso* ut supra XXV. 10. pro *immersis*; *immensis*. Malim *Cautus at immenso*.

Innectit] *Nectit* P. A. Cort. 3. Ed. ant. in quibus *in* absorptum est inter similes literarum ductus, vide de hac voce Cl. Bentlej. ad Horat. Epod. XVII. 72. Adde notas ad fab. XXXV. 11.

Namque erat hic cornu promtior] Ed. ant. *Nam* pro *namque*. *Pronior* pro *promptior* Cort. 2. rescribo,

Namque erat haud cornu promtior, atque pede.

Taurus cornu promtus est, cornu paratus & pugnax. Sic *manu promtus* Vellejus II. 73. 1. *Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promtus.* Justinus XXIII. 4. Sallustius Jug. c. XLVIII. *Lingua quam manu promtior.* *Atque* autem hic *quam* notat, subjungiturque comparativis. Horat. Serm. 1. 5. 5.

Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum:

vid. Cl. Bentlei ad Horat Serm. I. 1. 46. Suet in Caes. c. XIV. *Gravius, atque ipse sensisset, exceptam.*

Longus prohiberet verbera temo] Corrupte B. L. *prohibere vereret longo* Voss. 3. pro *verbera*, *vulnera* edidit Neveletus, idque addicit N. sed causa nulla est, cur a plurium auctoritate recedamus.

Neve ictus faciles] Voss. 2. pro *neve*, *si ut*: hoc quid sibi velit nescio. *ictus faciles*, qui facile ac sine difficultate infliguntur. Grut. Inscr. CLXI. 2.

ITE IGITUR FACILES PER GAUDIA VESTRA QUIRITES

& CLXII. 5.

FACILES ERGO JAM VIATORES IBUNT

sed de hoc monumento vid. Fabret. in Col. Traj. VIII. n. 234.

Ungula saeva daret] Mendosissime B. L. M. Voss. 3. *ungulas evaderet.*

Sed postquam irato] Haec vitiata puto, verius legetur meo judicio

Sed postquam irato detractans vincula collo,
Immeritam vacua calce fatigat humum.
Continuo eversam pedibus dispergit arenam,
Quam

Nequicquam irato detractans vincula collo.

Juvencus diu molitus excutere jugum, sed irrito ornatu, nunc incipit calce saevire: & forte alter versus ita corrigendus

Immeritam vacua calce fatigat humum.

In Voss. 3. est *immeritum* atque ita edidit Neveletus, non judicio, ut puto, sed operarum errore, quia *humum* retinet. Possis tamen vulgatam scripturam servare hoc loco, si versum sequentem levicula manu adjuves

Continuo & versam.

Versam non *eversam* probat Cort. 1. atque Editiones antiquae, cum quam ego inspexi, tum quibus usus est Neveletus. in Cort. 2. *excussam* legebatur, quod non abhorret ab hoc Rutilii 1. 257.

Ut solet excussis pugnam praeludere glebis,
Stipite cum rigido cornua prona terit.

Porro *vacua calce* probavi, erutum ex C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 2. atque ex Pulmannianis uno, idemque antea probarunt Batavi. Ceteri omnes libri cum editi, tum scripti *vacuo*, praetuli autem illud, quia id olim praetulisse Virgilium antiqui Grammatici testantur in hoc versu AEn. xi. 714.

Quadrupedumque citum ferrata calce fatigat.

Ubi similiter plurimi scripti Codices *ferrato* exhibent, ut testatur Pierius atque Erythraeus in Indice. Adde porro quae de hac voce Vossius docuit de Anal. 1. 34 & Drakenb ad Silium vii. 696. Cort. 1. pessime sese hic dat *vacue falce* legens, supra tamen adscriptum est *calce*. *Ungulam cavam* dixit Ovid. ex Pont. iv. 8. 80.

Ungula Gorgonei quam cava fecit equi.

Propert. ii. 2. 11. pro *continuo continua* habet Voss. 3. edidi *detractans*, quod inveni in Voss. 2. 3. Cortianisque omnibus, ut & in Edit. antiq. tu vide Pier. ad Virg. Georg. iii. 57. Dausq. Orthogr. Part. 2. Broukhus. ad Tibul. 1. 7. 44. Burm. ad Ovid. Trist. ii. 357. ex Ponto iii. 7. 15. Duker. ad Flor. 1. 22. 2. & iii. 6. 12. Cortium ad Sallust. Jug. c. liii. in fin. ut autem *domo*, sic *detrecto* perite atque ex usu vero rei rusticae hic adhibuit Poëta, sic Virg. Georg. iii. 57. *juga detrectans.*

Pedibus dispergit arenam] *Dispersit* Cort. 3. *disparsit* Edit. ant. sed *dispergit* malo. est autem hoc signum taurorum ceterorumque animalium ferocientium. Virg. Georg. iii. 87.

At duplex agitur per lumbos spina, cavatque
Tellurem.

iii. 234. & AEn. xii. 106.

& sparsa ad pugnam proludit arena.

& AEn. ix. 629.

Jam cornu petat, & pedibus qui spargit arenam.

Ovid. Trist. iv. 9. 29.

Circus adhuc cessat, spargit tamen acer arenam
Taurus, & infesto jam pede pulsat humum.

Claud. Rapt. Proserp. 1. 127.

vitulam non blandius ambit
Torva parens; pedibus quae nondum proterit arva.

In Codice Santgallensi, cujus excerpta possideo, *vitulum*, *qui*, & sane proterere, ac proterve ejicere juvenco magis convenit, quam buculae, tametsi *vitula* comparationi hic aptior. De equo Virg. Georg. iii. 87.

ca-

Quam ferus in Domini ora sequentis agit.
Tunc sic informi squalentes pulvere crines
Discutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum naturae dedat iniquae,
Qua

cavatque
Tellurem, & solido graviter sonat ungula cornu.

Quam ferus in Domini ora] *Ferum* hic ad animum refero, & ferocientem, trucem, indomitum accipio, tametsi non ignoro, de quibusvis animantibus majoribus etiam mitibus ac mansuefactis id usurpari, de quo supra v. 11. sola editio Batava habet *domini membra*, nec vererer equidem eam reliquis codicibus omnibus, qui eadem fidelitate *ora* vindicant, praeferre, quia *membra* pro toto corpore, sive homine aut bestia frequentari scio. & sic Fab. v. 7.

Aptavitque suis incongrua tegmina membris.

at vero quia libri antiqui omnes reclamant, nunc incerto eo tibicine subnixus, conglobatae huic manui non obluctor. praesertim cum cognitum est non horridulos illos vates, quos Cicero de Oratore saepe hiasse scripsit, sed & Virgilium aliosque politissimi saeculi Poëtas vocales conservasse hoc modo, & produxisse exempla Virgilii, Lucretii, vetustiorumque Poëtarum notarunt alii, atque inter eos Gifan. Ind. Lucr. in A. E. I. O. V. & in *Hiatus*. Heins. ad Claudian. II. Consul. Stil. 167. quin & ipse Avianus fabula penultima versu 8.

Immemor illa sui: Amphora dicor, ait.

ubi similiter Batavus ad evitandum hiatum vocem aliam substituit. addo his epigramma de Citrio, quod citat Salmas. ad Solin. pag. 671.

Septa micant spinis felicis munera mali,
Quae tulit ut Circi aureus ora tumor.

& mox iterum

Stat similis auro citri mirabilis arbor,
Omnibus autumni anteferenda bonis.

Sequentis agit] Ita maxima pars librorum antiquorum, nec tamen male B. L. M. Voss. 2. A. *agat*, quod expressit Lugdun. & Batavus. Cort. 3. perperam *ait*.

Tunc sic informi] *Tum sic informi* Voss. 1. Ed. Lugdun. Genev. & Batav.

Squalentes pulvere crines] Corrupte Ed. ant. *qualentes*, at vero corruptius Cort. 3. *carnes*.

Imo pectore victus ait] Solus Batavus *fesso pectore*. Cort. 3. *uno* vulgatissimo librariorum errore. *imo pectore* ait, id est ex imo pectore. crebro Virgilius imo pectore gemitum, voces *dare*, *trahere*, *fundere*, addita modo praepositione, modo omissa. AEn. I. 375.

imoque trahens a pectore vocem.

& 489.

ingentem gemitum dat pectore ab imo.

XI. 377.

rumpitque has imo pectore voces.

& 840.

deditque has imo pectore voces.

Vinctus est in Voss. 3. sed *victus* dicitur, qui quacunque de caussa obsistere ac contendere desinit. Terent. Heaut. I. I. 62.

adolescentulus
Saepe eadem & graviter audiendo victus est.

Hecyr. IV. 2. 13.

Illius stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres.

Nimirum exemplum] Sententia hujus versus mihi quidem inventu difficillima videtur, neque id forte mirum, cum verba sint

 ven-

Qua fieri posses cum ratione nocens.

contaminatissima. quam & caussam puto, cur Voss. 3. eum prorsus omiserit. In Cort. 3. est *haud mirum*. in Cort. 2. *n*. superne adjecta linea obliqua. & *deerat iniquitate*, adscripta tamen erat lectio vulgata. Pro *deerat*, *daret* habet Voss. 2. *claret* Voss. 3. *dedat* editum Lugd. Genev. & Batav. in versu sequenti hanc quoque diversitatem inveni. *Qua fieri*: *Qui fieri* Voss. 2. sed *quo* malunt P. A. Cort. 3. Cort. autem 2. mutat praeterea ordinem *Quo possit fieri*. Voss. 2. *posset* pro *posses* idque probat Cort. 1. Edit. ant. Lugd. Genev. Neveletus, Batav. *possit* Cort. 2. forte alicui haec correctio placebit.

Nil mirum exemplum Naturae si dat iniquae,
Qui fieri possit.

sententia haec erit, qui arte nocet, eum natura malignum esse: ingeniique pravitatem, ex sceleribus colligi posse. mihi tamen non omnino satis id facit. crediderim potius hoc significare velle Avianum, frustra coërceri naturam ejus, qui ratione ac consilio nocere potest. Neveletus ex editionibus priscis hos versus in modum epilogi huic fabulae subjectos producit,

Tauro sunt similes ad bona quique rebelles
Quos nec verba regunt, verbera nec reprimunt.
Vix castigatur, cui semita recta negatur,
Quod mala mens didicit perdere non poterit.

addit Vir doctus non credere sese hos Aviani esse, quod redolent rythmicos recentiorum Monachorum versus, quod verum arbitror. habet etiam hos versus Burmanni Edit. ant. in qua v. 1. *bona quicunque*, & 3. *non castigatur*.

FABULA XXIX.

Satyrus & Viator.

Horrida congestis quum staret bruma pruinis,

Vir-

Staret bruma pruinis] Horat. Od 1. 9.

Vides ut alta stet nive candidum Soracte.

ubi vetus Scholiastes *Stet, id est, cooperiatur, plenum sit.* adde Serv. ad Virg. AEn. XII 408. Weit. ad pervigil. Vener. 48. *pruinas* intellige nives. Claud. de Conf. Probini & Olybr. 255.

Alpinasque bibunt de more pruinas.

has Alpinas nives videtur significare Florus II. 4. 2. Claud. de rapt. Proserp. 1. 169.

Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

modo dixerat *nives*. Sidon. Apollin. VII. Carm. 171.

lactentia primum,
Membra dedit nivibus, glaciemque irrumpere plantis
Jussit, & attritas parvum ridere pruinas.

& sic infra fab. XXXIV. 7.

Verum ubi candentes suscepit terra pruinas.

dudum ante hunc Virg. Georg. III. 367.

In-

Vinctaque durato stringeret arva gelu.
Haesit in adversa nimborum mole viator,
Perdita nam prohibet semita ferre gradum.
Hunc

Interea toto non secius aëre ninguit :
Intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum.
& IV 518.
Arvaque Riphaeis nunquam viduata pruinis.
Vid. Serv. ad utrumque locum & Gronov. ad Stat. pag. 357. & Broukh. ad Propert. I. 8. 7.

Vinctaque durato] Plus esse in uno saepe, quam in turba, boni, hoc loco Voss. I. probat, qui unus *vincta* reponit, dum ceteri omnes uno ore *cuncta* praeferunt, si a Cort. 2. discesseris, qui ad veram lectionem prope accedit *cincta* ostentans; rursus tamen in eo fallit, quod ejecta hinc enclitica *que*, *indurato* probat pro *durato*. Vossiani Codicis fidem haec firmant Martial. IV. 59. 4.
Concreto riguit vincta repente gelu:
haec verior est lectio, quam *victa*, quod nunnulli Codd. probant. eleganter Horat. Epist. I. 3. 3.
Hebrusque nivali compede vinctus.
Ovid. ex Ponto II. 2. 96.
Terraque pacis inops, undaque vincta gelu.
Claud. in Rufin. I. 169,
fulvamque revinctos
In glaciem vidit latices.
Rutil. in Itiner. I. 489. dicit
juncta fluenta gelu.
quod tamen Joh. Castalio in *vincta* mutat. vetus epigramma apud Pith. Catal. pag. 137.
Postquam tristis hiems frigore junxit aquas.
Haec jam scripseram, cum ecce Heinsium intelligo *vinctas aquas* non *junctas* probare, quem vide ad Claudianum Epigr. VII. 3. & Ovid. Trist. III. 10. 25. ubi & ex ingenio Poetae nostro *vincta* reddit. Ceterum Cl. Dukerus *junctas gelu ripas* Floro vindicat IV. 12. 8. *nectere aquas in glaciem* Propertii est IV. 3. 48. Mox pro *arva*, *arma* habet Cort. 3. vitiose.

Haesit in adversa] *Exit* Voss. 3. *aversa* Cort. I. perperam.

Nimborum] Sensus huic loco [si *membrorum* legimus, id quod edidit Neveletus] esse potest, non nego. Praefero tamen alteram Palatini Codicis & Editionis Ulmensis lectionem
Haesit in adversa nimborum mole viator.
Altera editio *membrorum* quidem habet, sed Scholiastes *nimborum* legit, dum explicat *pruinarum*. NEVELETUS. Recte hanc vocem legit atque exponit Scholiastes, cui suffragantur Vossiani omnes, nec non Edit. ant. & praeterea edit. Lugdun. Genev. & Batav. haud ineleganter nivis depluentis vim *nimbum* nominat, quae ceteroqui vox quarumvis rerum volitantium atque ingruentium confertum agmen significat: molem de nive etiam Virgilius dixit Georg. III. 369. qui locus non fugisse videtur Avianum
Confertoque agmine cervi
Torpent mole nova.

Perdita] Id est nive tecta, obducta. Valer. I. 467.
cumque aethera Jupiter umbra
Perdiderit.
ubi vid. Cl. Burm. sic *perdita* admodum vitiata, Calpurn. ecl. III. 4.
Uuris ego perdita ruscis
Jamdudum nullus dubitavi crura rubetis.
Scindere,

Hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
 Exceptum Satyrus continuisse suo.
Quem simul adspiciens ruris miratur alumnus,
 Vimque homini tantam protinus esse pavet.

Nam

male meus liber *nullis*. & tamen Voss. 2. *credita* legit, mendose quoque Voss. 3. *namque* habet pro *nam*. si quid mutandum, malim *dum*.

Nemorum custos] An *cultor*? nam mox dicitur *ruris alumnus*. & sic Virg. Georg. I. 14. Aristeum vocat *cultorem nemorum*.

& cultor nemorum, cui pinguia Ceae
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

nec non Hostius vetus Poëta Faunos *Silvicolas* dixit, vid. Macrobius VI. Saturn. 5. Ovidius Fast. I. 395.

Di quoque cultores gelidi venere Lycei,
Et quicunque joci non alienus erat.
Panes & in Venerem Satyrorum prona juventus.

Sed nil muto invitis Codicibus. Horat. Od. III. 22. ad Dianam.

Montium custos nemorumque Virgo.

Calpurnius de Silvano I. 33.

Qui, juga, qui silvas tueor.

Custos dicitur Deus, in cujus tutela res est. Horatius I. 2. 6.

Utque soles custos mihi maximus adsis.

Exceptum Satyrus continuisse] *Excipere* verbum hospitale est, ut Lexicographis notatum. Valer. Max. IX. I. 5. *Tunc cum in Hispania adventus suos ab hospitibus aris & ture excipi patiebatur.* Inde *excipere*, hospitaliter ac benevole habere. Reines. Inscr. XI. 12.

EXCIPIET. MANES. SUA. QUI. SINE. FINE. RELIQUIT.

continere est domi studiose adservare, nec finere ut exeat, quod hic amantis est, apud Virgil. Georg. I. 259. violenti

Frigidus agricolam si quando continet imber.

inde & *continere se*, id est domi manere. Suet. Caes. c. LXXXI. *Ob haec simul & infirmam valetudinem diu cunctatus, an se contineret.* & Galb. c. XIX. *Ac plerisque, ut eodem quam primum pergeret, suadentibus (posse enim auctoritate & praesentia praevalere) nihil amplius, quam continere se statuit.* frustra ergo Cort. 3. atque Edit. ant. *continuasse* substituunt. quod verbi crebro alieno in loco supposuerunt Aviano librarii, vid. supra fab. XV. I. levius erravit & Voss. 2. *satirus* legendo pro *satyrus*.

Simul adspiciens] Nullus usus participii hoc loco: corrige *adspexit*, de participiis in hoc scriptore vid. ad fab. XVII. 13. ni forte totum hoc verbum quis in dubium vocare malit. Aliud non requirerem, si codex unus adprobaret *simulac fovit*. integer hic versus deest a B. & L. in Voss. 3. est *alumnis* pro *alumnus* satis vitiose.

Homini] Cort. 3. atque Edit. ant. *hominis*, quod cur vulgatae lectioni praeferam, caussam nullam video. Pro *tantam*, *tantum* habet mendose Voss. 2. pro *pavet*, *stupet* Cort. 1. *timet* Cort. 2. quae glossae sunt, tametsi *stupet*

Nam gelidos artus vitae ut revocaret in usum,
Afflatas calido solverat ore manus.
Sed quum depulso coepisset frigore laetus
Hospitis eximia sedulitate frui.

(Nam-

---

et satis probum, & forte verum.

Gelidos] *Gelidas* Voss. 2. idem *vitat* pro *vitae*. utrumque vitiosum.

Calido] *Calide* Ed. ant. maculate.

Solverat] *Solveret* C. 1. 2. Col. 1. 2. Voss. 2. 3. Ed. ant. etiam hic plusquam perfectum pro perfecto aut imperfecto accipi potest. *Ora* pro *ore* Voss. 1. perperam.

Sedulitate] *Utilitate* Voss. 3. *frugalitate*, Ed. ant. sed unice placet *sedulitate*, quae est officiosa ac sine dolo diligentia. Gell. 1. 6. *Eaque confessione fidem sedulitatis veritatisque commeritus.* Sidon. Apollin. Carm. XXIII. 478.

Seu nos eximii simul tenebat
Nectens officiositas Marini.
Cujus sedulitas sodalitasque
AEterna mihi laude sunt colendae.

atque de hospitibus saepe usurpatur, cum comem blandamque in praestandis officiis alacritatem notat, quam describit Horatius Serm. II. 6. 106 in fabula muris urbani & rustici

Ergo ubi purpurea porrectum in sede locavit
Agrestem: veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes: nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, praelibans omne quod adfert.

nec minus venuste ac copiose sedulam Baucin describit Ovid. Metam. VIII. 640. inde Horatius I. 5. 71. *Sedulum hospitem* dicit, quod Scholiastes exponit *diligentem, officiosum,*

ubi sedulus hospes
Paene, macros arsit turdos dum versat in igni.

& *officiosam sedulitatem* 1. epist. 7. 7.

Dum pueris omnis pater & matercula pallet,
Officiosaque sedulitas & opella forensis
Adducit febres.

Arnobius pag. 163. Edit. Plant. *Dicite o iterum. Ergone, Deum mater genitalia illa disjecta cum floribus ipsa per se maerens officiosa sedulitate collegit.* Ovid. Art. Amat. II. 334.

Ne tamen officiis odium quaeratur ab aegra,
Sit suus in blanda sedulitate modus.

Plancus Ciceroni fam X ep. 15. *His litteris scripsi, quae postea accidissent scire te, ad remp. putavi pertinere. Sedulitas mea, ut spero, & mihi & reip. tulit fructum.* Inde porro *seduli* dicuntur, qui summa cura & quasi religione quadam ad officia se promtos exhibent, ut anus. Tibullus I. 3. 84.

Adsideat custos sedula semper anus.

Ovidius Fast. III. 668.

pauper sed mundae sedulitatis anus.

Amici. ex Pont. III. 8. 17.

Nil igitur Ponti tota regione sinistri
Quod mea sedulitas mittere posset erat.

Albinovan. ad Liviam 207.

Certat onus lecti generosi subire juventus,
Et studet officio sedula colla dare.

(Namque ille agrestem cupiens ostendere vitam,
Silvarum referens optima quaeque dabat.
Obtulit & calido plenum cratera Lyaeo,
Laxet ut infusus frigida membra tepor.)
Ille ubi ferventem labris contingere testam
Horruit, algenti rursus ab ore tulit.

Ob-

Mater. Phaedrus IV. 4. *sedula mater*. Amans. Ovid. Art. Am. I. 153.

Pallia se terrae nimium demissa jacebunt
Collige, & immunda sedulus effer humo.

Uxor. Fabret. Inscr. pag. 299.

ITALA. ME. RAPUIT. CRUDELI. FUNERE. TELLUS.
DUM. FOVEO. ASSIDUA. SEDULITATE. VIRUM.

versus posterior docet, quam vere reddiderim vocem *fovit* scriptori nostro in v. 7. adde praeterea Rutil. I. 591.

Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
Gaudent, & duplici sedulitate fovent.

Ceterum locus hic totus multum obscuritatis habet, quae orta est ex prava distinctione, librariosque in errorem devocavit: ego cum hoc modo distinguendum refingendumque esse censeo;

Idem, depulso cum coepit frigore, laetus,
Hospitis eximia sedulitate frui:
(Namque ille agrestem cupiens ostendere vitam,
Silvarum referens optima quaeque dabat;
Obtulit & calido plenum cratera Lyaeo,
Laxet ut infusus frigida membra tepor.)
Atque ubi ferventem labris contingere testam
Horruit, algenti & sufflat ab ore gelu.

Namque ille agrestem] *Atque agrestem*, sed supra scriptum *illi*. *Ille* edidimus ex Voss. 3. qui tamen in reliquis vitiosus, nam legit *agreste*, & mox *vita*, ut & in versu sequenti *quoque* pro *quaeque*.

Dabat] *Dabit* B. L. forte voluerunt *dedit*.

Obtulit &] *Obtulit quae* Voss. 3. pessime. & mox pro *plenum cratera* Cort. 3. habet *cratera plena* Voss. 2. *plenum & cratera*. B. *Alieo*, in quibus nihil boni.

Laxet ut] *Laxaret*. Edit. Genev. typothetarum errore, ut puto. *infusus*: *infusos* Voss. 3. *effusus* Cort. 2. Male; vinum dedit, ex praecepto Homeri Iliad. Z. 261.

Ἀνδρὶ δὲ κεκμηῶτι μένος μέγα οἶνος ἀέξει.
Viro autem defatigato robur valde vinum auget.

Ille ubi] *Hic ubi* Edit. ant. eadem mox *labiis* pro *labris*, quae frustra distinguuntur a Grammaticis.

Contingere] *Contingeret* Voss. 3. pessime. *attingere* Ed. ant. *contingere* recte ponitur pro *tangere*, *attingere*. Phaedr. I, 20.

sed rupti prius
Periere, quam quod petierant, contingerent.

attingere dixerat ante eodem sensu fab. V.

Nec quem petebat adeo potuit attingere.

Algenti rursus ab ore tulit] Editio Ulmensis altera cum Pulman.

Obstupuit duplici monstro perterritus hospes,
Et pulsum silvis longius ire jubet.
Nolo, ait, ut nostris unquam successerit antris,

Tam

man. Codd. 2. *sufflat.* an erit

algentem rursus ab ore tulit?

Testam ferventem attingere non sustinens labiis, flatu algentem reddidit. NEVELETUS. Voss. 3. *algenta. ab ore tulit* adgnoscit Voss. 3. 4. *flavit* Edit. antiq. Ceteri omnes *ab ore suflat.* quod manifeste vitiosum est; abhorret namque a lege metrica, cur enim geminato *ff* non scribatur, *sufflo* (quod antiquiores scripserunt *subflo*) simili modo, ut *efflo.* omnium optime Batav. *suflat ab ore gelu:* plane ut apud Martial. III. 17.

Circumlata diu mensis scriblita secundis,
Vrebat nimio saeva calore manus.
Sed magis ardebat Sabidi gula; protinus ergo
Sufflavit buccis terque quaterque suis.

Seneca de Clem. I. 25. *serpens sufflatu deurit.* Convenit nonnihil & illud Ovid. Fast. V. 194.

Sic ego, sic nostris respondet Diva rogatis:
Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas.

Quia tamen constanter nonnulli *tulit* tuentur, dubitavi aliquando, an legendum

algorem rursus ab ore tulit.

cum antea calorem flasset ab ore, nunc rursus, id est contra, vicissim, algorem ab eo tulit seu protulit. de verbo *sufflat* vid. Bentlej. ad Horat. Serm. II. 3. 317.

Obstupuit] *Obstupeat* Cort. 2. perperam. *Obstipuit* Voss. 2. B. L. sic in monumento, quod profert Fabret. Inscr. pag. 192,

DOCTOR DOCTOREM VIDIT ET OBSTIPUIT.

Verum nonnullas barbarae Orthographiae notas hoc monumentum praefert, positum sub Imperatore Justino. fuerunt tamen & inter vetustos Grammatici, qui hoc vindicarunt. vid. Dausq. in part. 2. Orthogr. idque sese in optimis multorum scriptorum codicibus invenisse testatur Pier. ad Virg. AEn. I. 517. Heins. ad Claudian. in Rufin. II. 197. quae & caussa fuit, cur Vossius in Etym. non obscure a voce *stipite* deduxerit, quamvis syllaba repugnet.

Duplici monstro] Novo significatu *monstrum* pro miraculo dixit. NEVELET. Vide responsum nostrum in Dissertatione. Voss. 3. *montro* legit, non *monstro.* Cort. 2. ordinem vertit, legitque *monstro duplici*, sed nil muto.

Et pulsum] *Expulsum* P. A. Cort. 3. Edit. ant. quos non sequor: corruptius tamen Voss. 3. *expulsus.*

Longius ire jubet] Tò *longius* fastidium & contumeliam praefert. Prudent. advers. Symmach. II. 900.

Ite procul gentes, consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei. discedite longe,
Et vestrum penetrate chaos.

vid. supra ad fab. XIII. 7.

Nolo, ait, ut nostris] Admodum maculose Cort. 1.

Volo ait nostris nunquam succederet antris.

Cort. 2. *succedat in*, in ceteris convenit ei cum vulgatis. *Successeris* Ed. ant. *successerat* Voss. 2. sed horum nihil illis antepono. Male Cort. 3. *avis* pro *antris.*

Tam diversa duo qui simul ore ferat.

Qui bene colloquitur coram, sed postea prave;
Hic erit invisus bina quod ora gerat.

Tam diversa duo] *Nam* Voss. 2. *diverso* Voss. 3. sed forte non negligendum quod praeferunt Voss. 2. 3. 4. *ora*. hinc conjicio legendum.

Tam diversa unus qui simul ora ferat.

Ora nempe *diversa* dicit, ut Prudent. Hamartag. 203. *linguam dolis discissam.*

Simplex lingua prius varia micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonat sermone trisulco.

inde homines hos ἀμφιςόμες Graeci appellant, bilingues nominat Phaedr. I I. 4. Apostolus Jacobus I. Ep. 8. non multum aliter δίψυχες dicit. Si tamen probandum est *ore*, malo & *uno*. *diversa* autem contraria notat. Juvenal. x. Sat. I.

Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diversa.

Adde fab. XXII. 3. facit huc fabula Graeca, quae est CXXVI. ὅτι ἐκ τȣ̃ αὐτȣ̃ ςόματ☉ τὸ θερμὸν ϗ τὸ ψυχρὸν ἐξάγεις: *quod ex eodem ore & calidum & frigidum profers.*

Qui bene colloquitur] Desiderantur in C. I. 2. Col. I. 2. B. L. Voss. 2. 3. Edit. Lugdun. Genev. Batav. *Qui bene: sed bene*, in margine tamen *Qui*. Cort. 2. *colloquitur. Proloquitur* Cort. I. 2. 3. Ed. ant. in versu altero. *Hic erit invisus: Hic invisus erit*. Cort. 3. Edit. ant. *gerat*: *gerit*. idem *ferat*. Cort. I. *geris* Edit. ant.

FABULA XXX.

Villicus & Dominus.

Vastantem segetes & pinguia culta ruentem,

Li-

Vastantem] *Jactare* in eadem re dixit Virg. Georg. I. 399.

non ore solutos,
Inmundi meminere sues jactare maniplos.

Pinguia culta] *Pinguia rura* Cort. 2. *cultu* Cort. 3. sed supra adscriptum erat *rura*. nil muto, quia Virgilianum est, Georg. IV. 372.

quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.

AEn. x. 141.

ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque irrigat auro.

anne & eodem sensu *nitentia culta* dixit Georg. I. 153.

interque nitentia culta
Infelix lolium & steriles dominantur avenae.

certe *nitens* pro pingui AEn. VI. 654.

quae cura nitentes
Pascere equos.

&

Liquerat abſciſa Ruſticus aure ſuem.
Ut memor accepti referens monumenta doloris
Ulterius teneris parceret ille ſatis.
Rurſus in excepti deprenſus crimine campi,
Perdidit indultae perfidus auris onus.

Nec

& Phaedr. III. 7.

unde ſic quaeſo nites?

fuit & *culta* ſubſtantive olim in carmine cui Culici nomen 151. quod eadem inſcitia, qua hic, corruperunt librarii & correctores.

Argutis & culta fremunt ardore cicadis.

hanc veram lectionem retraxit e fuga & ſuae ſedi reſtituit Scaliger ad v. 97.

Liquerat abſciſa] *Linquerat abſciſam* Voſſ. 3. male. *Abciſa* C. 1. 2. Col. 1. 2. Cort. 1. ceteri *abſciſſum.* non lubet actum agere aut longum catalogum nectere eorum Virorum, qui ſtudium ſuum contulerunt in haec duo verba accuratius diſtinguenda, tu vide quae de iis monuerunt cumularuntque Viri Celeberrimi Burm. ad Vellej. II. 66. 3. Draekenb. ad Silium XV. 473. Duker. ad Florum II. 2. 2. Ceterum hinc veterum conſuetudo apparet, quam doctis viris uſque adhuc obſervatam non memini, mutilandi animalia in pauperie ac damno deprehenſa: intelligimus ea porro ex legibus Colonariis pag. 261. Ἔιτις εὕρη χοῖρον ἐν πραίδα ἢ πρόβατον ἢ κύνα, ϗ παραδώση αὐτὸν ἐν πρώτοις τῷ κυρίῳ αὐτοῦ, εἶτα δευτερώσας, ϗ παραγγείλας, τὸ τρίτον οὐροκοπήση, ἢ τοξεύση, ἀζήμιος ἔσω. *Si quis deprehenderit porcum in pauperie ſeu ovem, ſeu canem, & tradiderit primum domino, deinde iterum hoc fecerit, ac renunciaverit, tertio caudam reciderit, aut jaculis confixerit, indemnis eſto.* pertinet huc quoque fabula AEſopi VII. ἀλώπηξ ἐν παγίδι ληφθεῖσα, ϗ ἀποκοπείσης τῆς οὐρᾶς διαδρᾶσα. *Vulpes laqueo capta, quum abſciſa cauda evaſiſſet.* & hinc illuſtrantur ſcriptoris illius verba, qui Querolum comoediam ſcripſit, in qua multa Romani juris capita tangit. *Ego in laqueos non incidiſſem, ſi monita curti ſervaſſem canis.* quin & ex Euſtathio notat Hartungus locor. memorabil. Decuria III. cap. 8. n. 5. (vid. Gruter. Fac. Crit. II. pag. 726.) fuiſſe apud Cyprios conſuetudinem lege confirmatam, ſuibus ſegetes vaſtantibus dentes truncari a poſſeſſoribus fundi.

Referens] *Reverens* Cort. 3. ſed nihil muto. *referri* dicuntur monumenta tanquam praemia nequitiae atque improbitatis. de hac voce multa ſupra monuimus, ad fab. 1. Vox *memor* in conſtructione referenda ad verbum *parceret.*

Parceret ille] Sic Codices antiqui omnes, praeter Cort. 2. a quibus miror hic diſceſſiſſe editores, ut antiquum, Lugdun. Genev. Nev. Batav. qui *illa* praeferunt, tametſi mox verſu ſequenti in maſculino genere dixit *deprenſus*, quod & deinceps ubique obſervatur.

Rurſus in excepti deprenſus] *In* delet Cort. 3. *excerpti* Voſſ. 1. *exceptis* Voſſ. 3. *accepti* Cort. 2. dudum eſt, quum conjiciebam, *exſecti*, nec diſplicet in praeſenti. Claudianus de Stilic. 1. 164.

Vel

Nec mora praedictae segeti caput intulit horrens,
Poena sed indignum congeminata facit.
Tunc Domini captum mensis dedit ille superbis,
In varias epulas plurima frusta secans.
Sed quum consumti Dominus cor quaereret apri,
Impatiens fertur cor rapuisse coquus.

Ruf-

Vel seges exsecta fraudavit messe colonum

& II. 198.

Exsectis inculta dabant quas saecula silvis.

videatur Heinsius ad illum locum Claudiani. pro *deprensus* in B. & L. est *depressus*, in Voss. 3. *deprehensus*. pessime utrumque. nec melius L. & Voss. I. *crimina*. P. autem & Cort 2. *gramine* habent. sed *crimine* non sollicitandum. Deprendi in scelere, flagitio, maleficio, & sic crimine satis nota sunt.

Nec mora] *Nec morem* Voss. 3. qui & *campum* pro *caput*, quod plane vitiosum.

Poena sed] *Poena quae* idem, sed pessime.

Congeminata] *Quod geminata* C. I. Col. I. 2. M. quos sequuntur Ed. Lugd. Genev. & Batav. *qui geminata* Voss. 2. quod forte probum, si *qui* pro *quo* accipias, de quo alibi plura. Si hoc non placet, corrige *quo*: nauci non est scriptura Voss. 3. qui ut alias corruptissimus, tum praecipue in hac fabula: habet autem is *cognominata*: legendum forte.

Quo noxa indignum ter geminata facit.

ex lege autem colonaria, quam supra memoravi, licuit animal tertio deprensum occidere. & credo *poena* pro *noxa* irrepsit ex glossa, quod soliti sunt veteres Magistri noxam, poenam exponere. consule Cl. Dukerum in opusculis veterum Jurisconsultorum pag. 8. 9. & seq.

Tunc] *Tum* Voss. I. & hoc edidit Pulmannus.

Captum] *Campum* Voss. 3.

Superbis] *Superbum* Cort. 2. quod non probo. *Mensas superbas* dixit more Virgiliano, qui similiter *fores superbas*, *aulaea superba*, dixit Georg. II. 460. AEn. I. 701. & alibi *postes superbos*. adde infra fab. XXXIII. 3. *volucri superbae*.

In varias] *Inventas* Voss. I. quod quid sit hoc loco, nescio. pro *frusta* Voss. 3. *frustra*.

Quod rapuisse] Vide an bene Palatinae membranae cum Pulman. 2. & Edit. *cor rapuisse*. NEVELETUS. Suffragantur his Cortiani omnes. Et sane haud quaquam inficete repetitur *cor* hoc loco. atque ex iisdem verbis altero versu repetendis elegantiam quaesiverunt Poëtae. Virg. AEn. I. 557.

Si datur Italiam sociis & rege recepto
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus.

non addo plura ex plurimis.

Hoc justam verbo] *His justam verbis* Cort. I. metuit credo, ne parum vere diceretur *verbo*, cum plura verba responsa leguntur. sed notum hodie ex lexicis etiam vulgatioribus *verbum* saepe pro integra sententia poni. Unus Pulmanni ita habet *Hoc domini verbo.*

Stul-

Rusticus hoc justam verbo compescuit iram,
Affirmans stultum non habuisse suem.
Nam cur membrorum demens in damna redisset,
Atque uno totiens posset ab hoste capi.

Haec illos praecepta monent, qui saepius ausi
Nun-

Stultum non] *Stultam* Cort. 2. pro *non* Voss. 3. habet *Cor*, utrumque male, negat stulto cor fuisse, id est sapientiam. Martial. epigr. XI. 84.

Unus de cunctis animalibus hircus habet cor.

Auson. epigr. 48.

Reminisco, Rufus dixit in versu
Cor ergo versus, imo Rufus non habet.

& 49.

legeret cor, si cor haberet.

Demens] *Demens* & *totiens* quod in versu altero sequitur, permutantur, alterumque alterius locum occupavit. *demens* legunt hoc loco C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 2. 3. 4. Cort. 1. 2. 3. P. A. atque ex editionibus Lugdun. Genev. & Batav. atque ii mox *totiens* habent, alii contra. parum refert, quos sequaris. nescio tamen an rectius legatur,

Nam qui membrorum demens.

Redisset] *Sedisset* C. 2. Col. 2. *Venisset* Voss. 2. quod miror receptum Lugdunensi Editori & Genevensi, imo & ipsi Neveleto; peccatur enim in syllabam. in Voss. 3. est *redisse*. Batavi ediderunt *ruisset*; optime. & sic supra fab. XXII. 20. Sed id posui, quod vetustis libris probatum reperi.

Atque uno] *Ac uno*. C. 2. Col. 2.

Totiens] Haec scriptura est antiquorum lapidum & librorum, quam servavi. vid. Manut. ad Cic. I. fam. 7. Pier. ad Virg. III. Ecl. 72. Carrion ad Valer. Flac. I. 447. Castalio ad Rutil. I. 5. probat & eam ex antiquis Grammaticis Flavius Caper pag. 2241. quanto magis mirari liceat Levineum, & qui hunc sequitur Barth. ad Rutil. I. 324. notam productae syllabae hanc fuisse arguentes: quod & in aliis vocibus verum est arbitratus Lipsius de Pronunciatione, cum ex certissimis indiciis facile hunc veterum morem deprehendere sit, promiscue inserendi eximendique litteram *n*. praesertim ante *s*.

Haec illos praecepta] Ita ediderunt Batavi non invito Cort. 3. Ceteri omnes scripti & editi *descripta*, impensius probo *praescripta*. Gruter. Inscr. DCCCC. 7.

ET LIBROS LEGI, LEGI PIA CARMINA HOMERI
SIVE QUOT EUCLIDES ABACO PRAESCRIPTA TULISSET.

quod monumentum plane confirmat sententiam veteris Scholiastae ad Horat. II. Od. 15. 11. *Praescriptum, institutum, praeceptum: a magistris ludi tractum, qui praescripta dant pueris, quae imitentur.*

Monent] *Movent* Cort. 3. male hoc loco, vid. supra fab. XXVI. 9. vox deest in B.

Ausi] Vox cum effectu capienda: & notat per audaciam aliquid gerere. Virgilius AEn. X. 284.

Audentes Fortuna juvat.

Juvenalis I. 73.

Aude aliquid brevibus Gyaris &
carcere dignum,

Pet-

Nunquam peccatis abſtinuere manus.

Peccatis abſtinuere manus] Id eſt a peccatis. Utroque modo conſtruitur. Cicero Verr. I. 12. *Abſtineant in hoc judicio manus animosque ab hoc ſcelere nefario.* Livius XXXIX. 16. *A facinoribus manus, mentem a fraudibus abſtinuiſſent.* in verſu tamen ſine praepoſitione frequens. Scaliger Catalect. pag. 199.

Sacrilegae buſtis abſtinuere manus.

poſſis *peccata* hic laxe interpretari. Vox tamen *manus* videtur ad furtum reſtringere, quod & fabulae argumentum confirmat. Sane *manus* pro furto uſitatiſſimum eſt. Inde *adferre manum* Priap. XIV. *Continere manum,* LII. *Porrigere manus,* LXX. *Manum ſeorſum habere,* LXXXVI. ibidem *Furis arcete manus.* pertinet & huc *involare* pro praedari. Sed minus mihi laborandum exiſtimo de verbis & ſententia epilogi hujus, quem ab Aviano profectum non puto. Recentem admodum non eſſe multa perſuadent, potiſſimum tamen MSS. concordia in eo agnoſcendo. in Cort. 2. & 3. inveniebatur *abſtinuiſſe*, prave. Sine praepoſitione porro hoc verbum conſtruxerunt Virgilius AEn. VII. 618. *Abſtinuit tactu pater.* Horatius Art. Poet. 414. *Abſtinuit Venere & vino.*

FABULA XXXI.

Mus & Bos.

Ingentem fertur Mus quondam parvus oberrans,
Auſus ab exiguo laedere dente Bovem.

Ve-

1 *Ingentem fertur mus*] Verſum hunc ita ordinat Cortianus primus,

Ingentem quondam mus parvus fertur oberrans.

Deerat olim *mus* Voſſiano tertio, ſed alia manu deinceps adſcriptum. Cort. 3. *aberrans. Oberrare* eſt huc illuc vagari. Curt. VI. 5. 17. *Sed ignotis locis plerique oberrabant.* Atque eadem vis praepoſitionis hujus eſt in aliis compoſitis. de *obambulo* vid. Burmannus ad Ovid. Metam. XIV. 187. *obequito* Florus IV. 2. 50. ſic & infra fab. XXXIV. 5. *obrepto* & XXXVIII. 2. ubi vide notas noſtras.

Ab exiguo laedere dente] Praepoſitionem detrahunt fere Oratores & Hiſtorici, haud raro addunt Poëtae. Tibul. I. 5. 3.

Namque ager, ut per plana citus ſola verbere turbo,
Quem celer adſueta verſat ab arte puer.

& X. 66.

Quum tibi non ſolita corpus ab arte movet.

Prudent. Periſt. XIV. 1066.

Aſt hic metenda dedicat genitalia:
Numen reciſo mitigans ab inguine.

Venant. II. poëm. 14.

Et leviter pietas carpit ab ore dapes.

atque ita Grotius exponit hoc Avieni Progn. 434.

Si matutino fringilla reſultat ab ore.

Auſon.

Verum ubi mordaci confecit vulnera rostro,
Tutus in amfractus conditur inde suos.
5 Ille licet vasta torvum cervice minetur,
Non

Auson. epigr. XCII. 9.
Stulte ab amore mori pateris:
Sidon. VII. Carm. 298.
Getica pallebat ab ira.
adde Sanct. Min. III. 4. pag. 404. 405. & IV. 6. pag. 689. Voss. de Construct. cap. 47.

Mordaci] *Mordacius* Ed. ant. *rostro* recte de mure, cujus proprium est rodere. fallitur Agraetius, dum scribit rostrum non esse, nisi quod incurvum sit. bestiis plerisque tribui dudum alii docuerunt; de homine etiam dixisse veteres, ostendit Nonius. male Voss. 3. *rastro* pro *rostro*.

Tutus in anfractus] *Ductus in anfractus* Voss. 2. nullo sensu. *anfractis* Edit. ant. quae & mox *suis* habet, videtur eandem lectionem agnovisse Cort. 2. qui similiter *suis* praefert. nequaquam negligenda haec terminatio, quae veteribus usurpata reperitur. Nonius. *Amfractum masculino genere dici putant, neutro Accius Eurysace, Super Oceani stagna alta patris terrarum amfracta revisam. Varro Parmenone. Cavo fonte ut cum irrigavit cavata aurium amfracta, in sylvam vocans.* verba haec quemadmodum emendet Barthius, vide ad Stat. V. Thebaid. 520. addit Varro de L. L. lib. VI. pag. 68. fragmentum legum, quae jubent *in directo pedum octo esse, in amfracto sexdecim.* adde & Glossam veterem *amfractum περιφερής*. Gifanius Indic. Lucret. ex Varrone monet per *m* scribendum *amfractum*: tu vide quae de hac re disputet Dausqueus in Orthogr. Part. II. praepositionem *in* subjunctam verbo *condo* cum quarto sextoq. casu promiscue construi, nullus ignorat.

Conditur inde suos] *Conditur ille suos* Cort. I. 3. *ipse* P. nil muto, vid. supra & ad fab. XXXIII. 12. corruptissime Voss. 2. *conditur in pavidas.* in Voss. 3. integer hic versus deficit. Si quid porro mutandum, laudo *conditus*, ut conveniat τῷ *ausus*, quod praecedit.

Vasta torvum cervice minetur] *Torva vastum.* B. L. M. *vasta nimium* Edit. ant. ridicule Cort. 3. *torvum murem.* *torvum minari* dixit Avianus, ut Virgilius *torvum clamare*. AEn. VII. 399.
torvumque repente
Clamat.
dicitur autem eadem figura, qua *horrendum stridere, immane spirare*, & alia innumera, de quibus Erythr. in Indice Virgilii voce *torvus*, ubi porro monet ob oculorum saevitiam animalia *torva* dici. probat hanc oculorum ferociam in bubus Virgilius Georg. III. 51.
optima torvae
Forma bovis.
ut adeo Festus hinc existimaverit a *tauris*, *torvum* dici, quod verum non arbitror. pergit Avianus *cervice minetur*, quia hac parte potissimum valent tauri. In fabula haud dissimili antiquus fabulator, quem tamen sagaciter Phaedrum esse colligit Doctissimus Nieland. fab. ant. 36.
Quod si fuisset validae cervicis
memor.
a taurorum autem contumacibus cervicibus, quas *plurimas* probat Virgilius, *vastas* Columella VI. 20. & Palladius in Martio c. XI. etiam ipsi voci *cervices* contumaciae significatio cohaesit, unde expeditur dictum Ciceronis in Verrem III. 19. *Cerviculam jactare*

Non tamen iratus, quem petat, esse videt.
Tunc indignantem justo sermone fatigans,
Distulit hostiles calliditate minas.

Non

re. adde Florum IV. 12, 2. inde & *cervicosus.* Notandum porro *minatur* legi in Cort. 2. & 3. de qua constructione dixi ante.

Quem petit, esse videt] Malo quod Pal. & Pulm. Codd. cum editionibus *Quem petat, esse videt.* NEVELETUS. *Quem petit* Cort. 2. 3. sed in illo supra scriptum *petat*, quod magis arridet idque editoribus probatum reperi; Batavus tamen mavult *petit. esse videt* non *ille* receperunt C. 1. 2. Col. 2. B. L. Voss. 3. 4. P. Cort. 2. idque ediderunt Lugd. Genev. & Batav. *ipse* erat in Cort. 1. 3. ut & A. vid. supra fab. XXIII. 2. hic versus cum nonnullis aliis aberat a Voss. 2.

Tunc indignantem] *Hunc indignantem* P. C. 3. an *Hic*, id est *Tunc?*

Justo sermone fatigans] Qui justo? an melius Ed. *tali.* NEVELETUS. *Vasto sermone* Voss. 3. 4. Cort. 2. sed *tali* probat Edit. ant. & Bat. suspicor lectum fuisse olim *mus hoc sermone*, Jo. Savaro ad Sidonium v. epist. 17. citans hunc versum *fatigat* legit: data opera, an memoriae errore nescio. ipse sane hos versus ita legi malim,

Tunc indignantem mus hoc sermone fatigat,
Distulit ut tales calliditate minas.

recte autem idem Vir Doctissimus *fatigare* hoc loco exponit *cavillari, irridere*, quem porro consule ad I. ep. 8. init. III. ep. 13 IV. ep. 10. adde Vorst. ad Sulpic. Sever. Dial. I. c. 4. Salmas. ad Vopisc. in Carino, quem descripsit Daceria ad Aurel. Victor. pag. 220 eademque repetit Heumannus ad Breviar. Eutrop. IX. 19. modestius tamen noster, quam alii hoc verbum usurpavit: addens *sermone*, nam si ablativum addideris ex usu optimi saeculi dictum est aestimandum; quis enim, (quod & Vorstius Latinae linguae callidissimus ad Sulpicium animadvertit:) magis dubitet dicere salibus fatigare, quam precibus, & aliis rebus, quae incommodum & molestiam adferre solent. Imo vero quantum abit Sallustianum hoc in Jug. c. LX. *Romanus Imperator ubi se dolis fatigari videt:* potuisset eodem sensu dicere Sallustius *derisum, elusum.* Deinde quis eum accuset, qui Crispinum, aliosque Sermone Horatii fatigatos dicit, in Satyris, quas ipse Sermones nominat?

Distulit] Id est disturbavit, Virgilius Georg. III. 196.

Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiaeque hiemis atque arida differt
Nubila.

Differre minas ergo est irritas facere. adde supra ad fab. X. 10. haud minus eleganter Phaedrus, aut quicunque fabulae auctor est, quam ex Codice antiquo eruit Nilandus, pag. 3. *destituit minas*, quod eodem sensu dicitur ac *distulit. destituere* enim est statutum abolere, atque adeo irritum facere notat. hinc Nonius *destitui desolari*, & Isidor. in glossis *destitudo* lege *destitucio, destructio.* aliter Graevius, sed eum non sequor. idem olim docuerunt glossae Cyrilli, quas nunc macula inquinavit *destituta κατερρυπωμένα*, corrige *καταερειπτόμενα* vel *κατηρειπωμένα*, & hinc corrige Onomasticon vetus *καταερειπτόμενον* vel *κατηρειπωμένον* *semirutum*, legitur nunc *κατε-*

ει-

Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum constituere tuis.

Disce tamen brevibus, quae sit fiducia monstris,
Ut faciat, quicquid parvula turba cupit.

εσπωμένον. facile hinc a Guieti ac Graevii manu defenditur Suetonius in Claud. c. XLV. *Quem honorem a Nerone destitutum abolitumque recepit, mox per Vespasianum.* pro *calliditate*, *caliditate* Voss. 3. habet, sed solet is raro geminare literas. *Calitate* Cort 3. male.

Non quia] Hic versus cum tribus sequentibus exulat a B. & L notanda hoc loco illa locutio *tribuerunt membra parentes.*

Effectum constituere] *Affectum* Cort. 2. *construere* Voss. 3. pessime utrumque. observa hic ellipsin *etiam.*

Disce tamen] Sic eleganter in admonitionibus & precibus *tamen* adhibetur pro quaeso, sodes, Ovidius Metam. I. 510.

moderatius oro,
Curre, fugamque inhibe. moderatius insequar ipse.
Cui placeas, inquire tamen. Non incola montis.
Non ego sum pastor.

nisi mavis hic notare *tandem*, vid. Donat. ad Terent. Andr. III. 2. 41. & Nonium. adde Gifan. Ind. Lucret. Nannium Miscell. II. c. 2. sic fabula sequenti in fine

Disce tamen pigris non flecti numina votis.

Brevibus] Vide supra XIV. 9.

Quae sit fiducia monstris] Nova itidem vocis usurpatio, vereor tamen ut vera. Pulm. enim 2. Codices & editio utraque

quae sit fiducia membris.

monstra quidem Justinus elephantes vocavit lib. XVIII. c. I. *Victoresque jam nova Macedonum monstra repente vicerunt.* de Pyrrhi insolitatis adhuc aevo illo apud Romanos elephantis loquens. Sed an licebit quoque Aviano e musculo facere elephantum? NEVELETUS. Etiam hic Neveletum fugit vera significatio monstri, quam pluribus ostendimus in Dissertatione nostra.

Ut faciat] Hoc melius videtur, haustum ex Voss. 2. & A. idem in interstitio apparebat in P. qui aliter *facies* praefert. *Faciet* erat in Edit. ant. reliqui omnes libri, *Et faciat.* *Ut* hic *quemadmodum* est exponendum. Suspicabar olim *Et facias.* Verum id nunc non placet. forte plus vitiorum latet. His annectit Editio antiqua hoc distichon

Cum dives persona brevem majorve potestas
Subdere vult sibimet, si nequit, ira tumet.

FABULA XXXII.

Rusticus & Hercules.

Haerentem luteo sub gurgite Rusticus axem

Haerentem] *Ferentem* Cort. 2. *Terrentem* Cort. 3. sed utrumque dein correctum.

Liquerat, & nexos ad juga curva Boves.
Frustra dispositis confidens Numina votis,
Ferre suis rebus, cum resideret, opem.
Cui

Et nexos] Sic scripti omnes, ut & Pulmannus, nec non Pithoeus, a quibus cur recesserint editores praestantissimi, caussam non video, ut Neveletus, qui expressit *& nexas*; Genevensis *adnexas*, quem sequitur Batavus *annexas* exhibens; Lugdunensis divise *ad nexas*. Sed cur illi etiam genus mutant? cum constet juvencos potissimum plaustris junctos esse olim. Scio haec genera nonnunquam mutari, de qua re ad fabulam proximam dicemus plura, nonnullisque visum, cum sexus non respicitur, saepius in feminino usurpari. vid. Voss. de Anal. I. c. 15. sed hoc fieri nolim contra vetustorum librorum fidem.

Ad juga curva] Sic editiones meliores tres Lugdun. Genev. & Batava; ut dubitandum non sit ex vetustis membranis id esse repositum, ceteri tamen libri cum editi tum scripti, quos consuluimus, *ad juga tarda*. Tibullus I. II. 46.

Duxit aratores sub juga curva boves.

& sic nonnulli Codices Ovidiani in hoc versu Am. I. 2. 14.

Detrectant pressi dum juga curva boves.

alia loca, quibus *juga curva*, *incurva*, *panda* dixerunt Poëtae, supervacuum est commemorare.

Frustra dispositis] Palat. & Pulmanni duo MSS. *depositis*. vide an editio inepte *compositis*. NEVELETUS. *Frustraque* C. I. Col. I. L. M. Voss. 2. 3. 4. Cort. 2. 3. Quis autem tanto numero fidem derogare audeat? At vide ludimagistrorum audaciam atque inscitiam. Isti enim, ut corruptae sui saeculi consuetudini, quo posterior syllaba in *frustra* corripiebatur, accommodarent Poëtam, inepte vocem & sententiam contaminare non sunt veriti. Quae ex doctiorum Poëtarum scriptis adferuntur, ad confirmandum adprobandumque syllabae hujus usum, refutata dudum sunt a viris eruditis. Juvenalem defendit Vossius de arte Gram. II. c. 24. Grangreus, & Lubinus ad Juvenal. III. 210. Avienum Hugo Grotius, qui versus ex prognost. 194. ita emendatiores legit.

Exhalantis humi qua spiramenta madescunt
Ima vehunt caeli. luxit dum fusa frequenter
Desuper in nubes.

Ceterum *dispositis* praeferunt ex meis B. L. M. Voss. 2. Cort. 3. atque ex Editionibus Lugdunensis, Genev. & Batav. Reliqui *depositis* amant, quibus & accedunt, Voss. 3. Cort. 2. *depositus* legendo & Voss. 4. *depositum*, Editio antiqua Burmanni, Neveletianae convenit *compositis*. quod videtur non omnino improbatum Neveleto, neque etiam improbaretur mihi, si scirem *componere vota* pro *concipere* usitate dici. Imo si juvarent antiqui libri, non dubitarem *conceptis* reponere. Sed non est, cur destituamus plurimorum auctoritatem. ut *ponere vota* dixit Propertius, quae uni Dianae fiebant, sic *disposita vota* dicuntur Aviano, quae in variis templis, variis Diis ponebantur. Propertii versus hi sunt lib. II. el. 15. v. 17.

Ipse ego venabor. jam nunc me sacra Dianae
Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.

& sane soliti sunt olim laborantes non unum Deum fatigare votis

Cui rector summis Tirynthius infit ab astris,

Nam

tis, sed templa omnium circuire. Arnobius pag. 34. edit. Plant. *Cum per omnia supplices irent templa, cum Deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis.* ita &

Multos cum menses aegrotasset Milvius;
Nec jam videret esse vitae spem suae;
Matrem rogabat, sancta circumiret loca,
Et pro salute vota faceret maxima.

fabulam hanc Phaedri ex Codice Divionensi protulit Gudius in fine commentarii sui ad ejus fabulas, eandem vide apud Niland pag. 133. Afranius in Fratriis.

Nullam profecto accessi ad aram, quin Deos
Suppliciis, sumtu, votis, donis, precibus, plorans, obsecrans
Nequicquam defatigarem.

citat hos versus Nonius in *supplicium*, sed corrupte. Ordinavimus eos & correximus, ita, ut decere est visum. Suetonius in Nerone c. XIX. *Peregrinationes duas omnino suscepit, Alexandrinam & Achaicam: sed Alexandrina ipso profectionis die destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam, circuitis templis, cum in aede Vestae resedisset.* adde in Caligula c. XXV. Ciceronem Fam. XI. ep. 18. ita *disponere* pro in variis locis collocare Caesar Bello Civili I. c. 14. *Legiones in Apulia Hibernorum caussa disposuerat.* de hac locutione *confidens numina ferre*, id est *latura*, dixi alias, vide infra fab. XXXIII. 7. tu vide Cl. Duker. ad Flor. I. c. 12. *residere* hoc loco est desidem esse, per segnitiem atque inertiam nihil agere: videtur locus desumtus ex Virgilio Georg. III. 454.

alitur vitium, vivitque tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, aut meliora Deos sedet omina poscens

Adde Taubman. ad Plaut. in Captiv. III. I. 8. Sanct. in Minerva III. 3 pag. 377. atque ibi Perizon. de re ipsa notanda haec Sallustii sententia. *Non votis, neque suppliciis muliebribus Deorum auxilia comparantur; vigilando, laborando prospere omnia cedunt. Ubi socordiae tete atque ignaviae tradideris, nequicquam Deos implores: irati infestique sunt.* adde Erasmi Adagia in voc. *industria.*

Cui rector summis Tirynthius] An rectorem Tirynthium regem Tirynthi interpretabimur? de oppido autem Tiryntho vid. Stephanus de Urb. & Strabo lib. VIII. pag. 373. Sed si quis me audit, is *rector* mutabit in *victor*. Obversabatur enim Aviani animo, cum haec scriberet Virgilii illud AEn. VII. 661.

Mixta Deo mulier, postquam Laurentia victor,
Geryone extincto, Tirynthius attigit arva.

Quin auctor est Servius ad Virgil. AEn. VIII. 203. perpetuum esse epitheton Herculis, quo *Victor* dicebatur; quare & non una fuit Herculis Victoris aedes Romae. vide Macrob. *Saturn.* III. 6. & P. Victor. de Region. Urbis Romae in Regione 8. inde hoc cognomine crebro in monumentis antiquis proscribitur. Gruterus XXIII. 3.

JOVI STATORI
HERCVLI VICTORI

congrue Auctor Panegyrici, qui Maximiano Augusto dictus, in fine, *Sicut majoribus institutum est, invocando Statorem Jovem, Herculemque Victorem:* quae verba multum ponderis addunt emendationi nostrae, quod in votis & precibus, ut in hac fabula, Hercules eo nomine sit appellatus. Adde porro Gruter. pag. L. 3. & CCCXV. 7. Spon. Miscell. E-

Nam vocat hunc ſupplex in ſua vota Deum.
Perge laborantes ſtimulis agitare juvencos,
Et manibus pigras diſce juvare rotas.
Tunc quoque congreſſum majoraque viribus auſum
Fas

rudit. antiq. Sect. II. art. 10. pag. 50. Com. de Malvaſia in monum. Felſineis pag. 434.

CUR. FAN. HERC. VICT. PONTIFICI.

perite, ut ſolet, imitatus hoc Iſcanus de bello Trojano II. 130 ubi poſt decantatos Herculis labores hoc addit

Nec ſolum tibi ſe tellus, ſed ſidera debent,
Victor eras, & victor eris. Da, maxime, felix
Auſpicium, laetum tribuas nubentibus omen.

male nunc legitur *Vector eras*, & *vector eris*, quod & vidit Doctiſſimus Dreſemius, inſpice porro Broukhuſ. ad Propert IV. 90. 20. peſſime Cortianus tertius hoc loco *Corrector* pro *cum rector*, vel potius *cum victor*.

Inſit] *Inquit* Cort. 2. quod nolim.

Nam vocat hunc ſupplex in ſua vota Deum] Non unam ſane ob cauſſam hunc prae ceteris Diis ſollicitat ruſticus; fuit enim Hercules inter Deos σωτῆρας, hinc παραστάτης cognominatus, vid. Pauſan. in Eliac. V. 9. & VI. 23. Mamertinus in Panegyrico ſeu Genethliaco Maximiani Auguſti de Hercule. *Perpetuus eſt virtutis adſertor, omniumque fortium virorum laboribus favet, in omni certamine cona us adjuvat juſtiores.* an ob id *Hercules ponderum* eſt dictus in monumento, quod exhibet Spon. Miſcel pag. 100 Fabret. Inſcr. pag. 527. Illuſtris Comes de Malvaſ. monum. Felſin. pag. 455. conſulant alii. porro res ruſtica fuit in Herculis tutela, ut ſcribit Scholiaſtes Horatii Serm. II. 6. 13. & tandem καὶ τέλβυς ἐκτέμιων ἀβάτοις ὄρεσι, καὶ τὰ ἄλλα μηχανώμενος, ὡς ἅπασα γῆ καὶ θάλαττα κοινὴ ταῖς ἁπάντων χρείαις γένοιτο. *Vias aperuit in difficilibus adſcenſu montibus, nihil non molitus, ut mare ac terra quam latiſſime paterent uſibus cunctorum mortalium.* Dionyſ. Halicarnaſſ. Antiq. Rom. lib. I. quae & cauſſa eſt, cur inter Deos viales recenſeatur. vid. Cl. Otto de Diis Vialibus c. 8. Cortianus tertius *non vacat* pro *nam vocat* legit, ſed eum nil moror.

Perge laborantes] Solus Batavus *Surge*. credo, ſuſpectum fuit *Perge*, quia ire nondum coeperat ruſticus. Sed crebro apud Terentium alioſque notat iter aut aliud quid incipere ut perficias, ut Terent. Phorm. I. 2. 62. *Poſtridie ad anum recta pergit.* Imo Paullus in Excerptis Feſti *pergite*, *agite* exponit. Atque ita infra fab. XXXVII. II.

Perge igitur noſtris tua ſubdere colla catenis.

gloſſae veteres *perge*, βάδιζε, *pergit*, σπεύδει. *laborantes* id eſt periclitantes. Phaedrus I. 30. I.

Humiles laborant ubi potentes diſſident.

Juvare] Haec plurimorum eſt ſcriptura, non male tamen P. *levare*, nec ſenſu caret quod Cort. 2. *movere.* videtur reſpexiſſe fabulam & παροιμίαν Graecam AEſ. CCL. Σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. *Cum Minerva & manus move.*

Tunc quoque] Recentiſſima Lugdunenſis Editio habet,

Tunc

Fas superos animis conciliare tuis.

Disce tamen pigris non flecti Numina votis,
Praesentesque adhibe, cum facis ipse, Deos.

Tunc quoque congressum majoraque viribus ausum
Fas superos animis conciliare tuis.

haud quaquam inepte. NEVELETUS. Non Lugdunensi duntaxat haec lectio potior est visa, sed & Geneventi ac Batavo, eamque addicunt C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 1. 2. quam equidem edere non sum veritus, posthabitis ceteris MSS. atque editionibus, in quibus ita

Tunc quoque congressus, majoraque viribus ausus,
Fac superos animis conciliare tuis.

Voss. 3. pro *Fas superos*, legit *nos superos*. deterrime; ita tamen ut τὸ *nos* ex *fas* potius, quam *fac* corruptum videatur.

Disce tamen] Fabula Graeca Ναυαγὸς ejusdem cum hac sententiae est, ad quam vide quae dixi. NEVELETUS. Ea est fabula AEsopi CCL. ubi mutilum hunc Suidae locum sic sarcit in αὐτὸς, αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα τοὺς θεοὺς κάλει. παροιμία ὁμοία τῇ, σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει.

Pigris non flecti numina votis] Cort. 2. *Votis non flecti numina pigris*. alterum melius.

Cum facis] Ex usu praestantissimorum scriptorum eleganter hic *facis* dixit. *facere* enim notat non desidem esse, manu rem gerere. re ipsa ostendere quid valeas. Cic. pro Mil. c. IV. *Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit*. Sall. Cat. III. *Et qui fecere, & qui facta aliorum scripsere, multi laudantur*. Scribere namque & literis operam dare *otium* dicebatur. Quintil. in Praefat. Inst. *Facere enim optima, quam promittere maluerunt*. Similiter in Senario Graeco Ἀυτός τι νῦν δρῶν &c.

FABULA XXXIII.

Anser & Rusticus.

Anser erat cuidam pretioso germine foeta,

Ova-

Anser erat cuidam] *Anser erat quondam* P. G. 3. Ed. ant. in Cort. 2. a manu secunda erat, *quondam*: a prima *quidam*. vid. supra ad fab. VII. 1.

Pretioso germine] *Pretiosa* Cort. 2. & 3. *generoso* Ed. ant. illud manifeste corruptum. *Germen*, ut est in excerptis Pauli, *quod ex arborum surculis nascitur*, Sed & porro notat, quod ex quacunque re prognascitur. pro filio aut genere. Claud. de nupt. Honor. & Mar. vs. 39.

O patrui germen, cui nominis heres
Successi.

Rapt. Proserp. II. 76. Prudentius Cathem. X. 32. Apotheos. 250. & 1070. Nemesian. Cyneg. I. 153. de

Ovaque quae nidis aurea saepe daret.
Fixerat hanc volucri legem Natura superbae,
Ne

de catulis canis,

Nam postquam conclusa videt sua germina flammis.

Claud. epist. ad Serenam margaritas appellat

rubri germina cara maris.

& cornua de rapt. Proserp. I. 129. *germina frontis.* ubi tamen Santgallensis Codex legit *cornua.* ex his apparet non inepte Nostrum dixisse *ovum germen.* Ceterum argentum inventum in Anseris visceribus tradit Martial. IX. epigr. 32. sed id nihil ad hanc fabulam.

Foeta] Haec constans scriptorum omnium atque impressorum scriptura est, sed soloecismum, credo, hunc evitare voluit Batavus editor, & propterea is unus, *foetus* exhibet: Verum nil opus hoc auxilio: tu vide quae de constructione Epicoenorum monuit Voss. de Analog. I. c. 16. Sanctius in Minerv. I. c. 7. & IV. c. 4 nonnihil & nobis supra dictum ad fab. II. & si licuit Virgilio *bubonem solam* dicere, referendo ad avem eodem modo, quo quis dicat *bona turdus*, ut doctissimus Grammaticorum Servius scribit ad AEn. IV. 462. qui minus licuit *anserem foetam* dicere Aviano? in qua locutione non modo *avis*, sed & *femina* intelligitur, quam vocem & haud raro additam reperimus, vid. Sanct. Min. pag. 579. & seqq. anne & similiter *thynnos foetas* dixit Plin. IX. 15. qui locus notatus etiam est Vossio, & Lucretius feminine extulit *accipiter*, quod observatum Nonio. Denique non alia ratione *haec lupus* vetustioribus est dicta, de quo Festus in voc. *masculino.* & *hic* & *haec lepus* Priscianus, imo & Horatius Serm. II. 4. 44.

Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.

ut edidit Bentlejus. Spretis quoque Grammaticorum dictatis *timidos damas*, & *caecos talpas* dixit Virg. Ecl. VIII. 28. Georg. I. 183. III. 539. de quo Quintil. Inst. IX. 3. & ne de Aviano dubites, Horatius quoque *anserem albam* dixit, si fides libris vetustioribus optimis, quos laudat Bentlej. Serm. II. 8. 87. adde Voss. l. cit.

Ovaque] *Quae ova* admodum ridicule Ed. ant.

Quae nidis] *Qui nidis* Voss. I. & Batav. Ed.

Daret] *Dabat* P. A. Cort. I. 3. quod edito non deterius. conjiciebam olim *rite daret*, nempe eo ritu ac more, quo alia ova reliquae anseres. Καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν Graecus fabulator fab. XXIV. atque inde *munus* hoc *continuum* mox dicet Noster.

Fixerat hanc volucri legem] *Finxerat* Cort. 2. 3. *Fecerat* Ed. ant. est praeterea unus, qui *Dixerat* habet. sed melius ex more Romanorum in legibus usitato, *fixerat.* notum est illud Virgilii AEn. VI. 622.

fixit leges pretio, atque refixit.

plena manu dabit alia Vir Illustris Nic. Heinsius ad Ovid. I. Metam. 91. Quin ut hic natura, sic Deus ab Apulejo de Mundo pag. 67. edit. Elmenh. *figere leges* dicitur. *Hic caussa animalium nantium atque terrestrium, pennigerarumque cunctarum distinxit genera, species separavit, fixitque leges vivendi, atque moriendi.* atque ita Prudentius *figere sortem,* II. contra Symmach. 481.

Et momenta premit pedibus, quaecunque putantur
Figere propositam natali tempore sortem.

in Cort. 2. est *hac* pro *hanc*, per errorem, sensum habet quod Voss.

Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed Dominus cupidum ſperans vaneſcere votum,
Non tulit exoſas in ſua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Quae tam continuo munere dives erat.
Poſtquam nuda minax egit per viſcera ferrum,

Et

Voſſ. 3. praefert *volucrum:* volucrum enim omnium haec lex eſt naturalis, ſemel, non bis parere quoque die. Sed tamen praeſtat vulgata lectio *volucri ſuperbae.* hic eſt opulentae, & pretioſae, ut *oſtrum ſuperbum* Virgil. I. AEn. 643. vide ſupra fab. XXX. 9.

Ne liceat pariter] *Ut liceat* Cort. 2. per errorem.

Cupidum ſperans vaneſcere] Sperans id eſt *metuens*, quam & ipſam vocem praefert Ed. ant. vid. Savaro ad Sidon. Apollinar. VI. ep. 6. & VII. ep. 7. Duker. ad Flor. III. I. 2. Sed metuo ne aliter ſcripſerit Poëta. Cort. 2. habet *cupidum cupiens vaneſcere*, hinc ſuſpicabar verſus hos duos legendos, diſtinguendoſque hoc modo

Sed dominus longum, cupiens diteſcere, votum
Non tulit: exoſus in ſua lucra moras.

Dominus properans [& ſic forte legendum pro *ſperans*, in C. I. Col. I. eſt *ſpirans*) impatiens fuit votorum longorum, nec tulit ſpem extrahi in multos dies, occupare voluit ova ea, atque ſimul complecti. & ſic optime conveniet fabula Graeca AEſop. CXXXVI. Ο᾽ δὲ ἀθρόον πλοῦτον ἐλπίσας εὑρήσειν. *hic conſtipatas ſperans ſeſe inventurum divitias. votum longum* eſt longinquum. Statius Theb. I. 323.

ſpes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

ubi vid. Barth. ſic *ſpes longa*, de qua multa & egregia Cl. Bentlej. ad Horat. Art. Poët. 272. adde ſupra fab. XXII. 9. de voce *exoſus* dixi ſupra fab. II. 13. pro *vaneſcere*, *evaneſcere* habent Voſſ. 3. Cort. 2. 3. Ed. ant. & *contulit* pro *non tulit* Voſſ. 2.

Volucris de morte referre] *Referret* C. I. Col. I. ſed hoc vitioſum, melius forte *referri.* ſed opus non eſt, pronomen ſaepe omittitur. Virg. AEn. XII. 654.

ſummaſque minatur
Dejecturum arces.

id eſt ſe dejecturum. & 761.

terretque trementes
Exciſurum urbem minitans.

Et tamen cui nec hoc placet, is per me licet legat, quod Voſſ. 3. habet, *volucrem. referre* autem eſt relaturum eſſe. vide ſuperiorem fabulam v. 4. *confidens ferre.* & XXXIX. 2. *voverat dare.*

Quae tam continuo] Ita Voſſ. 2. Cort. 3. atque editiones Lugdun. & Batav. his accedo, ut ad volucrem referatur. Ceteri ſcripti editique *Qui*, ſupple Dominus Anſeris. fuit autem volucris dives ac referta muneribus, quorum quotidie unum dabat domino. pro *tam*, *tamen* edidit Edit. ant. huic ſuffragatur Voſſ. 3. ſed vitioſum eſt.

Nuda] Nota ὑπαλλαγὴν. *nuda viſce-*

Et vacuam solitis foetibus esse videt:
Ingemuit tantae deceptus crimine fraudis.
Nam poenam meritis retulit inde suis.

Sic, qui cuncta Deos uno male tempore poscunt,
Justius his etiam vota diurna negant.

viscera dixit pro nudum ferrum, nisi mavis nuda pro nudata, seu quae nudantur.

Per viscera] *In viscera*, utrumque usitatum veteribus.

Vacuam] *Vacuum* Nevelet. & Ed. Lugdun.

Solitis foetibus] Usque adeo *foetus* notat, quodcunque ex quaque re productum est, ut etiam Poëta, nescio quis, *umbrarum foetus* dixerit. vid. Scalig. Catal. pag. 198.

Umbrarum nullo ver est laetabile foetu.

recte tamen quis versum maculatum arguat. tu vide an hoc placere possit,

Hic florum nullo ver est laetabile foetu.

certe flores tribuuntur veri. Vid. ibid. pag. 160. 161.

Deceptus crimine] *Deceptum* C. 1. Col. 1. *deceptas* Voss. 3. *deceptionis* Ed. ant. sed recte habet lectio vulgata. *Crimen* dicitur, quodcunque malum, periculum, damnum in se continet; talia enim inmerito sibi inferri homines semper censent, (quare & crimina fortunae saepe sunt questi veteres. vid Ovid. Metam. III. 141. Phaedr. II. Epil & III. II.) sic *crimen grandinis*, Ovid. in Nuce 104. Auson. epist. IV. 40. *crimina silvarum* dixit

Sed tu parce feris venatibus, & fuge nota
Crimina silvarum.

&, quod nonnihil huc pertinet, haec silvarum crimina, *montium fraudes* dixit Flor. I. 16. Cort. I. tamen *imagine* legit, quod quid significet hoc loco, necdum extrico.

Nam poenam meritis] Voss. 3. 4. *meritis poenam.* male Cort. 2. *exigit*, & Edit. ant. *detulit*. haec supposita credo, ab iis, qui *re* in *refero* & *retuli* produci recte nescivérunt, de quibus vid. supra ad fab. I. 9. Ed. ant. pro *inde*, *ille*, ut alias saepe. vid. supra fab. XXXI. 4.

Cuncta] Facessant hinc Voss. 1. P. Cort. 1. 3. cum suo *cunque*, quae quotidiana erant dona, ea uno tempore cuncta, id est conjuncta: (ut scribit Ascon. in Divinat. Cic. c. 1. & Festus, sive mavis Paullus) habere studuerat dominus anseris. Pro *Deos*, *dona* supponit Voss. 3. pessime.

Vota diurna] B. L. *vita divina*, quod flocci non est. *vota diurna*, quae quoque die fiunt. ita *acta populi & senatus diurna*, Suet. Caes. c. XX. & in Aug. LXIV. *diurni commentarii*, & *diurna*, quae quotidie praestantur, ut *annua*, *menstrua*. Martial. III. 10.

Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina,
Menstrua, perque omnes praestitit illa dies
Luxuriam premeret cum crastina semper egestas,
Et vitiis essent danda diurna tuis.

imitatus est fabulator Anonymus fab. XII.

Degenerare cibos cura diurna facit.

Negant] *Negat* Voss. 3. male. Cort. 3. insuper hanc gemmulam, si Dis placet, hic inserit

Amittit totum, qui tendit ad omnia votum.

unde intelligimus quemque fere librarium quibuscunque epilogis inquinasse has fabulas, quas si meis auspiciis constituere liceat, caudam hanc omnem hinc absciderem, id est vs. 13. & 14.

Quis-

FABULA XXXIV.

Formica & Cicada.

Quisquis torpentem passus transire juventam,
Nec timuit vitae providus ante suae:
Confectus senio, postquam gravis adfuit aetas,
Heu

Quisquis torpentem passus transire] Palat. *transisse*. NEVELETUS. Idem habent C. 1. 2. Col. 1. 2. Voss. 2. parum refert, utrum praeferas *transire*, an *transisse*. Ut nec, *Si quis* legas, quod ex Cott. 2. est, an *Quisquis*, quod reliqui uno ore omnes confirmant, atque ob id magis probandum. *torquentem* pro *torpentem*, quod habet Voss. 3. manifesto vitio laborat. nec velim *patitur* pro *passus* ex Cort. 3. Quatuor hos priores versus, epilogi vice fungi nemo non videt, quae caussa est, cur ii νοθείας suspicionem mihi praebeant, tametsi dictio in illis tersior est, quam in ceteris epilogis, quare & antiquiores credo.

Vitae providus ante suae] In veteri libro talis est scriptura, ut fine secundi versus non *suae* sed *senem* antiquitus scriptum fuisse suspicari valeamus. *ante senem* itaque sit, ante senilem aetatem, juventute nondum elapsa. BARTHIUS Adversar. L. c. 7. Voss. 1. *vita* pro *vitae*. porro melior vetustorum librorum pars habent *providus ante mala*, ut C. 1. 2. Vossiani 3. Cortiani omnes, nec non Pulmanni duo, hos sequuntur editores Lugdun. Genev. & Batav. hinc suspicor scripsisse Avianum *malae*: est enim *mala vita*, quod *mala aetas*, id est senectus, cujus locutionis exempla multa cumulavit Nonius initio lib. 1. *partem pejorem* dixit Lucret. II. 1130.

Inde minutatim vires & robur adultum
Frangit, & in partem pejorem liquitur aetas.

Ovidius Trist. IV. 8. 33.

Jamque decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitae deteriore meae.

ex Pont. 1. 4. 1.

Jam mihi deterior canis adspergitur aetas.

& contra *meliores anni*, Trist. IV. 10. 93.

Jam mihi canities, pulsis melioribus annis,
Venerat.

Confectus] Errant C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 2. Ovid. Metam. VI. 37.

Mentis inops, longaque venis confecta senecta.

quod non mutandum. Val. Max. V. 1. ext. 1. *Senio jam confectum militem Macedonem*. ita & *confectum annis*, Sallust. Jug. c. XI. & *confectum aetate*, Virg. AEn. IV. 599. *defectum annis*, Phaedrus appellat 1. 21.

Postquam gravis adfuit aetas] *Cum jam gravis opprimit aetas* edidit Batavus, sed destitutus auctoritate vetustorum librorum, certe eorum, quorum mihi usura est data. in 3. tamen L. & Voss. 3. *fuit* repertum est, quod utique ex *adfuit* remansit. Verum optime hunc locum restituit Nic. Heinsius, qui, ut testatur ad Ovid. Rem. Am. 148. Cl. Burman-

Heu frustra alterius saepe rogabit opem.

5 Solibus obreptos hiemi Formica labores
Distulit, & brevibus condidit ante cavis.

Ve-

nus, in ora libri annotavit, *adfluit.* quae vox copiam quandam & multitudinem notat, qualis annorum multitudo requiritur, ut satisfiat τῷ *confectus.* Virg. AEn. II. 796.

Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum.

forte tamen haud male ita versum legas distinguasque,

Confectus senio post, cum gravis adfluit aetas,

sic enim magis adversabitur τῷ *ante* in versu proximo. *Gravis* autem de senectute dicitur, de quo plura ad Festum voc. *Gravastellus.*

Heu! frustra alterius saepe rogabit] Cl. Burmannus l. d. solerter animadvertit esse hunc versum ex imitatione Virgiliana Georg. I. 158.

Heu frustra magnum alterius spectabis acervum.

ex quo versu damnanda Batavi lectio. *Quam frustra alterius.* & Voss. 2. *Ceu.* Voss. 3. *Eu.* sed solet is adspirationes tollere quod porro Vir sagacissimus conjectura, ut videtur, ductus, addit *rogabit* legendum, non *rogavit*, quod editiones omnes occupavit, id confirmatur C. I. 2. Col. I. 2. Cort. I. 2. 3.

Solibus obreptos hiemi] Palatin. & Pulmanni duo MSS. cum Edit. *Solibus ereptos.* NEVELETUS. In veteribus libris, nostro, Pulmannianis, & quos Isacus Nicolaus Neveletus contulit, *Solibus ereptos* clare legitur. Non tamen damnarim vulgatam scripturam, quae eruditior est, quam ut in cerebro librarioli alicujus nasci potuerit. BARTHIUS. Haec excerptorum meorum est varietas: *ereptos* agnoscunt C. I. 2. Col. I. 2. B. L. M. Voss. 4. P. A. Cort. 2. 3. atque id recepit praeter editionem eam, quam Neveletus memorat, Lugdun. & Genev. at vero Batavus hic in alia omnia discedit, dum versum hunc ita extulit,

AEstate in media duros formica labores,
Suscipit.

satis impudenter, nisi ex MSto est haustum, de quo tamen nobis nil constat. in Voss. 3. est *ereptus*, at vero Cort. I. *erectos.* turbatam etiam reperio vocem *hiemi. hiemes* habet Voss. 2 monstrose Voss. 3. *gemi. hieme*, ediderunt Lugdun. & Genev. Quandoquidem autem Pithoeus & Pulmannus *solibus obreptos* ediderunt, hinc levi mutatione ita scribo

Solibus obreptans hiemi formica labores
Distulit.

Solibus, id est, aestate, magnis caloribus. vid. Barth. ad Stat. IV. Thebaid. 831. Virg. Georg. I. 66.

Pulverulenta coquat maturis solibus aestas.

saepe autem hic ablativus tempus significat. Priap. LXXXVI.

Mihi corolla picta vere ponitur.
Mihi rubens arista sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihi glauca duro cocta oliva frigore.

sic *ludis*, id est, cum ludi edebantur. Suet. in Caes. c. XXXIX. adde Cl. Cortium ad Sallust. in Jug. XXX. 4. & XXXVII. 3. Sueton. in Claud. XV. *Absentibus, secundum praesentes dabat*, id est, cum ex litigantibus nonnulli abessent. neque enim hoc barbarum, ut visum olim Gronovio. *Obreptare* est huc illuc reptare, quod proprium

Verum ubi candentes susceperit terra pruinas,
Arvaque sub rigido delituere gelu:
Pigra nimis tantos non aequans corpore nimbos,

In

prium est formicarum. Seneca de Tranquillitate animi cap. XII. *Inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis per arbusta repentibus.* De usu praepositionis *ob* in compositis vide supra fab. XXXI. 1. plura dicemus aliquando alias. *Labores* hic notant res labore quaesitas comparatasque. sic Πόνυς ἀλλοτρίυς ἐσθίειν, *alienos labores comedere* fab. Gr. XXIX. & de formica Τῶν ἑτέρων πόνυς συλλέγει. *aliorum labores colligit.* Virgilius Georg. I. 324.

ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti sata laeta, boumque labores
Diluit.

Adde AEn. II. 305. imitatus Columella de cultu Hortorum

Grandine dilapidans hominumque boumque labores.

& Ausonius in Mosella 305.

Forsan & insignes hominumque operumque labores.

adde vs. 458. & sic pro operibus labore multo constructis Martialis Spectac. I. 1.

Assiduus jactet nec Babylona labor.

& vs. 7.

Omnis Caesareo cedat labor amphitheatro.

& IV. epigr. 38.

Solus Mentoreos habes labores.

Differre hiemi est in hiemem reponere, ut dixit Virgilius Georg. III. 403.

Aut parco sale contingunt hiemique reponunt.

in hiemem congero similiter de formica, Phaedrus IV. 23.

Ego granum in hiemem cum studiose congero.

frustra ergo Batavi hic ediderunt *Suscipit*, & Cort. 2. *Sustulit.* verum *condidit ante* dicit, quia formica haec ex more gentis condiderat labores suos, id est grana aestate legebat, atque edebat hieme. rejicula ergo scriptura P. *condidit ipsa cavis.* inde porro caussa perspicitur, cur primo perfectum, deinde praesens adhibet. vs. 10. ubi *legit*, quod adjicio, nequis & hic Poëtam rusticitatis insimulet. vid. ad fab. XV. 8.

Verum ubi] *Verum tibi* Cort. 3. sed correctum dein alia manu *ubi.* *cadentes* habet Voss. 3. non *candentes*, perperam.

Susceptit terra pruinas] Ita omnes, sed Batav. *concepit.* pruinas autem intellige nives, ut supra XXIX. 1. rectius vero eas, coelo delapsas dicitur terra *suscipere*, quam *concipere.*

Arvaque sub gelido delituere] Melius Palatin. & editio *Arvaque sub rigido.* NEVELETUS. *Rigido* ostendunt C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 3. 4. edit. Lugdun. Genev. Batav. *deriguere gelu* inventum est in Cort. 3. sed in margine *delituere. Diriguere* Lugd. Genev. Batav. sed edita malo, ne idem bis dicatur, ut *diriguere rigido*, aut *gelido gelu.* tametsi enim haud me praeterit hoc Virg. IX. AEn. 89.

timor anxius angit.

& XII. 638. *voce vocantem.* Priap. 44. *uti veris usibus.* & innumera paene similia, est tamen caussa, cur alterum malim, Ovidius Fast. II. 72.

aut posita sub nive terra latet.

ex Pont. IV. 5. 4.

Tectaque brumali sub nive terra latet.

Venantius Fortun. lib. X. in fin.

Terra jacet crustata gelu sub cortice duro.

Pigra nimis] Non dubito una vo-

In propriis Laribus humida grana legit.
Decolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,

Quae

voce, nova quidem, sed elegantissima scribendum *pigranimis.* animo pigro nec laborare volenti, cum omnino corpus impar sit nimbis extra furentibus. laudata haec autem pigritia est, cavere periculum, unde nullum eluceat emolumentum, & cum securitate frui rebus labore suo partis. talia etiam insunt his fabulis, non spernendae eruditionis. BARTHIUS. Ego vero has voces diremtas velim. *nimis* est vehementer, valde. vid. supra fab. I. 5.

Tantos] *Tanto* C. 1. Col. 1. B. L. Voss. 2. 3. Cort. 2. idemque in C. 2. & Col. 2. a manu prima. hoc si verum arbitramur, *tanto* sit tam parvo. Cort. tamen 2. & Voss. 3. etiam *nimbo* habent, quod procul hinc arcendum.

Humida grana, legit] *Humida* intellige non madida plane, sed humore quodam adspersa, ut omnia, quae sub terra latent. nam madefacta imbre, ut scribit Plinius Nat. hist. XI. c. 30. e cavis proferunt formicae, & siccant. adde & Bochart. Hieroz. II. 4. 21. & nisi hoc arridet, per me licet magis arrideat *fumida* legere, id est, antiqua, diu servata, qua ratione *fumosas imagines* dixit Cicero in Pison. c. 1. & Juvenalis Sat. VIII. 8.

Fumosos equitum cum Dictatore magistros.

quas mox *ceras veteres* nominat. congrue Quintilianus Declam. 13. *Volui relinquere avitos lares, & consceos natalium parietes, & ipsam nutriculam casam, & fumosa tecta. legere* quid proprie notet, rectius investigabitur alio loco. Hic autem *grana legere* dicuntur animalia, cum unum granum post aliud sublatum in ingluviem colligunt. Ovid. Metam. V. 484.

avidaeque volucres
Semina jacta legunt.

Hoc addo, ne quis existimet, hic aliud quidpiam significari: siccasse enim formicam hoc frumentum suum fabulatores alii fingunt. vide Niland. fab. antiq. LVI. in qua omnino legendum *frumentum trahens siccabat.*

Decolor] Ita C. 1. Col. 1. a manu prima. porro B. L. M. Pulmanni unus, Voss. 2. 3. 4. atque ita ediderunt Lugdun. Genev. & Batav. Ceteri *Discolor.* quod sensum idoneum respuit. Sed quaeritur cur decolores dixerit cicadas Avianus? an quod colore nigro fuerunt? sic enim Martial. I. 116.

Sed quandam vel nocte nigriorem,
Formica, pice, graculo, cicada.

& dubito, an ita in Plinio distinguendum Nat. Hist. XI. 27. *Cujus cortice rupto circa solstitia evolant, noctu semper, primum: nigrae atque durae.* sed varii generis nec forte unius coloris fuerunt cicadae, tu vide quae de iis AElian. Histor. Animal. X. 44. *Decolor* autem & nigrum notat ut *decolor Indus*, Ovid. art. Amat. III. 130. ubi similiter nonnulli Codd. *discolor* praeferunt. adde Cl. Burm. ad Heroid. I. 4. Sed ita si interpretamur, cur nigra magis aut hoc sensu *decolor* dicitur Cicada, quam formica, quae similiter nigra, ut ex Martiale docuimus? Virg. AEn. IV. 404. de formicis

It nigrum campis agmen.

quod cur non proprie dictum arbitremur, nulla caussa est. magis ergo est, ut decolorem hic macie, at fame deformem acci-

pia-

Quae quondam querulo ruperat arva sono.
Se quoque maturas quum tunderet area messes,
Cantibus aestivos explicuisse dies.
Parvula tunc ridens sic est affata Cicadam,
(Nam

piamus. Prudent. Perist. I. 112.

Quid loquar purgata longis alba morbis corpora?
Algidus cum decoloros horror artus concutit.

Sic *decolor invidia* Hamartag. 286.

dum decolor illum
Inficit invidia.

vid. Nicol. Loens. Miscel. VIII. c. 10. Voss. 3. *hac precibus* pro *hanc precibus.*

Quae quondam] *Cui* Voss. 2. ut significat Cicadam in gratiam formicae cecinisse. videntur & eo respexisse B. L. M in quibus est *Qui*, nam & sic olim Dativum scribebant, ut monui antea ad Praefat. Sed longe malo *Quae quondam*, versus enim hic Poëticam Cicadae periphrasin habet. Imitatus est Virgilium Georg III. 328.

Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae.

Voss. 3. iterum male *aura* pro *arva.*

Se quoque maturas quum tunderet area messes] Mirum est in re certa, tam incertam esse librariorum fidem manumque. *Sic quoque* Cott. 3 sed a manu secunda *se quoque*, id quod unice valet; ostendit enim Cicada, se similiter, ac formicam sedulam & laboriosam fuisse. intelligitur autem hic *ait*, de qua ellipsi dudum monuimus. Porro pro *maturas*, *naturas* Voss. 3. ut solet corrupte. *tenderet* Cott. 2 *tonderet* Cott. 3. Sed Virgilius auctor Georg. III. 133.

Cum graviter tunsis gemit area frugibus.

ad quem locum recte Servius, *hac periphrasi medium diem significari notat.* recte ergo Aphthonius, qui solet nostrum imitari, fab. I. θέρους ἦν ἀκμή. Nam, quod Apulejus tradit Floridor. II. *Natura cicadis meridianum cantum commodavit.* Alibi dixit *terere* Virgilius Georg. I. 192.

Nequicquam pingues palea teret area culmos.

ubi inepte Servius, modo is auctor, *area in area.*
& 298.

Et medio tostas aestu terit area fruges.

Sic & Tibullus I. 5. 22. & Horat. Serm. I. I. 45. aliter vero tundendo, aliter terendo, id est tribula excutiebatur frumentum. De illo modo vid. Homerus Iliad. Y. in fine. De hoc Servius ad Virgil. Georg. I. 164. de utroque Columella de Re Rust. II. 21. ad extremum pro *area*, *aurea* legunt B. L.

Cantibus aestivos explicuisse dies] Venuste dictum pro sublevasse taedia longa laboresque dierum aestivorum. Ovid. Trist. IV. I. 5.

Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cum grave mollit opus.

explicare est ab incommodis & difficultatibus expedire. pro *cantibus* in Voss. 2. est *dantibus* vitiose.

Parvula] Sic Horatius Serm. I. I. 33.

Par-

(Nam vitam pariter continuare solent.)
En quoniam summo substantia parta labore est,
Frigoribus mediis otia longa traho.
At tibi saltandi nunc ultima tempora restant,
Cantibus est quoniam vita peracta prior.

Parvula nam exemplo magni formica laboris.

Nam vitam pariter] Significat, formicam & cicadam hieme non intermori, ut alia insecta, sed vitam continuare in aestatem. Cort. 3. *solet*, & sic ad formicam referetur. & tamen integra omnia in hoc versu affirmare non ausim.

En, quoniam summo] Vocula *En* eruta ex C. 2. Col. 2. longe mihi pulchrior visa est hoc loco quam *mi*, quod ceteri fere omnes habent scripti, & editi. Voss. 3. *Mihi quoniam*, sic satis bene ex sententia Gifanii, qui in indice Lucretii *mihi* scribendum, tametsi id in dimetiendo versu in *mi* formetur. quod mihi non persuadet, certe antiqua monumenta *mi* scriptum exhibent. Grut. DCCCCLXXXV. 4.

ROGO. TE. MI. VIATOR. NOLI. MI. NOCERE.

non refero huc DCCLXVI. 3. quae inscriptio barbara multa habet. Cort. 3. legit

Num mihi de summo.

Batavus longe aliter hunc versum edidit,

Mi quoniam summo vita omnis parta labore est.

videtur ille fugisse vocem *substantia* pro fortunis aut bonis: sed quae caussa est fugisse? Jurisconsultis crebro usurpata haec vox. locorum ingentem multitudinem suppeditat Brisson. de Verb. Sign. plerique autem Jurisconsultorum illorum saeculo Antoninorum floruerunt, & Aviano aequales fuerunt. sic & in inscr. apud Grut. CCCLXVII. 5.

QUI UNIVERSAM SUBSTANTIAM SUAM AD REM PUB. PERTINERE VOLUIT.

Festus, an Paulus, *Bona, id est substantia rerum.*

Saltandi] *Saltanti* Cort. 2. sed *saltandi* supra adpictum. videntur & illud spectasse B. L. M. in quibus nunc *saltant*. idemque probatum est Lugdun. Genev. editoribus, nec non Neveleto, in qua tamen scriptura nihil salis est. satis autem falsa est haec sententia. Tu, quae laetitiis indulgere soles, quae cantando & saltando vigent, cum dudum cantaveris, saltare nunc saltem oportet. quid autem saltaret misera, vix prae fame ac macie membra trahens. idem arguunt Graecae fabulae ut AES. CXXXIV. Εἰ θέρους ἄρτι ηὔλεις, χειμῶνος ὀρχοῦ. *Si aetate modulabaris, hieme salta.* & Gabr. XII. & fabulae a Nilantio editae ant. LVI. & Romul. XLV. in Voss. 3. est *saltali* corrupte.

Cantibus est quoniam] Hic versus abest a B. & L. pro *cantibus* legit *pastibus* Voss. 2. male.

FABULA XXXV.
Simia & Nati.

Fama est, quod geminum profundens Simia natum
Dividit in varias pignora bina vices.
Nam-

Fama est] Vide Notas ad fabulam Graecam πίθηκος, ubi plura. NEVELETUS. Fabulam, ut puto, respicit 271. AEsopiam. ad quam tamen nil, praeter Plinii verba citat ex lib. VIII. c. 54. quae parum huc faciunt. paulo aliter de diverso hoc simiarum in partus affectu Oppian. Κυνηγ. II. 608.

Κεῖνοι καὶ φίλα τέκνα δυσειδέα δοιὰ τεκόντες
Ουκ ἀμφοῖν ἀταλάντον. ἐὴν μεείσαντο ποθητὸν:
Ἀλλὰ τὸ μὲν φιλέουσι, τὸ δ' ἐχθαίρουσι πόθοισιν.
Αυταῖς δ' ἀγκαλίδεσσιν ἑὰν ἔκτεινε τοκήων.

Illae etiam caros catulos turpes geminos enixae,
Non ambobus aequaliter suum partiuntur amorem,
Sed alterum quidem amant, alterum vero oderunt amoribus,
In ipsisque ulnis suarum interficit matrum.

possis hunc in concordiam redigere cum Aviano, si versum 610. ita legas & distinguas

Ἀλλὰ τὸ μὲν φιλέουσι, τὸ δ' ἐχθαίρουσι. πόθησις
Αυταῖς δ'.

certe cum nostro consentit Solin. c. XXVII. in fin. *Immoderate foetus amant, adeo ut catulos facilius amittant, quos impendio diligunt & ante se gestant, quoniam neglecti pone matrem semper haerent.* anne vox *catulos* redundat? lego *caros*, nisi *complexu* mavis ex Plinio lib. VIII. 84. cetera ita sunt distinguenda *facilius amittant. Quos impendio diligunt, & id est etiam ante se gestant.* Corrupti sunt Cort. 1. & 3. ille habet *Fama quod est.* hic *Fama quid est.*

Profundens simia partum] Hanc scripturam tuentur scripti & editi omnes, Batavus solus *producens*, credo quod prima in *profundens* corripi sciret, id quod verum est. possit tamen videri etiam producta fuisse nonnullis, praesertim illis, quibus ratio Ciceronis probata fuit, quam exposuit Gellius Noct. Attic. II. c. 17. forte a Grammatistis corruptior hic versus est, quam ut commode integritati restitui queat. Nos hic lampada alii tradidimus. nisi quis probet *cum fundit*; certe insane in participia mutarunt ubique verba Librarii. *fundere, effundere, profundere* proprium est brutis ob facilitatem partus, ut ait Servius ad Virg. AEn. VIII. 139. addo & ob numerosum plerorumque foetum. adde Cl. Burmannum in novissima editione Phaedri III. 15. 5.

Dividit in varias vices] *Vices* sunt hae, quod illum amat, hunc odit. In Voss. 2. est *Dividat*, cui accedunt C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. idque editum Pulmanno ex codice suo Neomagensi. idem videtur innuere Cort. 2. dum legit, *Diludat & varias.* nobis etiam *Dividat* omnino non improbatur.

Pignora nata] *Pignora cara* Cort.

Namque unum caro genitrix educit amore,
Alteriusque odiis exsaturata tumet.
Coeperit ut foetam gravior terrere tumultus,
Dissimili natos conditione rapit.
Dilectum manibus vel pectore gestat amico,
Con-

Cort. I. 3. L. sed alterutrum tantum carum est. non male Lugdun. Genev. Batav. *pignora bina*. *pignera nata* testatur Marmor Gruter. DCCCVII. 12.

CUM PIGNERIBUS DE EA
NATIS LOCUM
CONSECRAVIT.

eo lubentius produxi hunc lapidem, quia ex eo veterum orthographia in hac voce apparet. Vetustiores autem per *e* scripsisse, posteriores per *o* ex monumentis sibi probasse est visus Manutius de Orthogr. reperit & *e* in antiquis Codicibus Casaubonus, quem consule ad Suet. in Aug. XXI. frustra sunt Grammatici, qui *pignora* & *pignera* sensu discrepare scribunt.

Namque unum caro] Prave haec turbavit Cort. 3. *unum namque caro*.

Genitrix educit] *Genetrix* B. vid. supra fab. III. 3. *educit* probant C. I. 2. Col. I. 2. M. B. Cort. 2. Edit. Lugdun. Genev. Batav. Ceterae *eduxit*. *Educet* Voss. 3. *produxit* A. *dilexit*. Cort. 3.

Alteriusque] *Que* addunt Cort. omnes, atque ita ediderunt Lugdun. Genev. & Batav. resecant ceteri, & ob caesuram producunt syllabam extremam.

Odiis exsaturata tumet] Vulgo inepte *exsaturata*. vix ait satiari odio in alterum potest, adeo penitus inimico in eum est animo & irreconciliabili. BARTH. Adverss. L. 7. Nequaquam male. dubito tamen an *insaturata* scripserit Avienus. Phaen. 182.

postquam ille novercae
Insaturatae odiis serpens.

& prognost. 510.

Namque & ovis cupido si gramina tondeat ore
Insaturata cibi, decerpens latius agros.

exturata legitur corrupte in B. L. valet tamen etiam *exsaturata*, id est plena. *consaturata* Edit. ant. quae & *timet* habet, pro *tumet*, quod nullo modo placere potest. *bodit* pro *odiis* Voss. 3.

Coeperit ut foetam] Sic Virg. Georg. III. [176.]

nec tibi foetae
More patrum niveae implebunt mulctralia vaccae.

Ubi Julius Philargyrus interpres optimus, *Foetae nostro more: neque enim mulgeri, nisi enixae possunt. Antiqui autem foetum pro gravido solent ponere. ut Varro Aticinus, Foeta feris Librae. & ipse Virgilius* [AEn. II. 238.]

scandit fatalis machina muros
Foeta armis.

BARTHIUS. adde Serv. ad Virg. AEn. I. 55. & VIII. 630. & Non. recte autem *foeta* dicitur, quam diu lactat mater, non etiam cum depulit foetus. dicemus alias forte plura. de Orthographia vocis in alia omnia eunt Manutius in Orthogr. & Pier. ad Virg. I. ecl. 22. quem tuetur Dausq. Ceterum discrepant hic Codd. antiqui: *Coeperat ut foetam* habent Cort. I. 2. 3. P. A. Ed. ant. *Coeperit hunc etiam graviter* Ed. ant. Batavus edidit *Ac matrem ut coepit*. legendum suspicor, *Coepit & ut foetam*.

Terrere tumultus] Cort. 3. *terrore tumultum* Voss. 3. mendose.

Dilectum] *Nam carum* Batav. nil

Contemtum dorso suscipiente levat.
Sed cum lassatis nequeat consistere plantis,
Oppositum fugiens sponte remittit onus.

Al-

nil muto.

Manibus vel pectore] *Vel* hic & notat; vid. Barth. ad Rutil. I. 40. Weitz. ad Pervigil. Ven. 51. quin & hic exhibent Cort. 3. & Ed. ant. nequaquam male Cort. I. *sub pectore*, quod A. mutavit in *sibi pectore*. Statius Silv. II. I. 82.

Amplexusque sinu tulit.

Soliti & homines dilectiores filios in sinu gestare & fovere, Virg. AEn. XI. 539.

Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus, cum excederet urbe;
Infantem, fugiens media inter proelia belli,
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillae, mutata parte, Camillam.
Ipse sinu prae se portans, juga longa petebat
Solorum nemorum.

Horatius II. 18. 26.

Pellitur paternos
In sinu ferens Deos
Et uxor & vir sordidosque natos.

Ovid. II. Fast. 469.

Utque sinu natum tenuit.

III. 218.

Inque sinu natos, pignora cara, ferunt.

Suet. Claud. c.XXVII. *Britannicum vigesimo imperii die, inque secundo consulatu natum sibi parvulum etiam tum, & militibus pro concione manibus suis gestans, & plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens adsidue, commendabat.* adde Heins. ad Claudian. Bello Gildon. 394. Prudent Perist. XIV. 827.

Natum gerebat mater amplexu & sinu,
Ut primum crederes foetum geri
Deo offerendum.

hinc exponendum Terentii dictum Adelph. IV. 5. 75.

Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est?

Graecis dicitur ἐν κόλπῳ εἶναι. vid. Elsnerus ad Joh. I. 18. *Manus* autem priores simiae pedes dicit, ut Plin. N. H. XI. 44. *In manibus ungues, digitos, longioremque medium.* de Proboscide aut rostro elephanti Idem Plin. IX. c. 15. & Cic. de Nat. Deor. II. c 47. *Manus etiam data elephantis.* rationem reddit Oppian. Κυνηγ. II. 523.

Gestat amico] Perperam Voss. 3. *gesta*. Ed. ant. *amato*.

Contemtum] Prave L. *coeptum*. B. *concoeptum*. Voss. 3. *conteptum*. qui & pessime *levant* pro *levat*.

Nequeat] *Nequiit* Batav. corrigo *nequit hinc*: id est ex duplici illo onere, ante & post premente: *plantas* intellige posteriores pedes, in quos erigitur simia, dum fugitura prioribus duobus simiolum complexa tenet. glossae *planta*, σφυρὸν, πτέρνα. *plantis* deest in B.

Oppositum fugiens] Sic tantum non omnes scripti & editi, solus Batavus *oppositum &*. Si quid hujusmodi inventum fuit in Codice antiquo, malim *Oppositum heu*. Illustr. Nic. Heins. ad Ovid. Heroid. IX. 60. conjicit *appositum*, quod ipsum confirmat Cort. 3. sed non est, cur lectionem vulgatam rejiciamus. *Oppositus* simiolus est in pectore seu ex adverso positus, & dicitur oppositus ratione alterius, qui tergo impositus haerebat. si enim non additur, cui rei quid oppositum sit; fronti, pectori atque ex anteriore parte oppositum intelli-

 gitur

Alter at hirsuto circumdans brachia collo
Haeret, & invita cum genitrice fugit..
Mox

gitur. atque inde semper *manum opponere oculis*, *fronti* &c. Ovid. Fast. VI. 614.

Dicitur hoc oculis opposuisse manus.

sic Petron. 132. hoc aliter dicimus *ante oculos*, *ob oculos*, *ad oculos*. Virgilius Georg. III. 373.

Sed frustra oppositum trudentes pectore montem.

Sponte remittit onus] *Remisit* habet Palat. & Editio Ulmensis, a quibus stant Pulm. duo, qui *remittit* habent. NEVELETUS. Neveletus ut & Pulmannus ex Neomagensi Codice *relinquit* edidit. mihi tamen impensius placet *remittit*, tametsi aliter visum Heinsio ad Ovidium l. d. qui *remisit* probat. Et sane ubique in hac fabula praesentia tempora malo, quam perfecta. narratur enim in ea non quod factum fuit, sed quod fit. Et si verum volumus, non ficta haec est narratio, sed vera fabula, quales complures fictis interserit Phaedrus. *remisit* tamen vindicant B. M. Voss. 3. Cort. 3. Eadem scripturae diversitas ambigua fecit Pomponii Melae verba de Situ orbis lib. III. c. 5. n. 71. ubi de equite tigridum catulos avehente. *Quod ubi ille interceptos earum catulos citus coepit avehere rabiem appropinquantium frustraturus, astu unum de pluribus omisit. hae projectum excipiunt.* sed aut *omittit* hic legendum, aut levissima Gronovii emendatio probanda. Plinius quidem Nat. Hist. VIII. 18. qui Vossio teste ex Mela depromsit hanc historiam, praesens *abjicit* in ea probat.

Alter at hirsuto circumdans] Nova lectione Editio Lugdunensis

Hirsutis alter innectens brachia collis.

NEVELETUS. Lugdunensem secura est Genevensis, at vero Editores Batavi

Innectens alter materno brachia collo.

& sane magis sese mihi probat, tametsi reclamant scripti omnes, *innectens*, quae vox majorem curam & sollicitudinem, utpote summam, ut in tanto periculo, infert. Nec absterret me Cl. Viri sententia, censentis in notis ad Horatium epod. XVII. 72. Latine non dici, *innectere brachia collo*, sed dicendum, *innectere collum brachiis*; primo namque, non solvit is nodos, qui remorantur, sed secat. Deinde tametsi forte aliis in locis non recte dicatur, *innectere manus alicui rei*, in hoc tamen versu commodissime sic dici arbitror, quia addit *hirsuto*; pilis enim his innexuit atque implicuit manus digitosque simiolus. neque enim hic tantum nexu cingere notat, ut supra fab. VII. 9. tametsi id significare visum est glossulatori, qui ejus loco *circumdans* substituit, quod nunc in pluribus libris editionibusque legitur. scripsisse autem Avianum puto

Alter at hirsutis innectens brachia collis.

Vossianus autem secundus, tertius, quartus, nec non Cortiani omnes, ut & P. N. A. atque Editio Antiqua *ab hirsuto*, eodem loquendi genere, quo supra fab. XXXI. 2.

Ausus ab exiguo laedere dente bovem.

τὸ *at* autem hic vim habet. alter abjicitur, at alter haeret. Ceterum *circumdare brachia collo* satis usitatum. Ovidius Metam. IX. 458.

Quod sua fraterno circumdat brachia collo.

in Voss. 3. est *collos*. satis inepte.

Haeret] Edit. Lugdun. & Gener.

Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris,
Servatus vetulis unicus heres avis.

Sic

nev. *Haesit.* sed dixi supra me odisse in hac fabula illud tempus.

Et invita] Deletur & a Voss. 3. *inventa* B. L. *invento* M. male.

Genitrice] *Genetrice* B. L. *genitore* Cort. 3. perperam.

Dilecti] *Dilectis* Voss. 3. pessime, ut solet.

Succedit] Sic recte plerique scripti, nam solus Cort. 3. *successit*, quod exhibent edit. Lugd. Genev. & Batav. a quibus me dissentire jam supra sum professus.

Servatus vetulis] Errat Edit. ant. dum *vetulus* legit. Batavus ita versum edit

Servatus vetulis gloria solus avis.

ut Tibul. II. 1. 34.

Et magna intonsis gloria victor avis.

Albinov. ad Liviam. 366.

Et qua natus eras gloria summa Domus.

Si MSS. variarent, legere ausim.

Servatus, vetulis unica cura tatis.

Auson. eidyl. IV. 19.

pappos, aviasque trementes
Anteferunt patribus seri, nova cura, nepotes.

de *tata* vide Scal. in Auson. lect. 1. 29. vox occurrit & in titulis antiquis crebro, Fabrettus Inscr. pag. 141. & seq. Sed Batavum credo mutasse omnium librorum scripturam, quod contra Grammaticorum regulas correptam videret alteram syllabam in *heres*, quae tamen consuetudo communis inter plerosque, qui Aviani saeculo vixerunt. Hi namque terminationes omnes in *es* corripere sunt soliti. Prud. Perist. XI. 189.

Mane salutatum concurritur: omnis adorat
Pubes: eunt, redeunt, solis ad usque obitum.

Hamartag. 250.

Machina si terris lues incentiva fatigat.

Psychom. 508.

Cuspis avaritiae: stupuit lues improba, castis.

vid. Victorin. de rat. metror. pag. 1970. maluit tamen Heinsius haec in *is* edere, quare vide Voss. de Art. Gram. II. 35. Gifan. Indic. Lucret. voc. *versus is terminata.* Voss. 3. *haerens* habet, sed eum nil moror. possit vera videri Voss. 2. scriptura *haeret.* sic namque dilecti dilectis haerere dicuntur, Horat. 1. Od. 32. 10.

Liberum & Musas Veneremque, & illi
Semper haerentem puerum canebat.

Claud. Stilic. III. praef.

Haerebat doctus lateri, castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

ante dixerat

Semper erat vatum maxima cura duci.

haerere atque *inhaerere pectori* ad amorem referuntur. vid. Ovid. Art. am. III. 543. & 561. I. Trist. 6. 3. IV. 4. 63. atque ita *haerere* dicuntur, qui amore capti, voluptate delibuti aegre avelluntur. Prudent. Hamart. 740.

Sodomisque suis revocabilis haesit.

& contra Symmach. I. 172.

Sed Venus augusto de sanguine femina, vili
Privatoque viro vetitum per dedecus haesit.

Suet. Aug. c. LXXI. *Circa libidines haesit.* Capitolin. in Pertinac. c. XIII. *Ipse praeterea Cornificiae infamissime dicitur adhaesisse.* Marm. Felsin. pag. 509.

Sic multos neglecta juvant, atque ordine verso,
Spes humilis rursus in meliora refert.

UXORI DE SE BENE MERENTI IN PROSPERIS SIBI ATQUE ADVERSIS ADHERENTI. *avos*, seu tatas, *vetulos* dixit venuste de simiis, habet enim vox nescio quid contemti & ridiculi. Pers. sat. I. 22.

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas.

ubi vide omnino Scholiastem. Prudent. Hamartag. 283.

cernas mollescere cultu
Heroas vetulos.

sic *veteres senes* Tibul. I. 9. 50. ubi vid. Broukh.

Neglecta juvant] *Hoc lecte* B. L. corrupte. nec melius mox *ordine versa* Cort. 3.

In meliora refert] *Ad meliora* Ed. Lugdun. Genev. & Batav. quod idem est. scriptos tamen probo. *in meliora cupit*, Cort. 2. *ducit*, Ed. ant. corruptissime. *Referre* est reponere, vicissim ferre. dicemus alias.

FABULA XXXVI.

Vitulus & Bos.

Pulcher & intacta Vitulus cervice resultans
Scindentem assidue viderat arva Bovem.
Non, pudet, Heus, inquit, longaevo vincula collo
Ferre, nec expositis otia nosse jugis?
Cum

Pulcher] *Pulchraque* Edit. Lugd. sed error manifestus.

Intacta] Id est nunquam domita aut jugo subdita, ut exponit Macrob. Saturn. VI. c. 5. qui istiusmodi victimas *injuges* dictas scribit. adde Gebhard. crepund. II. c. 17. recte ergo Palatinae membranae ἀγύμναστον juvencum seu vitulum hunc dixerunt. vid. Nevelet. ad AEsop. fab. CLXXVII. ex hoc Aviani loco corroboratur scriptura Virgilii Georg. IV. 540.

Et intacta totidem cervice juvencus.

ubi nonnulli Codices, ut Pierius testatur, *intactas* legunt. adde vs. 551. de cervice vid. supra XXXI. 5. *intacta* citat Servius & Macrob d. l.

Viderat] *Vidit ut* Batav. sed optime *viderat*, sic supra XXVI. 1. erratum graviter in Cort. 3. in quo *arma* pro *arva*.

Non pudet] *Putet* Voss. 3. *pudes* Cort. 3. forte *non piget*; βοῦν ἐταλάνιζεν ἐργαζόμενον fabula Graeca.

Heus] Delet Voss. 3.

Nec expositis] Nota genuinam verbi *exponere* significationem, pro ex collo deponere: eandem vim praepositio in hac voce retinet

Cum mihi subjectas pateat discursus in herbas
 Et nemorum liceat rursus opaca sequi.
At senior nullam verbis compulsus in iram,
 Vertebat solitam vomere fessus humum.
Donec deposito per prata liceret aratro,
 Molliter herboso procubuisse toro.
Mox vitulum sacris innexum respicit aris
Ad-

net cum *expositi* dicuntur, qui ex nave in terra ponuntur. sic contra *imponi* dicitur *jugum* passim; attamen in B. L. est *nunc positis*, & est qui pro *nec*, *non* habet, verum neque hoc neque illud versus ratio fert.

Otia nosse jugis] *Otia ferre jugis* C. 2. Col. 2. error ortus ex τῷ *ferre*, quod praecedit.

Pateat] *Pateant* B. L. sed sic *discursus* erit pluralis, quem hic metrum non fert.

Et nemorum liceat rursus] *Rursus* hic notat vicissim, contra: tamen C. 1. & Col. 2. *sursus*, ut opponatur herbis subjectis seu pratis; prata autem in locis depressioribus, nemora altioribus, reperiuntur. est tamen cur praeferam *rursus*. Maculate Voss. 3. *morum* pro *nemorum*.

At senior] Vid. supra fab. VII. 13.

Vertebat solitam] *Certabat* male Voss. 2.

Solitam] *Solidam* Voss. 3. 4. Cort. 1. non probo. nescio an mox pro *fessus* melius legatur *suetus*.

Molliter herboso procubuisse] *Mollitur* Voss. 3. pessime. neque melius Cort. 3. *herbosa*. *procubuisse* hoc optime, ut de bove fatigato. Ovid. Metam. III. 413.

& studio venandi lassus & aestu
Procubuit.

Virg. VIII. 29.

AEneas tristi turbatus pectore bello
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.

IX. 189.

somno vinoque sepulti
Procubuere.

expressitque in his iterum Virgilium ecl. VIII. 85.

cum fessa juvencum
Per nemora, atque altos quaerendo bucula lucos,
Propter aquae rivum, viridi procumbit in ulva.

Georg. III. 466.

aut medio procumbere campo
Pascentem.

neque etiam id quod supra dixit fab. XXIV. 6. leonem procubuisse, id est victum animam exspirasse ab illo Poëta alienum est. AEn. V. 481.

Exanimisque tremens procumbit humi bos.

XI. 418.

Procubuit moriens & humum simul ore momordit.

Mox vitulum] Variam expositionem hi duo versus recipiunt, quae potissimum pendet ab emendatione, vitiatum enim aliquid in iis esse dubitandum non est. Vidit id Neveletus, sed opem nullam fert & forte quam tulit, subtraxerunt nobis typothetae: verba ejus mutila sunt, quae nunc leguntur ita: *admotum cultro* hujus loci variantes lectiones adferre operae pretium non est, locum hunc distinctione posse arbitror & mutatione vocis. Hactenus Neveletus. Scriptura librorum haec est, *respicit*, *conspi-*

Admotum cultro comminus ire prope.

Hane

cit Voss. 3. 4. Cort. 3. edit. Bat. parum refert utro modo legas. elegantius tamen illud videtur. Bos molliter recubans, dum respicit, en tibi vitulum irrisorem ante, ad aram nunc moriturum & maestum. quare & pro *innexum* forte legendum *en nexum*. *Admotum*, *admoto* P. *admotum* & Bat. *cultro*, *cultrum* Voss. 3.

Ire prope:] Ita fere omnes, attamen Cort. 1. 3. & P. *ire videt*, quod accepit edidītque Batav. *ire pavet*. A. variis modis restitui atque exponi possunt hi versus, sed quoniam ea emendatio mihi praestantissima semper videtur, quae proxime recedit a libris antiquis, ita vestigiis eorum inhaerens lego,

Mox vitulum sacris innexum respicit aris,
Admotum & cultro comminus ire popae.

innexum aris notat hic in usum ararum, Juvenalis Sat. XII. 7.

Quippe ferox vitulus templis maturus & arae,
Spargendusque mero.

Innexum accipe, sertis & corollis evinctum in morem victimarum. Sed distinguit Abram. ad Ciceronem pro Milone c. XXIV. inter popam & cultrarium; ut popa sit, qui securi ferit, cultrarius, qui cultro. & sane videtur hoc affirmare Suetonius in Calig. c. XXXII. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit.* Sed cum glossae popam exponant θύτην, apparet latius patuisse hoc vocabulum, & victimarios aliosque sacrificulos esse complexum, quae verior est Torrentii sententia ad Sueton. d. l. quin popas designari existimo ab Ovidio Fast. I. 319. his versibus

Nominis esse potes succinctus causa minister,
Hostia caelitibus quo feriente cadit.

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper Agone? rogas, nec nisi jussus agis.

& IV. 413.

A bove succincti cultros removete ministri.

Propertius IV. 3. 62.

Succinctique calent ad nova lucra popae.

nam sola victimarum percussione defunctos esse hos popas, neque in deglubendis iis, secandisque visceribus operam ullam praestitisse, verisimile non est: Siquidem illi fuerunt, qui ex reliquiis victimarum, sacrorumque aut epulas sacrificantibus instruebant (a πέπτω enim, ut ego existimo, popae nomen habent, unde & *popia* ζωμήρυσις in glossis) domumque suam referebant, atque ex iis fercula in popinis suis venalia proponebant, ad quas popiniones, quas & ἀσώτους vertit glossa bona sua abligurientes, confluebant. Quare & popa dicitur, qui popinam exercet, (unde malim in glossis Philoxeni legere *popam* κάπηλον quam καπηλεῖον) neque vir tantum sed & femina. Hinc lapis antiquus

CRITONIA. Q. L. PHILENIA
POPA. DE. INSULA
Q. CRITONI. Ɔ. L. DASSI
SCALPTORIS. VILARI
SIBI. SUISQUE. POSTER
EOR.

possis tamen & hic popam interpretari ministram sacrorum in ejusmodi sacrificiis, quae virum obire nefas, qualia fuerunt Bonae Deae. At vero insigniter offendit eruditissimus Fabrettus in illustrando hoc marmore pag. 17. Inscr. & pag. 56. Equidem ita expono, *Critonia Quinti liberta Philenia popa de Insula Quinti Critoni, Cajae*, id est uxoris, *Liberti Dassi Sculptoris Vici Larium sibi*

suis-

suisque posterisque eorum. Certe omnes opifices, & qui mercenariam operam praestabant, designabantur aut a vico aut a loco habitationis in vico; ita Fabrettus pag. 621. n. 75. *purpurarius de vico*, nomen vici periit. & *Lanius de colle viminale* pag. 388. Salvini & Gorii Inscript. pag. 137. *Lanario de vico Caesaris.* sic & *Argentarius Nummularius ab Sextis Areis.* Spon. miscell. pag. 238. *Pomarius de circo maximo.* Unde paret errare eos, qui popae cognomen attribuunt Licinio, de quo ita Cicero pro Milone c. XXIV. *Quin etiam fuerit audiendus Popa Licinius, nescio qui, de Circo Maximo.* Vicus autem Larium, de quo in monumento Fabretti, fuit in regione XIV. Urbis Romae. In eodem monumento *Insula*, non insulam Tiberinam denotat, ut male Fabrettus, sed quales fuerunt complures in omnibus urbis vicis, quae dominorum nomine appellabantur, unde *Insula Tullia*, vid. Reines. I. 138. & *domini insularum* Sueton. in Caesar. c. XLI. sed redeo ad Avianum. Non intercedo tamen quo minus versus duo ita legantur,

Mox vitulum sertis innexum conspicit aris
Admotum, & cultro colla ferire popam.

Ovidius Trist. V. 3. 3.

Festaque odoratis innectunt tempora sertis.

ubi etiam nonnulli Codices *sacris* habent, ut hoc loco. Virgilius AEn. VIII. 276.

Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit.

arae admovere solenne est. Virgilius AEn. XII. 171.

admovitque pecus flagrantibus aris.

Germanicus Phaen. in Centauro,

Seu praedam e silvis portat, seu dona propinqua,
Placatura Deos, cultor Jovis admovet aris.

magis probo *propinquos.* Macrobius Saturn. III. 5. *Observatum est a sacrificantibus, ut, si hostia, quae ad aras adduceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri.* Eadem fere habet Philargyrus ad Virgilium Georg. II. 395. Seneca in OEdip. 334.

huc propere admove
Et sparge salsa colla taurorum mola.

Mela III. 2. *Ubi devotos altaribus admovere.* Arnob. pag. 207. Edit. Plantin. *Ex his rebus quae admoventur altaribus.* & sic pag. 214. adde Marcil. ad Pers. Sat. II. in fin. nec minus usitata locutio *colla ferire* Ovidius Fastor. I. 83.

Colla rudes operum praebent ferienda juvenci.

ex Ponto IV. 9. 50.

Albave opimorum colla ferire boum.

ita ut *ferire* hic sit secare jugulum. *resecare cultro colla* dixit Martialis III. 24. 8. nam ita *ferire venam* Virgilius Georg. III. 459.

& inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam.

ferire pugione Hirtius Bello Alexandr. c. LII. atque ita Claudianus III. Consul. Honor. in Praefat. 10.

Unguibus haec saevis ira paterna ferit.

fabula Graeca, quae est AEsopi, ut creditur, CLXXVII. facit fidem huic conjecturae, praesertim si ex Codice Palatino legas Καὶ σοῦ τὸν τράχηλον μάχαιρα, καὶ οὐχὶ ζυγὸς τρίψει, *Collum tuum ferrum, non jugum teret.* Sed heus tu, aliud hic succurrit, dictis forte non deterius. Pulmanni Codex unus *admoto* habet. Lego ergo ex hujus libri auctoritate

Mox vitulum sacris innexum respicit aris
Admoto cultro comminus ire popae.

Hanc tibi triſtis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem noſtri quae facit eſſe jugi.
Proderit ergo graves quamvis perferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.

EST hominum ſors iſta, magis felicibus ut ſit
Mors cita, quum miſeros vita diurna regat.

FA-

Comminus ire cultro, id eſt accedere ad cultrum, ita *comminus ire* cum caſu tertio conſtruitur a Propertio III. I. 26.

Fluminaque Aemonio comminus iſſe viro.

conſtruitur & cum caſu quarto. Idem II. 15. 22.

Aut celer agreſtes comminus ire ſues.

Et ſic Voſſ. 3. *admotum cultrum.*

Ait dedit] *Agit nunc* edit. Lugdun. & Genev. quod merito ſpreverunt alii, nam illud planius.

Quae facit eſſe] Redundat *eſſe*, ut ſupra fab. XXIII. 2. in Cort. 2. *qui*, ſed ſupra ſcriptum *quae.*

Graves quamvis] Batav. *quosvis.* Cort. 2. *quemquam.* Sed recte Vulgati, *quamvis graves*, id eſt graviſſimos.

Perferre] Cort. 2. 3. Nevelet. ed. Batav. *ſufferre*, quod tametſi non damno, non eſt tamen, cur illi praefero. in Voſſ. 3. eſt *proferre.*

Quam tenerum] *Qui tenerum* Voſſ. 2. *quam tenes* Cort. 3. *quam primo* Batav. *tener* hic ad aetatem refertur. Suet. Ner. c. VII. *Tener adhuc, necdum matura pueritia.* Ceterum ante *quam* hic *magis* intelligitur, de qua ellipſi vid. Sanct. Min. IV. 7. atque ibi Cl. Perizon. n. 8. ſimili modo infra fab. XLII. 13. *ſat erit* pro ſatius erit. male Cort. 3. *peritura.*

Pati] Delet B. credo, quia non intellexit: eandemque cauſſam eſſe arbitror, cur Batavus mutavit in *ſequi.* Sed pati etiam bona dicimur, non tantum mala, & eſt inter verba μέσα. Plaut. Aſin. II. 2. 58.

Fortiter malum qui patitur, idem
poſt patitur bonum.

& ſic in monumento Romae in aedibus Cardinalis Creſcentii,

SEPTUAGINTA SUPER MESSES
NATALIBUS EGI,
SUMMA SENECTUTIS PRAEMIA PASSA CREMOR.

Cic. in Verr. III. c. 2. *Patior non moleſte, judices eam vitam, quae mihi ſua ſponte antea jucunda fuerit*, dixi ſupra de verbo *patior.* adde Scheffer. ad Phaedr. I. fab. 2. 3.

Magis felicibus] *Comes felicibus* ed. Batav. ſed non opus. *magis* vel ad *felicibus*, vel ad *cita* recte refertur, & comparativi munere fungitur, ut ſaepe alias, cum adjectivo conſtructum.

Ut ſit Mors] Hunc ordinem oſtendunt libri ſcripti, quem ſervant Neveletus & Genev. At vero Lugdun. & Batav. *Ut mors Sit.* error eſt Voſſ. I. dum *ſit* legit.

Miſeros] *Miſerum* Cort. 2. ſed illud praeſtat.

Vita diurna regat] Vita diurna eſt ἐφημέριος; nullum diem ſecura aut certa ſui: quod notandum, eſt enim eleganter & erudite dictum. BARTHIUS Adverſ. I. 7. Non perſpexit ſenſum horum verſuum Barthius, non enim miſerorum vitam ἐφημέριοι aut incer-

cer-

certam ac lubricam minusque diuturnam arguunt, sed potius felicium

felicibus ut sit
Mors brevis.

sed in ipso versu ultimo aliquid vitiatum est. necesse enim est ut brevi felicium vitae, opponatur miserorum vita diuturna. id enim longaevi bovis aratoris aerumnae, & ipsorum versuum sententia postulant. quare legendum

quum miseros vis diuturna trahat.

sed, ut dicam quod res est, inepti hominis, qui plures versus adfinxit nostro, hunc foetum esse puto, & forte lacinia extrema ultimi hujus versus adsuta est ex fabula XXXIII. in fine

vota diurna negat.

respexit certe haec verba Cortianus primus, dum scribit

vita diurna negat.

Batavus solus *premat* habet.

FABULA XXXVII.

Canis & Leo.

PInguior exhausto Canis occurrisse Leoni
Fertur, & insertis verba dedisse jocis.
Nonne vides duplici tendantur ut ilia tergo,
Luxu-

Insertis] *Incertis* unus ex Cortianis. *immissis* P. quod est ex glossa. corruptius A. *insans.* sed nihil muto.

Verba dedisse] De hac locutione dixi in Dissertatione. pro *jocis*, *locis* legit Voss. 2. vid. ad Praefationem.

Nonne vides] *Non te* Voss. 3. sed mendose.

Duplici tendantur ut ilia tergo] In hoc atque in sequenti versu centones Virgilianos facile agnoscimus: sunt autem hi versus compositi ex illis, Georg. I. 172.

duplici aptantur dentalia dorso.

Georg. III. 506.

imaque longo
Ilia singultu tendunt.

Georg. III. 81.

Luxuriatque toris animosum pectus.

tametsi autem duo priora alio sensu Virgilio sunt dicta, recte tamen in eum, quem Avianus dedit, transferuntur. ad locum primum ita Servius commentatur. *Duplici autem dorso, aut lato* ut [Georg. III. 87.]

At duplex agitur per lumbos spina.

aut revera duplici, cujus utrumque eminet latus. Quod autem Avianus hic *tergum duplex*, id Virgilius Georg. III. 80. *obesa terga* dixit. & non alio modo *geminam Cererem* Lucretius. vid. Gifan. Indic. Lucret. & Lambinus, & Tan. Faber ad Lucret. IV. 1162. Turnebus Adversar. XXVII. 35. adde quae nos supra de duplici amictu fab. IV. 9. Cave ergo librariis credas, qui in his diversa nobis exhibuerunt. errata eorum haec sunt. *tenduntur* Cort. 3. quod ferri potest. *ilia* : *vilia* Cort. 2. *luxurietque* : *luxorietque* B. L. & haec scriptura forte usitata fuit aliquando ob affinitatem *u* & *o*. *Luxurteque* Voss. 3. *luxuriaeque* Cort. 2. *Luxuriata* Cort. 3. *pectus* : *pecus* Voss. 3.

Luxurietque toris nobile pectus? ait.
Proximus humanis ducor post otia mensis,
Communem capiens largius ore cibum.
Nec quod crassa nocet circumdat guttura ferrum,
Ne

Proximus humanis ducor post otia mensis] Fuit honos non exiguus mensarum. Quare Virg. eclog. IV. 63.

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

Latin. Pacat. Paneg. *Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est.* Suetonius in Aug. c. LXXIV. Cal. c. XXXIX. Neron. c. XXII. An ergo hoc dicit canis, se non quidem ut convivam mensis hominum adhiberi, sed tamen iis proximum duci? & sane analecta mensae aut canibus relinquebantur, aut iis mittebantur. vid. Matth. XV. 26. 27. & Martial. VII. 20. quocirca communem cibum hic accipio non coenam, ut supra Fab. XV. 1. sed eundem, quo homines victitant. & forte haec analecta sibi missa honori habuit jactabundus canis, ut partes missae absentibus honori habebantur. Suetonius in Domitiano c. XI. *Partibus etiam de caena dignatus est.* adde Mok ad Longi Past. pag. 125. non sequor ergo hic Cort. 3. qui *protinus* habet pro *proximus*. sed quid haec *post otia*? *post atia* habet Voss. 2. sed id nihil extricat. atque ut dicam quod sentio, parum ea placent. Quare ita hunc versum mutari malo,

Proximus humanis duco piger otia mensis.

ut proximus sit vel honore proximus, vel etiam adstans mensis. *ducere* autem *otia* dicimus, ut *ducere diem*, *noctem*, de quo Cl. Burm. ad Valer. Fl. I. 251.

Communem capiens] *Commune* Voss. 3. *cupiens* Cort. 3. pravate.

Sed quod crassa malum] Barthius hunc versum cum sequenti, subjungit disticho, quod ab his incipit *Protinus ille gravem*. cui non adsentior: loco autem suo avulsos illos duos versus puto. collocandos, constituendosque ita censeo,

Proximus humanis duco piger otia mensis,
Communem capiens largius ore cibum.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
Donec se silvis obvia praeda ferat.

hos autem ita sibi subjungendos ratio docet, & haec ἀντίθετα; ego ad mensas humanas otiosus largius pascor: tu famelicus per saltus praedam raram captas. non videtur displicere conditio leoni; sed conspicatus catenam in collo, nonnihil admiratus, antequam conditionem accipit, quaerit,

Sed quid crassa (malum) circumdat guttura ferrum?

respondet canis,

Ne custodita fas sit abire domo.

vide ergo quam paucis absolverit quod prolixius Phaedrus in lib. III. fab. 7.

dum procedunt, adspicit
Lupus a catena collum detritum canis.
Unde hoc amice? nihil est. dic, quaeso, tamen.

similiter hic verba *dico*, *ajo* desiderantur: & conferenti has Phaedri Avianique fabulas parebit, hanc ex illa desumtam; & non invenuste est eam imitatus Avianus. Inde dicere liceat, si in ceteris fabulis fingendis eadem ingenii felicitate ac judicii ele-

Ne custodita fas sit abire domo.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
Donec se silvis obvia praeda ferat.
Perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
Sic liceat faciles promeruisse dapes.
Protinus ille gravem gemitu collectus in iram,
At-

elegantia esset versatus, quae in hac perspicitur: aut dicam potius, si ab indignis ineptissimorum hominum interpolationibus ac infandis flagitiis ceteras fabulas vindicare contigisset, id quod in hac fabula mihi forte contigit: nullam mihi caussam videri, cur Phaedro Avianum hunc proximum non censeamus, a quo nunc, multorum ausis inquinatissimus, longissimo intervallo remotus existimatur. Et quid in elegantissima hac fabula conati sint isti, non tantum praeposterus versuum ordo declarat, sed etiam haec librorum pugna. Batavus ita edidit, *Nec quod crassa nocet.* Cort. 3. *Sed quia.* reposui *quid*, id est *quare.* forte corrigendum *quo*, quod tantundem valet. *malum* hic interponitur ut saepe in aliis scriptoribus, Terent. Phorm. V. 7. 55.

Quid vos (malum) me sic ludificamini?

Vide hic Donat. & ad Eun. IV. 7. 10. Adelph. IV. 2. 5. Item Eugraph. ad IV. 3. 38.

Guttura] *Gutture* B. L.

Ne custodita] *Nec* C. 2. Col. 2. B. L. Nevelet. & Batav. *Te quid* Voss. 2. *custodita* est quae custoditur, de quo participiorum usu vid. Vossius de Analog. IV. c. 14.

Fas sit] *Fas sis* Voss. 3.

At tu] *A te* B. L.

Moribundus] *Moribunda* Voss. 3.

Lustra pererras] *Pererres* B. L. M. *perarras* Cort. 3. *Lustra* hic saltus & silvas notat. Valer. Flac. I. 104.

magnaque vatem per lustra viasque
Jussi laude canunt manifesto in lumine Fauni.

ubi vid. Burm. anne autem in pentametro mox inficete repetitur *silvis?* Quare vide an ita scripserit noster, *Donec sese illis.*

Donec se] *Se* delet Voss. 3. male.

Obvia praeda ferat] *Obvia turba* edit. Lugdun. Nevelet. Genev. Batav. sed non recedo a libris scriptis. Neveletus edidit *feret.* in C. 2. & Col. 2. est *fuit*, pessime. quod ad constructionem attinet, ea est, quam Virgilius praeivit AEn. I.

Cui mater media sese tulit obvia silva.

Perge igitur] Vid. supra Fab. XXXII. 7.

Sic liceat faciles] Ex solo Cort. 3. reposui *sic*, quod venustius visum, quam *dum*, id quod reliqui omnes habent. *Faciles dapes*, sunt *faciles paratu.* vid. supra.

Protinus ille gravem gemitu] Mitius primum, & tamen cum sarcasmo, loquitur leo, quem colligi in iram ex gemitu dicit Poëta. Sane talia non vulgari ingenio hunc fuisse arguunt, cujuscunque etiam familiae aut aetatis vatem. Nam de Avieno ne somniet quidem, qui sanus dormitum eat. BARTHIUS. Editiones Lugdun. Genev. & Batav. *gemitum.* Cort. 1. *compulsus in iram.* sed probandum unice *collectus*, ex longinquo enim sese colligit ira nobilis, ut eam Lucanus nominat. vid. supra. Fab. XXIV. 2. Nec enim confestim in impetum ex-

Atque ferox animi nobile murmur agit,
Vade, ait, & meritis nodum cervicibus infer,
Compescantque tuam vincula dira famem.
At

excandescit, sed paullatim ex justa ratione in iram consurgit. Describit eam Plin. VIII. 16. *Generositas in periculis maxime deprehenditur: non in illo tantummodo, quod spernens tela diu se terrore solo tuetur, ac velut cogi testatur, cooriturque non tanquam periculo coactus, sed tanquam amentiae iratus*, adde Senec. in OEdip. 95. 96. at quam divine idem Homerus Iliad. Υ. 166. locum integrum, quia prolixus est, hic tradere non vacat, tametsi egregie nostrum illustrat. In aliis generosioribus feris idem notarunt veteres. de Rhinocerote Martial. de Spectac. XXII.

Sollicitant pavidi dum Rhinocerata magistri,
Seque diu magnae colligit ira ferae.

Virgilius Georg. III. 85. de equo

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

235. de tauro.

Post, ubi collectum robur, viresque refertae.

de lupo IX. 63.

Collecta fatigat edendi
Ex longo rabies.

est autem *colligere* paullatim parare atque adcumulare. Ovid. Amor. I. 8. 75.

Mox recipe; ut nullum patiendi colligat usum
Neve relentescat saepe repulsus amor.

Auctor Octaviae 420.

Collecta vitia per aetates diu
In nos redundant.

Editores qui *gemitum* exhibent, (dubium an ex libris vetustis) videntur ita versus distinxisse, agit gravem gemitum & nobile murmur. Ceterum gemitum apposite addit, ex hoc enim vehementius atque acrius homines iram colligunt, & videtur hic versus expressus ex hoc Virgiliano. AEn. XI. 376.

Talibus exarsit dictis violentia Turni.
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces.

Prudent. Perist. V. 327:

Flet victus & volvit gemens
Iram, dolorem, dedecus.

Apulej. Metam. IV. pag. 85. *Gemens & fremens indignatione.* Senec. Oedip. 919.

Qualis per arva Libycus insanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens jubam:
Vultus furore torvus, atque oculi truces
Gemitus & altum murmur.

de Tauris Virg. Georg. III. 221.

Versaque in obnixos urguentur cornua vasto
Cum gemitu, reboant silvae & magnus Olympus.

ubi & accipiendus gemitus cum murmure conjunctus. recte autem Scholiast. Horat. ad epod. X. 17. ut ejulationem mulierum, sic gemitum virorum esse dicit.

Atque ferox animi] *Anima* Cort. 3. sed non probo: solet adjectivis adfectum atque animi motum significantibus vox *animi* per pleonasmum addi: Virgiliana haec sunt, *animi dubius, animi fidens, animi amens, animi infelix, animi furens:* denique & *egregius, praestans animi.* vid. AEn. I. 417. & XII. 19.

Murmur agit] *Murmora* B. L. *ait* Cort. 2. 3. sed in margine illius est *agit.*

Compescantque] Id repertum Pulmanno in P. A. neque inde abhor-

At mea cum vacuis libertas redditor antris,
Quamvis jejunus, quae libet, arva peto.
Has

horret Voss. 3. dum vitiatus nonnihil legit *compescent.* receptum illud Editoribus Lugdun. Genev. & Batav. reliqui omnes scripti & impressi *compensentque.* posui id, quod mihi praestantius est visum.

Vincula dira famem] Ita Voss. 2. ceteri *dura.* haec crebro mutantur, vid. Drackenb. ad Sil. XIV. 126. & sane dira sunt magis vincula haec, quam dura, utpote dolorem nullum aut cruciatum inferentia, sed servitutem perpetuam, quod dirum videtur Leoni libertate adsueto. Sed quid *fames*, ais? perpastus enim fuit canis, & perpetuas dapes jactat. Verum *fames* hic notat inexsaturabilem cupiditatem, qualem, si pecuniae est, avaritiam nominare consuevimus, *famem* Horatius Od. III. 16. 17.

Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorumque fames.

eleganter eam describit Ovidius Fast. I. 211.

Creverunt & opes & opum furiosa cupido:
Et cum possideant plurima, plura volunt.
Quaerere ut absumant, absumta requirere certant:
Atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.

Infinitam atque insatiabilem esse scribit Sallust. Catil. c. XI. neque copia neque inopia minui: ex quibus intelligimus, famem non jejuni tantum atque inanis stomachi dici, sed & repleti plura tamen desiderantis, renovantisque, ut dicit Petron. 119. *per damna famem.* gulam fere nominarunt alii, & ipse Avianus mox; unde Sulpic. Sev. I. Dial. 8. *Edacitas in Graecis gula est, in Gallis natura.*

At mea] Versus ita legendi.

At mea cum vacuis libertas redditor antris:
Quamvis jejunus, quae libet, arva peto.

forte *petam* imperativus: namque & optativus indignantibus sunt apti, Horatius Od. III. 3. 38.

qua libet exules
In parte regnanto beati.

praepositio *cum* habet aliquid invisi ac contemti, non quod leo haec contemnat, sed quod contemnenda haec cani videantur, idque cum ironia indignatur leo. Terentius Eun. IV. 3. 9.

abi hinc quo dignus es cum donis tuis.

adde Andr. V. 4. 38. & alias saepe.

Cum vacuis] *Vacuum antrum* est vacuum praeda, vid. ad fab. I. 12.

Quae libet] Ita haec dividenda verba puto, credo namque formulam libertatis hic spectari, *quod cuique facere libet.* aut formulam manumissionis, de qua Brissonius de Formulis lib. VIII. pag. 725. *abi, quo voles. abi, quo lubet.* Tibullus I. 2. 28.

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque,
Qua libet

Ovidius ex Ponto III. 5. 48.

Gratia Dis, menti quo libet, ire licet.

Catullus XXVII.

At vos, quo libet, hinc abite lymphae

Claudianus in Rufin. II. 239.

te, quo libet ire, sequemur.

Auctor Queroli pag. 18. *inde ibo, quo libet.* Ovidius Amor. II. 17. 23.

Tu quoque me, mea lux in, quas libet, accipe leges.

Idem Art. II. 163.

Secum habet ingenium, qui, cui libet, accipe dicit.

nam sic legendum ex codice Palatino. Sic *quanta libet* Tibullus IV. 1. 197.

nostri

Has illis epulas potius laudare memento,
Qui libertatem post posuere gulae.

nostri sit parvula cura,
Sit tibi quanta libet.
& sane crebro haec conjuncta leguntur *quaelibet*, *quaevis* & similia iis in locis, in quibus rectius disjunguntur, quod exemplis patet. Catullus XV.
Quem tu, qua lubet, ut lubet, moveto.
XXIV.
Haec tu, qua lubet, abjice, elevaque
Phaedrus I. 25.
quam libet, lambe otio.
Cicero de Natura Deorum II. c. 37. *Si innumerabiles unius & viginti formae litterarum, vel aureae, vel quales libet, aliquo conjiciantur.* Ovidius Trist. II. 518.
Quodque libet, mimis scena licere dedit.
Ex Ponto I. I. 4.
dumque aliquo, quo libet, abde loco.
Martialis VI. 43. 7.
Quondam laudatas, quocunque libebat ad undas
Currere
in Cort. 3. fuit *quae libet anta*. Sed in margine correctum *arva*. forte *antra* probabitur. Horatius II. Sat. 6. in fin.
haud mihi vita
Est opus hac, ait: & valeat. me silva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.
arva fero non *peto* est in Cort. 2. sed male.
Has illis epulas] *Illas* habent B. L. prave.

FABULA XXXVIII.

Piscis fluviatilis & marinus.

Dulcibus e stagnis fluvio torrente coactus,
AEquoreas praeceps piscis obibat aquas.

Illic

Dulcibus stagnis] Variant hic antiqui libri. alii *in stagnis*, alii *e stagnis* probant, alii plane tollunt praepositionem, quos tamen corruptos facile videmus. Ex praepositionibus utram libet elige. posui eam, quae mihi pulchrior est visa. in Voss. 3. *est anguis* quod corruptum ex *e stagnis*. Editio antiqua totam fabulam praeteriit. C. 2. & L. *coactis* legunt. *Stagna dulcia* dicit; ut opponantur aequoreis seu marinis aquis.
Fluvio torrente] Sic *torrentem undam* Virg. II. Georg. 451. *torrentes flammas*, VI. AEn. 550. vid. Fest. in *Torrens*.
Obibat] Hoc malo, quod edidit Pithoeus, atque a libris vetustis addicitur. At vero *abibat* est in B. M. *adibat* L. Cort. 3. idque receptum ab Edit. Lugdun. Genevensi, Nevelero & Batavo. *obire* autem hoc loco non simpliciter notat *adire*, quam significationem ei tribuit Festus in *mortem*, sed *obire aequora* est circumire aut huc illuc ire, ut solent homines *ignoti*, in loco peregrino circumire visendi atque inquirendi studio. Cicero Fam. VII.

Illic squamigerum despectans improbus agmen,
Eximium sese nobilitate refert.
Non tulit expulsum patrio sub gurgite Phoca,

Ver-

VII. ep. I. *Tu modo istam imbecillitatem valetudinis tuae sustenta, & tuere, ut facis; ut nostras villas obire & mecum simul lecticula circumcursare possis.* Male item Manutius *obire* exponit *adire*. Novimus quid nobis accidat cum in alienas villas a dominis adducimur, spectamus omnia ac lustramus, atque id dicit *obire* Cicero. tu consule quae de vocibus *oberrare* & *obreptare* diximus supra fab. XXXI. I. & fab. XXXIV. 5. nec caussam video, cur *circumcursare* moveatur, quod antiquas editiones non tantum occupavit, sed & priscis libris scriptis probatur. Et haec vocis *obire* significatio magis paret ex Orat. in Verr. Act. I. c. 2. *Itaque cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam, biduo breviorem diem postularet: non ut idem conficeret diligentia & industria sua, quod ego meo labore & vigiliis consecutus sum. Etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit: Ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque litteras injuriasque cognoscerem.* & II. in Verr. 51. *Nolite exspectare dum omnes obeam oratione mea civitates.* Vellej. II. 101. *Aliis provinciis ad visendum obitis.*

Despectans] *Despectus* C. 2. Col. 2. *dispectans* Voss. I. sed hos vitiatos cognoscimus. ut & Voss. 3. cum mox *eximi* pro *eximium* legit.

Nobilitate] Cave hoc loco ad genus referas: notat hic pretium, aut dicam potius dignitatem ac nobile nomen ex pretio. quanto enim cariores pisces, aliaeque res, tanto major earum fama, & laus. Plin. IX. 17. *Apud antiquissimos piscium nobilissimus habitus acipenser.* & mox. *Ex reliqua nobilitate & gratia maxima esset copia mullis.*

Expulsum] Ita C. I. Col. I. 2. B. L. Cort. I. 2. 3. neque aliter ediderunt Pulmann. Lugdun. Nevelet. Genev. & Batav. at vero Pithoeus & qui hunc sequi solent nullo sensu *exemplum*, quod & in nonnullis libris antiquis reperiebatur. Voss. 3. 4. *expulsus*, male.

Patrio sub gurgite Phoca] in Cort. 3. est *patris. sub gurgite* exhibui ex C. I. 2. Cort. I. 2. P. B. L. Voss. 3. 4. neque ab his recedunt Editores Lugdun. Genev. & Batav. reliqui vero reliquos MStos libros sequuntur, in quibus est *de gurgite*. mihi illa scriptura melior videtur. Ceterum cum primum has fabulas diligentius perlegerem, perspexi male habere hic vocem *Phoca*. Quis enim nobilior Phocas turpes, ac graviter olentes (δυσαεῖς dicit Oppianus κυνηγ. III. 114.) in ferculis ferat lautioribus?

> Πικρὸν ἀποπνείουσαι ἁλὸς πολυβενθέος ὀδμήν.
>
> *Acerbum spirantes maris profundi odorem.*

ut de iis canit Homer. Odyss. Δ. 406. Ovidius inter formidanda maris monstra nominat Heroid. X. 85.

> *Forsitan & fulvos tellus alat ista leones*

Quis

Quis scit, an haec saevas tigridas insula habet.
Et freta dicuntur magnas expellere phocas.
Quid vetat & gladios per latus ire meum?

invisas piscatoribus scribit Oppian. Ἁλιευτ. v. 379.

Ἀλλ' ὅτ' ἐυπλεκέεσσι λίνοις περικυκλώσονται
Φώκην ἀσπαλιῆες ἐν ἰχθύσιν οὐκ ἐθέλοντες.

At quando concinnis retibus cingent
Phocam piscatores inter pisces inviti.

Jonston de Piscib. v. art. 6. infimae etiam plebi in cibis contemni narrat. Ex his ergo persuasum fuit, phocam non esse piscem, quem Avianus hic memorarat, imo credidi mox ex Virgilio esse ortam hanc lectionem, qui Georg. IV. 395.

& turpes pascit sub gurgite phocas.

neque tamen probari mihi potuit scriptura editorum Genevens. Lugdun. & Batav. qui *piscis* reposuerunt: convenit enim nominari piscem suo nomine, qui nobilitatem jactat. Deinde non simile veri est, librarios in voce tam trita variare atque errare potuisse: quin & animadverti in vetustos codices; si forte ii agnoscunt hanc lectionem, irrepsisse ex Alcimo Avito, qui scriptor in majoribus deliciis fuit olim Monachis ac librariis, ut puto, quam Virgilius aut praestantissimus unus ex vetustis. Is autem de Orig. Mund. I. 35.

Post etiam clausi vasto sub gurgite pisces.

Voss. 3. *posca* refert, sed ejus vix ratio habenda. certe vox illa aliena est ab hoc loco. Haec autem animo volventi, & praeterea cogitanti, qui piscis huic fabulae maxime conveniret, occurrit confestim *phucis*, Graecis scribitur φυκὶς, φύκης & Philoxeno φύκες, in excerptis Stephani etiam φέκις legitur, sed is error dudum reprehensus emendatusque est aliis. Vide castigationes ad glossaria, & Jungerm. ad Polluc. Onomast. VI. 51. & sane non dubitavi amplius de hac scriptura, posteaquam ad me perlata sunt multorum codicum MSS. excerpta. nam in B. L. Corr. 2. *phocas* reperiebatur, quod aut ex Virgilii illo versu haustum, aut ex *Phucis*, quod nomen ignotum fuit ludimagistris illis vetulis, corruptum est: propius tamen ab ea recedunt unus Col. & Voss. 2. in quibus est *phocis*, & Col. 2. qui *phoecis* habet. Plinio *phycis* appellatur lib. IX. c. 26. At vero lib. XXXII. c. ult. in editione Veneta, quae Pintii est, anni 1516. *phycos* scribitur. Theodoro Gazae *phuca* nominatur in sua Aristotelis versione lib. VI. c. 15. Quomodocunque autem eum nominavit Avianus, hoc intelligimus facile librariorum errore in *phocam*, quae magis notior fuit, transiisse. In Polluce similiter vix tandem viri docti ex emendatioribus Codicibus hoc nomen eruerunt, varie ab librariis tentatum. Nonnius praeterea de re Cibaria l. III. c. 23. quod me nuper docuit Vir Ampliss. Vilh. Clerck, literis Graecis ac Latinis egregie doctus, Curiae Gelricae ab Actis, aliis scriptoribus Graecis hunc piscem restituere conatur, sed dubito an recte; perinde ipse dudum existimavi periisse, aut saltem inquinatam esse hanc vocem in Phageticis Ennii, citatis ab Apulejo in Apolog. pag. 299. Edit. Elmenh. versus ita leguntur hodie,

Brundisii Sargus bonus est, hunc magnus erit si
Sume. Apriclum piscem scito primum esse Tarenti:

Apriclus piscis quis sit, ex viris doctis usque adhuc demonstratum non memini, nec forte demonstrabitur unquam. Salvianus in historia Aquatilium καπρίσ-

κον

κον interpretatur, sed eum refutat Hieronymus Columna in notis ad Ennium: Equidem hos versus ita corrigendos arbitror

Brundisii sargus bonus est, hunc, magnus eris si,
Sume Apulum. Phycin scito primam esse Tarenti.

aut si quis *phycin* minus probat, is per me legat *phycum*, aut *phucam*; nam *phycus* in nonnullis Plinii libris, & φυκος in glossis, ut diximus, reperitur, *phucam* Gaza probat. Bonus, inquit, est quidem sargus Brundisii, si tamen eris magnus, id est dives, potens, lautus: sumendum, id est emendum Apulum monet, cariorem quidem sed & meliorem. Horat. II. Serm. 1. 74.

quicquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque; tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia.

Martial. II. 32. 1.

Lis mihi cum Balbo est, tu Balbum offendere non vis,
Pontice, cum Licino est: hic quoque magnus homo est.

& XI. 68.

Parva rogas magnos: sed non dant haec quoque magni;
Ut pudeat levius te, Matho, magna roga.

ni forte malis pro *magnus* legere *mactus*. Paulus in excerptis Festi *Mactus, magis auctus. Sumere* autem pro *emere* dixit & Cicero Fam. VII. ep. 23. *Tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non aestimo, tanti ista quatuor aut quinque sumsisti.* Nec movet syllaba prima in *Apulus* correpta, quam producunt alii, nam cum ea in *Apulia* corripiatur. vid. Manut. Orthogr. in *Apulia*, quae ratio est, cur non idem fiat in *Apulus*? Et novimus quantum sibi permiserint Poëtae in antiquissimis gentium & populorum nominibus, & sane quo verius producere viderentur posteriores Poëtae & Grammatici, *p* in *Apulus* geminarunt. adde quae supra disputavimus ad fab. V. 5. Sed ad vindicandum Aviano hunc piscem, dicendum porro esse phucides ex marinorum genere, nam Pollux cum piscibus marinis eos conjungit, atque eo capite quod est περὶ τῶν ἐκ θαλάττης βρωμάτων, *de cibis ex mari petitis*, modo hi capitum tituli ab ipso Polluce sint profecti. Similiter Oppian. ἁλιευτ. I. 122.

Πέτραι τ' ἀμφίαλοι πολυειδέες· αἱ μὲν ἔασι
Φύκεσι μυδαλέαι· περὶ δὲ μνία πολλὰ πέφυκε.
Τὰς ἤτοι πέρκαι, καὶ ἰουλίδες, ἀμφί τε χάννοι
Φέρβονται σάλπαι τε μετὰ σφίσιν αἰολόνωτοι
Καὶ κίχλαι ῥαδιναὶ, καὶ φυκίδες.

Scopulique mari cincti multiformes: alii quidem sunt
Musco humidi; circum vero alga copiosa nata est:
Circa quas percae & iulides & hiatulae
Pascuntur, salpaeque cum illis pictae terga,
Et turdi delicati & phucae.

Sequitur ut ostendamus divitibus in honore fuisse phycidem: id autem intelligimus ex variis Athenaei locis, vid. III. c. 25. & IV. c. 3. sed potissimum ex lib. VI. c. 11. & coena lautissima, qua Archephontem parasitum rex Ptolemaeus excepit,

Τῶν μὲν σκάρων ἀπέλαυε τῶν τε γλαυκῶν ἅμα
Καὶ φυκίδων ἐπὶ πλεῖον Ἀρχεφῶν πάνυ.

Scaris mullisque vescebatur Archephon,
Ac phycidibus valde quidem libenter.

primo namque ex scari mullique honore, quibuscum phycis conjungitur, phycidis pretium faci-

le aestimare licebit; scarum quidem *cerebrum Jovi paene supremi* dixit Ennius. Incredibilia autem sunt, quae de infinito mullorum pretio Petronius, Athenaeus, Plinius, Macrobius prodiderunt. Antiphanes quoque mullo phycida apposuit eo in loco, ubi praestantiora piscium genera enumerat. Athenaeus lib. VII. c. 12. quare & Theris piscator optimos quosque pisces Dianae consecraturus mullum & phycidem dedit. vide Anthol. VI. 3. 13.

> Τρίγλαν ἀπ' ἀνθρακιῆς καὶ
> φυκίδα σοὶ λιμενῖτιν,
> Ἄρτεμι, δωρεῦμαι Θῆρις ὁ
> δικτύβολος.

> *Mullum a congerie prunarum &*
> *phycidem ex portu,*
> *Diana; dono Theris piscator.*

piscis hic Latinis Saxatilis dicitur, ut non unius in glossis. Cyrillus quidem *Saxatila φυκὶς, ἰχθὺς*, sed vereor ne *Saxatilis* sit scribendum. Ovid. Halieut. 109.

> *Tum viridis squamis parvo saxatilis ore.*

sollicitat hunc versum Gesnerus, sed caussam non video: mutari huic pisci colorem scribit Plin. IX. 26. reliquo tempore candida est, vere varia: ἐρυθρὴν nominat Apollonides Anthol. III. 4. 3. quos versus non tantum corrupte ediderunt viri docti, sed & pejus Latine verterunt. tu ita eos & lege & interpretare

> Εἶδαρ ὅτ' ἀγκίστρου φόνιον (forte φονίου) πλάνον ἀμφιχανοῦσα,
> Ὀξεῖαν ἐρυθρὴ φυκὶς ἔφριξε πάγην.
> Ἀγνυμένη δ' ὑπ' ὀδόντα κατέκτανεν, ἅλματι λάβρῳ
> Ἐντὸς ὀλισθηρῶν δυσαμένη φαρύγων.

> *Quum letalis hami dolosam escam glutiisset*
> *Acutum rubra phycis calamum tremefecit,*
> *Fracta vero sub dente (id est comesta) occidit* Menestratoni *avido haustu.*
> *Subiens* (demissa) *in lubricum guttur.*

pessimus autem Vincentii Obsopaei est error, qui phycida hic phocam seu vitulum marinum interpretatur, aliaque alienissima confingit. Quod autem Vlitius, Heinsius, Harduinus, phycidis mentionem ab Ovidio Halieut. 122. factam censent, in eo illis non assentior. Repugnat enim cum veteri scripturae, tum testimonio Plinii, qui lib. XXXII. c. ult. de Chromi, non de phycide Ovidium scripsisse ea testatur, quae de nidificatione horum piscium feruntur. & sane aberrant a mente Plinii, qui eum hic erroris insimulant. Non enim is hoc loco suam de Chromi, aut etiam aliorum sententiam declarat, sed unius Ovidii, nam ut *nomina piscium apud hunc posita, quae apud neminem alium reperiuntur* (haec verba sunt Plinii) enumerat, ita quoque *insignia piscium*, id est peculiaria, Ovidio non aliis memorata, persequitur. Inter haec autem insignia ponit, *Chromin nidificare in aquis.* Si quid ergo peccatum est in hac sententia, peccatum est non Plinii, sed Ovidii. Nam Plinii sententiam si quaerimus, ea contraria est Ovidio, conveniens Aristoteli ac Plutarcho, dum lib. IX. c. 26. phucyda piscium solam nidificare ex alga atque in nido parere scribit. Fallitur porro Vlitius, dum haec Plinii verba, ac constructionem, *chromin qui nidificet* reprehendit, substituitque *quae.* Non enim Plinius hic chromin, sed piscem respicit, nam sic idem IX. c. 18. *Circa Ebusum salpa, obscoenus alibi & qui nusquam percoqui possit, nisi ferula verberatus.* Quemadmodum autem Ovidii versus ad sententiam Plinii refingendus sit, nunc quaerere ac docere omittimus, satis multa dedimus phycidi, forte etiam plura, quam satis.

Verbaque cum ſalibus aſperiora dedit.
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quaeque refutari te quoque teſte queant.
Nam quis erit potior, populo ſpectante probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur emtor;
Te

Verbaque] *Terque* Voſſ. 2. *Verbera* Cort. 3. non probo.

Aſperiora dedit.] *Liberiora* Batav. ſed nil adverſus vetuſtos codices admitto. Cort. 3. *dabat.* ſed *dedit* antepono ob *tulit*, quod praecedit.

Vana laboratis aufer.] Fruſtra ſunt, qui aliter legunt. *una laboratis* B. L. *aufert* Voſſ. 2. *aufers* Cort. 1. fuit cum ſuſpicarer ſcripſiſſe Avianum *coloratis.* ſed *laborata dicta* ſunt ſtudioſe conficta, atque ad imaginem veri conformata, ut fit in mendaciis. *laboratas veſtes*, & *laboratam Cererem* dixit Virg. AEn. I. 638. & VIII. 181. Suet. Ner. c. XLI. *artem laboratam.* *Aufer* vox uſitatior irritatis. Terent. Phorm. I. 4. 45.

Id noſmet facere oportet Phaedria.
PH. *Aufer mihi oportet.*

& v. 6. 18.

Quin tu hinc pollicitationes aufer.

Phaedr. III. 6.

Quapropter aufer frivolam inſolentiam.

Quaeque refutari] Mendoſe C. 1. Col. 1. *refuturi*, ambo a manu prima. *refutaverit* Voſſ. 3. *refutati* Cort. 3.

Te] *Tu* in C. 1. Col. 1. ab eadem manu prima, quod merito correctum, corrupte quoque Voſſ. 3. *e.*

Teſte valent] Malo quod Palat. & Pulm. editioque, *te quoque teſte queant.* NEVELETUS. Ex noſtris id quoque addicunt C. 1. 2. B. L. Voſſ. 2. 3. 4. Cort. 1. 2. 3. & praeterea Edit. Lugdun. Genev. & Batav. *te teſte* id eſt te ſpectante. vid. Sciop. ad Priap. 1.

Nam quis erit potior] *Quis* pro uter, vid. ſupra fab. IV. 3. non *potior*, ſed *melior* eſt in Cort. 1.

Populo ſpectante] I. e. in ore Populi, nec placet prae hoc *teſtante*, quod habet Cort. 1.

Humida lina trahant] Id eſt rete ex Virgilio I. Georg. 142.

pelagoque alius trahit
humida lina.

quod & ſimiliter imitatus Auſon. in Moſel. 243.

Hic medio procul amne trahens humentia lina.

pro *pariter captos* Cort. 1. habet *pariter tinctos*, quorum nullus eſt ſenſus: ut nec hujus ex Voſſ. 3. *unda lina* pro *humida.* forte ſcriptum invenerat *umida lina*, nam & hoc modo in libris antiquis ſcriptum reperitur.

Magno mercabitur auro] Palat. *emtor.* NEVELET. Sic vetuſti libri plerique omnes, peſſime Voſſ. 2. *magna.* peſſime quoque Cort. 2. *mercabilis*, & Voſſ. 3. *mercabitur emtum.* Neque etiam placet *mercabitur aere*, quod in Cortianis duobus 2. 3. reperitur. magis placebit aliis credo, quod Pithoeus edidit & Neveletus, nec codices nonnulli vetuſti deſpondent: *mercabitur auro.* venuſte enim *aurum aeri* oppoſitum dicent; ſed auro unum piſcem emi, & quidem *magno*, mihi non fit veriſimile, ni forte ſaeviente gula ſex millibus emtum credamus; quod pretium mulli, imo & grandius Hiſtorici pariter ac Poëtae perſtringunt. vid. Juvenal. Sat. IV. 15.

Te simul aere brevi debile vulgus emet.

Quis-

Plinius ix. 17. Suetonius in Tib. c. xxxiv. Macrob. Saturn. II. 12.

Te simul] *Me simul* Voss. 2. male. *Te vero* Batavus: non reprehendo si ex libro vetusto, sed longe antefero *simul*, cujus usus hic elegantissimus est, quamvis forte paucis perspectus, certe vox haec Codicibus omnibus probatur. *Simul* res emi dicuntur, quae ut Juris consulti loqui amant, per aversionem emuntur, quando non singulae res separatim, sed multae junctae & simul ἀϑρόως emuntur, Belgice *in de ruys kopen.* Cajus in l. xxxv. §. 7. D. de contrahenda emtione, ubi Jus emtionis per aversionem exponit; *nec interest unum pretium omnium centum metretarum in semel dictum sit, an in omnes eos*; nihil autem refert *in semel* disjuncte legas, an conjuncte *insemel.* Fateor tamen diu mihi suspecta fuit haec lectio, sed quia membranae Florentinae eam confirmant, venerandae illud antiquitatis monumentum, quod non nisi religiose habendum, nihil in ea tentandum censui, neque etiam nunc tento, posteaquam usu didici *semel* & *simul*, quae origine nihil differunt (vide Voss. Etymol. in *similis* & Cl. Corte de Orthogr. p. 100.) sensu etiam & significatione non discrepare. Testatur autem Palmerius in Specilegiis pag. 724. Tom. Critic. 4. *simul* ubique se reperisse in libris vetustis pro *simul*, quod librariorum oscitantiae tribuendum dubito. *semel* etiam *simul* exponit Brissonus in l. xvi. §. 2. D. de jure patron. *Si quis plane non semel alienaverit, sed quasdam res ante, quasdam postea.* Ita *semel* & *in partes* opponit Seneca de Tranquillitate animi c. I. *Infirmitas qualis sit, non tam semel tibi possum, quam per partes ostendere.* locus hic, ni fallor, aliis notatus. tu adde Plinium Natur. Histor. VII. c. 26. *Cn. Pompejus Magnus Imp. bello* XXX. *annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis vicies semel centies* LXXXIII. *M. Semel* hic est ad summam, summis omnibus non in partes diductis, sed in unam collectis. atque ita *insimul* Florus in praefatione lib. I. *Tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo rerumque diversitas aciem intentionis abrumpit, faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt: in brevi quasi tabella totam ejus imaginem amplectar, nonnihil ut spero, ad admirationem principis populi collaturus, si pariter atque insimul universam magnitudinem ejus ostendero.* Ita haec emendavit Salmasius, quia tamen in libris scriptis *insemel* invenit Vinetus, nequaquam ab eo abhorreo. *simul* tamen tacite τῷ *in partes* opponitur in carmine antiquo de Rosa, quod descripsit Scriverius ex Codice Salmasii ad Pervigilium Veneris pag. 23. & Almeloveen in Epigrammat. & Poëmar. vet. Poët. pag. 12.

Prima papillatos ducebat . . . corymbos
Altera Puniceos apices umbone levabat,
Tertia non totum calathi patefecerat orbem,
Quarta simul nituit nudato tegmine floris,

versum extremum ita correxi, codex habet *mutato tegmine flore*: forte tamen melius *nudato tegmine flore.* Non leviter ergo vilitatem piscis fluviatilis marinus taxat, cum dicit eum emtum iri, non, ut marinos pisces, singulos, & magni, & a nobilioribus ac divitibus. sed *simul* id est cum aliis piscibus multis permistum, pacto non in singulos pretio, quomodo hodie pisces fluviatiles viliores emi solent a vulgo aere parvo.

Brevi] In hanc lectionem conspirant omnes Codices scripti, imo & editi, si a Batavo solo discesseris,

Quisquis ab externis nuper devenerit oris,
Non decet indigenis ut velit esse prior.

ris, qui *levi* habet. Voss. 3. *breviter*, quod tamen ex *brevi* corruptum. Batavum credo, fefellit usus vocis *brevis*, de quo multa in Dissertatione, ubi ostendimus *breve* opponi magno. Atque eam vocem pecunia usitatam fuisse arguunt haec Servii ad Virg. AEn. IX. 265. *Talentum potest & breve aliquid, & magnum significare.* adde v. 248. Paullus, an ex Festo alias investigabimus, in *centenariae*. *Centenariae coenae dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus, praeter terra nata, impendebatur: id est centum assibus, qui erant breves nummi ex aere.* Ex quibus facile vindicatur scriptura Sexti Rufi, quam viri eruditissimi sollicitant in Breviar. sub init. *Ac morem secutus calculatorum, qui ingentes summas aere breviore exprimunt.* Non ignoro aes etiam *leve* dici, sed sensu alio ac contrario, quo *aes grave*, de quo vid. Gronov. de Pec. vet. III. c. 15. & Periz. de aere gravi. *argentum grave* est & argentum factum pondere gravi. Senec. de Tranquil. anim. c. 1. *Argentum grave rustici patris.* Auson. epigr. XXV.

Hos ille servum veste contexi jubet,
Hos caelat argento gravi.

Quisquis ab externis] Nempe & hoc fabulae deesse rati scioli nonnulli, qui duos hos versus addiderunt, quos merito non adgnoscunt ex vetustis Codd. C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4. Cort. 2. Cort. 1. eos exhibet, sed in marginem rejectos ex Editionibus delent Lugdun. Genev. & Batav. Pro *Quisquis*: *si quis* est in Cort. 1. & 3. pro *externis*, *extremis* in Cort. 3. pro *ut velit* Nevelet. edit. *velit ut*, male.

FABULA XXXIX.

Miles & Lituus.

Voverat attritus quondam per praelia Miles

Omnia

Voverat attritus.] Abest haec fabula ab Edit. ant. & Ulmensi. *voverat attritus dare* id est voverat se attritum daturum, frustra ergo Voss. 3. *daret*, nam sic & supra accusativus simili modo in nominativum fuit mutatus, fab. XXXVII. 10.

Donec se silvis obvia turba ferat. *dare* pro daturum esse frequens est, vid. supra XXXIII. 4. & XXXIV. 7. & Terent. Andr. II. 4. in fin. *si dicis ducere.* Sic soliti milites emeriti arma sua aut Laribus domesticis, aut alii cuique Deo sacrare. vid. Tomasin. de Donar. cap. XXII. in fin. Imo solebant omnes, quae desinebant, Dis consecrare. vid. Schol. Horat. I. Serm. 5. 65. arma autem hostibus detracta Vulcano vovere mos fuit multorum. de Gallis narrat Flor. II. 4. 5. de Romanis vide ea, quae ad hunc Flori locum notarunt Freinsh. & Duker. Timasion coquus ἀκμῆς γυιῶν ἀφαιρούμενος instrumenta sua Vulcano dedicavit. Anthol. V. 17. Ut autem hic miles fabulosus, sic veri multi in tempus missionis

 vota

Omnia suppositis ignibus arma dare.
Vel quae victori moriens sibi turba dedisset,
Vel quicquid profugo posset ab hoste capi.
Interea votis sors adfuit, & memor arma
Coeperat accenso singula ferre rogo.
Tunc Lituus rauco defendens murmure culpam
Immeritum flammis se docet esse prius.

Nul-

vota susceperunt. Fabrettus Inscript. pag. 359. n. 83.

SOLI. INVICTO. DEO
EX. VOTO. SUSCEPTO
ACCEPTA. MISSIONE
HONESTA. EX. NUME
RO. EQ. SING. AUG. P.
AELIUS. AMANDUS
D. D. TERTULLO. ET
SACERDOTI. COS.

attritus vox usitata de emeritis ac multorum stipendiorum militibus. Justin. XLI. 6. 4. *Multa tamen Eucratides bella magna virtute gessit, quibus attritus.*

Vel quae victori] *Et quae victori* Cort. 2. non opus est mutato.

Sibi turba dedisset] *Sibi tuba dedisset* C. 1. Col. 1. male.

Capi] An *rapi?* capiuntur homines, rapiuntur spolia. confusa haec saepe. Cl. Duker. ad Flor. I. 1.

Sors adfuit] Sic C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. M. Voss. 2. 3. Cort. 1. 2. 3. & meliores editiones: alii *adsunt*, quod plane mendosum.

Ferre rogo] *Ferre jugo* C. 2. Col. 2. perperam. *ferre* est verbum sacrorum. Virgilius Georg. III. 21.

Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae
Dona feram. Jam nunc solemnes ducere pompas
Ad delubra juvat.

Ovid. Heroid. VI. 77.

Dona feram templis, vivum quod Iasona perdo.

XXI. 184. & ex Ponto I. 4. 55.

Turaque Caesaribus, cum conjuge Caesare digna,
Dis veris, memori debita ferte manu.

Lituus.] *Litun* Cort. 3. maculate.

Defendens murmure culpam] Ita edidi ex Voss. 3. 4. Cort. 3. eo quoque inclinat Cort. 1. *distendens.* Ceteri omnes, cum exarati, tum impressi *deflectens*, quod ex glossa obtrusum arbitror. usus enim est noster voce *defendi* non ex vulgari consuetudine, sed admodum proprie & Latine pro ἐκ ποδῶν ποιεῖσθαι. Gellius IX. 1. in fin. Nonius ex Ennio citat hoc ex Achille

Serva cives, defende hostes, cum potes defendere.

ad quod fragmentum vid. Hieron. Columna. Virg. AEn. X. 905.

hunc oro defende furorem.

Cic. pro Mil. c. IV. *Cum vi vis illata defenditur.* Valer. Max. VI. 5. 2. *Cujus armati periculum vulneribus & sanguine suo defenderant.* Possis & *defendere*, interpretari excusare, ut crebro, *crimen*, *culpam defendere.* Sed illam expositionem malo, quia lituus omnem culpam a sese amoliri ac propulsare laborat. In Voss. 2. est *culpa*, id errori librarii tribuendum. *murmur* de sono tubarum. Prop. IV. 4. 9.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis,
Cum quateret lento murmure saxa Jovis.

& 59.

Tubicen fera murmura conde.

Immeritum flammis se docet esse prius.] Insigniter vitiatum puto hunc versum, tametsi libri omnes tacent, nec opem ullam ad vitium

Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
Viribus adfirmes quae tamen acta meis.
Sed tantum ventis & cantibus arma coëgi,
Haec

tium tollendum ferunt. Nam non mihi persuadeo scripsisse nostrum *immeritum flammis*, quaero enim exemplum constructionis hujus. Dein quid illud *prius*? forte quis dicet, aliis armis tacentibus, ac agnoscentibus culpam, lituus prius eam defendit. Sed si iste sensus est, cur non *prior* dixit Avianus? sed ne diutius morer: ita hunc versum emendandum censeo

Indignum flammis se docet esse piis.

Immeritum ex glossa hunc locum sibi vindicavit, *indignum* namque Grammatici exponunt *immeritum*. Servius dicit *non congruum meritis* ad Virg. AEn. VI. 163. & sane *indignus* sic saepe *immeritum* notat. Terent. Adelph. II. 1. 11.

jusjurandum dabitur, te esse
Indignum injuria hac, indignis quum egomet sim acceptus modis.

Phorm. II. 2. 28.

absenti tibi
Te indignas, seque dignas contumelias
Nunquam cessavit dicere hodie.

flammas pias dicit votivas seu in honorem Deorum accensas, sic *pii ignes*, *far pium*, *tura pia*. Ovid. VI. Fast. 439.

Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes:
Mixtaque erat flammae flamma profana piae.

ex Ponto IV. 9. 53.

Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara.

ubi similiter Bersmanni codex *prius* habet. Virg. AEn. V. 744.

Pergameumque larem, & canae penetralia Vestae
Farre pio & plena supplex veneratur acerra.

Tibull. II. 2. 3.

Urantur pia tura focis, urantur odores.

adde N. Heins. & Burm. ad Ovid. I. Fast. 671. dicit autem non meruisse flammas atque immolationem, quod extra noxam sit: videtur enim miles arma noxia tantum exitialibus flammis ac Vulcano vovisse. & sane Galli, qui humanis sacrificiis Deos suos placarunt, noxios Dis gratiores existimarant. Caesar. bell. Gall. VI. 16. *Circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxa sunt comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur.*

Nulla tuos] Admodum inquinate *Nullos* Voss. 3. *peccit erunt* pro *petierunt* idem. *latere* pro *lacertos* Cort. 3.

Adfirmes] *Adfirmet* Voss. 3. *adfirmas* Cort. 2. *adfirmans* Cort. 3. sed nihil melius vulgato.

Quae tamen] *Tamen* hic *quidem*, *certe*, notat: sic Terent. Heaut. III. 2. 1.

Hac illac circumcursa, inveniendum est tamen
Argentum.

Virg. AEn. IX. 247.

Dii patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cum tales animos juvenum & tam certa tulistis.
Pectora.

Sed tantum ventis] *Nam tantum votis* Edit. Lugdun. Genev. & Batav. *votis* quoque recepit Nevelet. sed horum neutrum accipio, nitentibus contra libris antiquis: *ventis & cantibus* est vento, id est, sono cantuum. Simpliciter pro sono tali positum videtur

Haec quoque submisso testor & astra sono.
Ille resultantem flammis crepitantibus addens,
Nec te major, ait, poena dolorque rapit.
Nam licet ipse nihil possis tentare, nec ausus
Saevior hoc, alios quod facis esse malos.

F A-

detur. Virgil. Georg. IV. 482.

tenuitque inhians tria Cerberus ora
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.

in nonnullis Codd. reperit Pierius *cantu*, quod ex glossa intrusum est. In Cort. 3. pro *coëgi* hic perperam *cogi* legitur.

Haec quoque] Ita ediderunt Nevelet. Lugdun. Genev. & Batav. refragantibus Codicum omnium excerptis, quae habeo, atque antiquioribus editionibus, in quibus *Hoc* est. *haec* dicit δεικτικῶς, testans & quasi demonstrans *arma*, quae aderant similiter igni admovenda. Sane haud raro ex gestu vis pronominis hujus intelligitur Phaedr. I. 1.

Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi aquam
Istam bibenti.

ubi vid. Cl. Burman. Haec expositio si non placet, forte impensius placebit scriptura C. 2. Col. 2. qui ita habent

Hoc quoque submisso testor & arma sono.

Hoc enim δεικτικῶς sic coelum notat. vid. Gifan. Indic. Lucret. Scott. & Gronov. ad Pomp. Mel. I. I. I. pro *& astra* Cort. 1. habet *ad astra*. perperam.

Ille resultantem] Editio exoleta *ille reluctantem*. NEVELETUS. *Tunc insultantem* Cort. 2. ut liquido videas haustum ex fab. VII. vs. II. & forte ipsum illud *resultantem* repertum ex fab. XXXVI. vs. I. crebro animadversum est nobis ex aliis fabulis in alias transiisse verba etiam in sedes admodum alienas. Edit. Lugdun. Genev. & Batav. *resistentem* exhibent.

Addens] An & hoc verbum sacrorum? Tibull. IV. I. 133.

additus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.

Martial. X. 26. 6.

Pinguia nec moestis addere tura rogis.

Fest. in *Murrata. Murrata potione usos antiquos indicio est, quod etiam nunc AEdiles per supplicationes Diis addunt.* Habet tamen Cort. sed prave, *ardens.*

Nec te major] Ita Voss. 2. 3. 4. ed. Lugdun. Nevelet. Genev. Batav. alii *Nunc te major*: forte scriptum fuit *Num te.* Poena major, est major aequo, solito, quod & nonnunquam additur. vid. Cort. ad Sallust. Cat. c. LI. 12. nam ea saepe est significatio atque ellipsis comparativorum. vid. Perizon. ad Sanct. Min. II. 10. 6.

Possis tentare] Ita plerique omnes, at vero Edit. Lugd. Genev. Batav. *posses.* Cort. autem 3. vitiosius *posset laetare*, & L. *posse.* *tentare* est vi atque armis experiri. Flor. II. 14. 4. *Virum non Macedonicis modo, sed Thraciae quoque auxiliis ingentibus validum, temere tentavit.* ubi vid. Cl. Duker.

Nec ausus] *Nec audes* Cort. 1. non male.

Saevior hoc] *Saevior haec* prave Cort. 3.

Quod facis esse] Hoc tuentur C. 1. 2. Col. 1. 2. B. L. Voss. 2. 3. 4.

4. Cort. 1. 2. 3. Edit. Lugdun. Genev. Batav. nonnihil hinc erravit M. qui *ere* habet: reliqui *ipse*. sed *esse* hic abundat, qui mos scriptoris supra nobis saepius est notatus.

Malos] Editio eadem (nam Ulmensis hanc fabulam omisit) addit distichon hoc

Saepe malum postquam fecit quod quisque piavit,
Immunis causati criminis esse cupit.

quod vix Aviani fuerit. NEVELETUS. In Cort. 3. reperitur & hoc distichon

Non refert an sis. . . .
Causa mali sola lex ad utrumque facit.

ex qua re intelligimus librarium quemque ac ludimagistrum epimythion addidisse ex arbitrio atque ingenio suo, si tamen quidquam ingenii in servo hoc pecore fuit.

FABULA XL.

Vulpes & Pardus.

Distinctus maculis & pulchro pectore Pardus
Inter consimiles ibat in arva feras,
Sed quia nulla graves variarent terga Leones,
Pro-

Distinctus maculis] Omisit hanc fabulam Edit. Antiq.

Consimiles] *Dissimiles* Cort. 3. quod ipsum etiam non sensu destituitur. consimiles enim natura hae ferae erant, sed dissimiles forma.

Ibat in arva] Vix est, ut respuam Palat. lectionem

Inter consimiles respuit ire feras.

NEVELETUS. *Respuit* ex nostris nullus adgnoscit, turbant tamen *in arva*, pro iis B. L. habent *mira*. Voss. 2. *in via*. Voss. 3 *intrat*. *in arva* pro in arvis ponitur. vid. fab. II. II. & alias. emendavi dudum *spirat ut alta*. Florus II. 2. 27. *spirantibus altius Poenis*.

Sed quia] Ita G. 1. Col. 1. B. L. M. Voss. 3. 4. Cort. 1 2. 3. P. Edit. Lugdun. Genev. Batav. Ceteri *Et quod*. Voss. 2. tamen & Nevelet. *Et quia*.

Variarent] *Variarunt* Cort. 1. 3. *varientur* Voss. 3. sed non recedo a vulgato. *variare* intellige maculis, & variis coloribus. σώματ© ποικιλία est in fabula Graeca CLXII. Virgilius Georg. I. 440.

Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum.

Martialis VIII. 28. 17.

Non ego praetulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quae variantur acu.

atque inde *varios testudine postes* Georg. II. 463. & *varias colubras* Horatius Serm. 1. 8. 42. recte Scholiastes exponit *maculosas*. sic Cicero in Mario de angue

varia graviter cervice micantem.

Virgilius *maculosum* nominat Georg. III. 426. Sic *variae lynces* Georg. II. 264. *maculosas* idem AEn. I. 327. atque inde pardi simpliciter *variae* dictae a macularum varietate; Plinius Nat. Hist. VIII. 17. unde & in glossis *varia* ποικίλη, πάρδαλις. vid. Salmas.

Protinus his miserum credidit esse genus.
Cetera sordenti damnans animalia vultu
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo Vulpes dum gaudet amictu

Cor-

ad Vopisc. in Aurel. c. XXXIII. & ad Solin. pag. 150. Keuchen. ad Serenum Sammonic. pag. 125. a maculis quoque *varias oves* dixit Tibullus I. II. 10. sed Nic. Heinsius *saturas* emendat, quod & Broukhus. in contextum recipere non dubitavit, reclamantibus libris vetustis, quod nollem factum; aureo enim saeculo, de quo Poëta, non variae minus oves, quam *niveae* (quam vocem reponit doctissimus Broukhusius) fuerunt probatae. neque enim tum ullum bibebat colorem lana. *nulla* est aut per ὑπαλλαγὴν positum, quasi *nulli leones*, aut *non* notat, quod familiare Poëtis, praesertim Comicis. Auctor Ciris 177.

Nulla colum novit.

Protinus his] *Protinus is* Voss. 2. 3. 4. sed saepe solet adspiratio detrahi.

Miserum credidit esse genus] *Miserum* hic est egenum ac pauperculum, Terentius Phorm. I. 2. 44. egeni autem & pauperes pulla atque unius coloris veste utebantur, sed superiorum ordinum viri trabeis, praetextis, togis pictis, tunicis palmatis aliisque discoloriis. pro *esse genus*, *omne genus* habet Cort. 3.

Cetera sordenti] *Certam* Voss. 3. pro *cetera*. sordens vultus est, cui omnia sordent: nisi mavis per ὑπαλλαγὴν referre ad animalia. certe *sordere* dicuntur, contemta plane & fastidita. Virgilius Ecl. II. 43.

Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat,
Et faciet; quoniam sordent tibi munera nostra.

Hunc versum simul cum sequentibus in hac fabula, imo priores ex fabula sequenti usque ad versum 15. omisit B.

Damnans] C. 1. Col. 1. *clamans*. *damnare* hic est contemnere, Lucilius apud Nonium, versus ita legendi

Cassiu' Caius hic operariu' quem Cephalorum
Dicimu', sectorem, Furiumque. Hunc Tulliu' quidam
Index heredem facit, & damnati alii omnes.

Nobilitatis erat] Malo *nobilitatis ovat*.

Hunc arguta] Vulpes *arguta* dicitur ob argutias, id est solertiam, ingenii acumen & sales in loquendo. Plaut. in Pseud. II. 4. 56.

Num argutus est?

id est ingeniosus. Cic. in Bruto c. XVII. de Catone majore. *Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior?* argutus autem dicitur ob brevium sententiarum acumen. *argutam & brevem sententiam* dixit Auctor dial. de Oratore c. XX. atque ita *arguta meretrix* Horat. I. Serm. X. 40. Apulej. Metam. I. *Nam & forma scitula, & moribus ludicra, & prorsus argutula est.*

Novo] Atqui non novus hic pardi amictus est, sed vetus a natura datus. novum ergo accipe mirabilem, egregium, praeclarum. Horat. II. Serm. 4. 1.

Unde & quo Catius? non est mihi tempus, aventi
Ponere signa novis praeceptis, qualia vincant
Pythagoram.

atque hunc Virgilii morem in usur-

Corripit, & vanas approbat esse notas.
Vade, ait, & pictae nimium confide juventae,
Dum mihi consilium pulchrius esse queat.

Mi-

usurpanda hac voce notat Servius ad AEn. III. 365. Donat. ad Terent. Eun. II. 3. 25. *laudis genus est, nova.* adde Gron. Diatrib. Stat. c. VI. Desinit hic Cort. 3. spatiumque relinquit vacuum, quantum fabulas sequentes capere queat.

Gaudentem vulpis] *Vulpis* aperte praeferunt C. I. 2. Col. I. 2. Voss. 2. Cort. I. idque probamus ob versum. diximus de hac terminatione supra fab. VI. 9. Batavus autem, ut solet, nimis religiose ut versui medeatur, ita legit,

Hunc arguta novo vulpes dum gaudet amictu.

tametsi certum est Avianum ex more saeculi sui forte non defugiturum fuisse auctoritatem correptae ultimae in *vulpes*, de quo more antea fab. XXXV. 14. monuimus, atque idem ut doceat Barthius versum hunc Aviani, citat ad Stat. Thebaid. VI. 256.

Vanas] Unus *inanas* ex glossa, ut saepe.

Approbat esse notas] Edit. Lugdun. Genev. Batav. *comprobat:* mihi neutrum probatur. venit aliquando mihi in mentem hujus conjecturae,

& vanas quin premis iste notas.

hoc sensu: preme potius, id est tege ac tace istas maculas, & noli iis gloriari, dum es iste, id est, talis, tam nullius consilii fera. sic *iste* supra, fab. XXVI. 10.

Tu tamen his dictis non facis iste fidem.

ex correctione nostra. *notas* pro maculis dixit quoque Virgil. III. Georg. 428.

Atque notis longam maculosus grandibus alvum.

Vade, ait, & pictae] *Unde ait* Voss. 2. *Atque ait i pictae* Batav. sed nihil muto. sic fab. XXXVII. 15.

Vade ait, & meritis nodum cervicibus infer.

sed quid erit *picta juventa*? an *juventa* hic formam notabit & pulchritudinem? an vero ex Ovidio legemus *figurae*, is namque Art. Amat. II. 143.

Ergo age fallaci timide confide figurae.

sic Terent. Eun. II. 3, 25.

nova figura oris.

Sententiae convenit illud Virgilianum ecl. II. 17.

O formose puer nimium ne crede colori.

In Voss. 3. est *juventem*: & dubitavi saepius an hoc modo scripserit noster,

Vade ait, & picto nimium confidito ventri.

habet aliquid sordidi vox *venter*, & opponitur hic consilio seu animo ac menti. pertinet huc grave hoc Sallustii dictum in Catil. c. I. I. *Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant, veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia fingit, sed nostra omnis vis in animo & corpore sita. Pictus* autem recte hic pardi venter dicitur, id est maculis ac colore varius. Martial. I. 105. I.

Picto quod juga delicata collo
Pardus sustinet.

Virg. IV. Georg. 13.

picti squalentia terga lacerti.

Consilium] *Concilium* male Cort. I. haec saepe confusa. vid. Cort. ad Sall. Jug. c. XXIX. 5. *Consilium* hic mentem, rationem designat. Terent. Andr. III. 5. 2.

quandoquidem tam iners, tam nulli consilii
Sum,

Pul-

Miremurque magis, quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

Pulchrius esse queat] *Pulcrior* Voss. 3. *esse potest* P. *esse vides* Batav. sed his correctoribus non opus. vulgatae scripturae sensus hic est, i & confide tu corporis pulchritudini, dummodo ego possim habere mihi mentem pulchriorem. quasi dicat, facile tibi formam relinquo, dummodo tu mihi consilio ac sapientia cedas. Et tamen jurare non ausim, in postremis duabus vocibus corrupti nihil inesse.

Miremurque magis] Minime arguta est vulpis sententia, si haec adnexuit, quae si inducantur, damnum nullum aut noxam dabunt.

Adornant] *Adorant* Cort. 2. sed in margine *adornant*. idem *emicuere*, sed & hoc similiter correctum dein in *enituere*. vox ad pulchritudinem refertur. Virgil. Georg. II. 211.

At rudis enituit impulsi vomere campus.

Horat. II. Od. 8. 6.

enitescis
Pulchrior multis.

FABULA XLI.

Imber & Testa.

Impulsus ventis & pressa nube coactus,
Ruperat hibernis se gravis imber aquis.
Quumque per effusas stagnaret turbine terras,
Ex-

Ruperat] *Imperat* Ed. ant. sed admodum male. Verbum *rumpi* solenne est imbribus ac tempestatibus. Virg. IX. 669.

Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant: cum Jupiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem & caelo nova nubila rumpit.

Idem III. Georg. 259. *abruptas procellas* dicit, & *abruptis imbribus* Apulej. de Mundo pag. 73. Edit. Elmenh. & sic supra fab. XVI. 17. *Praeruptus nimbus*. Apulej. de Mundo pag. 67. *Tempestates inter se serenae hibernaeque confligunt, micant ignes, imbres rumpuntur.* *ruperat se*, id est rupta erat. iterum ex Virgilio I. Georg. 445.

Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi rumpent radii.

scita vero & propria est descriptio Imbris, quam ponit Avianus. nil discrepat Apulej. de Mundo pag. 61. *Raritas enim nubium stillicidia dispergit, quae concretae vehementius effundunt agmina largiora, & eas aquas quas imbres vocamus. a quibus hoc differunt nimbi, quod pluvia jugis est.*

Quumque] *Quoque* C. I. Col. I. *Dumque* Voss. 3. 4. sed vulgatum praestat.

Per effusas stagnaret turbine terras] Pugnare videntur *stagnare turbine*: illud enim quietem infert, hoc motum rapidiorem. Justin. XXXVI. 3. 6. *In ea regione lacus*

Expositum campis fictile pressit opus.
(Mobile namque lutum tepidus prius instruit aër,
Discat ut admoto rectius igne coqui.)
Tunc Nimbus fragilis perquirit nomina testae.
Immemor illa sui, Amphora dicor, ait.
Nunc

cus est Asphaltites, qui propter magnitudinem & aquae immobilitatem mortuum mare dicitur: nam neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur. forte corrector quispiam importunus hoc Virgilii respexit IV. Georg. 287.

effuso stagnantem flumine Nilum.

sed diversam hujus rationem esse paulo humaniores norunt. quocirca rescribo

Cumque per offusas regnaret turbine terras.

turbine per campos inundatos regnat flumen, cum obvia quaeque corripit, turbat, vastat. ita de igne Virg. II. Georg. 305.

Robora comprendit frondesque elapsus in altas
Per ramos victor perque alta cacumina regnat.

Ovid. Metam. VIII. 828.

furit ardor edendi,
Perque avidas fauces, inmensaque viscera regnat.

C. I. male *fusas*, sed probo unice *offusas*, quod crebro est mutatum in *effusas*; vide Gronov. IV. Observ. 6. Cuper. II. Observ. 6. denique Rittersh. Meursius, Schefferus, Heins. ad Phaedr. II. fab. 4. ad quem locum Cl. Burmannus illud Lutatii corrigit ad Stat. IV. Theb. 109. *Ostendit offundi solem & tempestates oriri.* ubi nunc legitur *effundi.* ita & oculi dicuntur *offusi tenebris*, Valer. Max. II. 7. 6.

infuso stagnantes aequore campos. Silius III. 48.

Dudum est, cum Aviani hunc versum ita emendarem

Cumque per offusos stagnaret turbidus agros.

sed alterum nunc praefero.

Expositum] *Positum* C. I. Col. I. *expositis.* Voss. 3. *exponere* est in aperto loco collocare. Flor. III. 2. 7. *Dum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus undique hosti exponeretur.*

Pressit] Id est oppressit, submersit, Ovidius I. Metam. 289. de diluvio Deucalionis

culmen tamen altior hujus
Unda tegit, pressaeque labant sub gurgite turres.

Mobile namque lutum] Duo hi versus parenthesi concludendi.

Immemor illa sui Amphora dicor] Sed quid illud tam horrendum, aut saltem tam invisum, quod se amphoram dixit, de qua Isidor. XIV. 25. Originum? aut quale denique id cognomen magnum, de quo vs. 15. quam malim esse testae aut operis figulini genus, quod pamphora diceretur, illud enim & nomine suo invidiam faceret, & simul in versu hiatum expleret, de quo tamen hiatu vide supra fab. XXVIII. 12. Sed videant alii me eruditiores. pro lectione tamen vulgata hoc dicere licet, fuisse amphoram ex fictili opere amplissimam. Horat. Art. Poët. 21. dicturus vas maximum, amphoram nominat

amphora coepit
Institui, currente rota cur urceus exit?

Pos-

Nunc me docta manus rapiente volumina gyro

Mol-

porro vino condendo maxime ea inserviebat Horatius I. Od. 3. 11. & III. 16. 33. Phaedrus III. I. quare & homines vinosos ac ποτιστάτους nonnullos Amphoras cognominarunt. De Xenagora Rhodio vid. AElianus Var. Hist. XII. 26. de Bonoso Vopisc. in Bonoso. c. XXV. Ad extremum fuit in mensurarum generibus praecipua, usque adeo ut ad eam ceterae mensurae exploratae fuerint: Quare & Jovi Capitolino justitiae praesidi, tanquam mensurarum normam consecrarunt Romani. Hinc vetus Poëta de Ponderibus & mensuris, quem alii Rhemnium Fannium dicunt, alii Priscianum censent,

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret
Sacravere Jovi Tarpejo.

Hanc amphoram Capitolinam nominat Capitolinus in Maximino c. XL. Non adsentior autem ad hunc locum Casaubono, qui cujusque generis mensuras istic servatas tradit. Ex una illa sacrata amphora, cujus solius meminit Poëta, ceterarum ratio facile fuit inita, dum minores mensurae in hac notatae fuerunt. Multo verò minus sequendi sunt illi, qui versum ita corrumpunt

Amphora fit cubus, quem ne violare liceret.

insigni errore ad cubum referentes, quod de amphora vere dixit Poëta. Videri ergo potest testa haec, amphoram se nominando, cum magnitudinem & firmitatem, tum & nobilitatem suam jactare. Pulchritudinem autem & artificium jactat in versibus sequentibus; ex his priorem ita legere malo

En ut docta manus.

Variant hic scripti & editi. Batavus legit *Et me docta*, Editio ant. *Nam me docta.* quod & in Ulmensi Editione se reperisse testatur Neveletus. Auctores hujus lectionis videntur significare voluisse originem atque etymon vocis amphorae, a rotundo atque obliquato molliter latere; a quibus tamen dissentiunt Etymologici Graeci, nec mirum, verius enim inde ἀμφίφερειαν, quam amphoram dixeris. Alii omnes *Nunc me docta:* sed ad jactationem aptum magis puto, quod dedi. quid sit *docta manus* diximus supra fab. XXIV. 12. sed ex posteriore versu alius implicatur nodus, & nova injicitur suspicio, non esse amphoram, quam memorat Poëta: quod latus ei dat molliter obliquum. cui quid tam contrarium, quam haec amphorae descriptio ex Rhemnio, nisi mavis Prisciano,

Pes longo spatio latoque notetur in anglo,
Anguius ut par sit, quem claudit linea triplex.
Quatuor ex quadris medium cingatur inane,
Amphora fit cubus.

atque hinc Festus *vas pedis quadrati* in *Quadrantal* describit. vid. Budaeus de Asse lib. V. init. Agricola de ponderibus & mensuris pag. 20. & 45. forte quis *latus molliter obliquum* de collo Amphorae accipiet gracili atque ore strictiori, sed paullatim diducti ac molliter extumescentis in ventrem quadratum, quod tamen responsum mihi parum satisfacit.

Volumina gyro] Pessime Editio antiqua *giro voluta.* Versus hi duo egregii sunt, atque elegantes, agilitatem figuli celeritatemque rotae, atque totius operis artificium venuste exprimentes, de quo Homerus Iliad. Σ. 599.

Molliter obliquum jussit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat constare figura:
Jam te subjectam diluet Imber aquis.
Et simul accepto violentius amne fatiscens
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.

In-

599. jucunde Apulejus Floridor. II. *teretem ambitum*, *pressulam rotunditatem* dixit.

Jussit habere] *Jussit abire* Cort. I. sed emendatum postea *habere*.

Hac, inquit, liceat constare figura] *Hanc inquit liceat constare figuram* Ed. Lugd. Genev. & Batav. sed magis placent antiqui libri. forte *licuit*, nisi κακοφωνίαν evitatam malis *inquit, licuit*.

Jam te subjectam] Ita edidi ex uno Voss. 2. ceteri omnes *Nam te subjectam*.

Diluet Imber aquis] Ita scripti omnes. *diluit* tamen editum a Lugdunensi & Genevensi nec non Neveleto & Batavis, atque ita correctum erat in Cort. 2. & sane praesens hic in re futura adhibitum facit multum ad significandam celeritatem instituti consilii, continuoque ad effectum perductas esse minas docet. ostendimus id supra. Pro *aquis*, *ait* est in C. I. 2. Col. I. 2. Voss. 2. 3. 4. Cort. 2. sed supra adnotatum *aquis*. quod unice probo. nam quorsum haec inficeta repetitio *inquit*, *ait*? imo non sine aculeo est *aqua* hoc loco. Dissolvam te multa jactantem facile, dicit Imber, etiam aqua, rerum omnium mollissima.

Pronior] *Protinus* Cort. I. Edit. Ant. Non hoc reprehendo, illud tamen magis probo; sive quod celeritatis notam habet, de qua Cl. Burmann. ad Ovid. Remed. Amor. 201. vel ad inferiora defluentis, ut *prona flumina* Avien. Descript. orbis 2. Ovidius Heroid. XVIII. 121.

ad te via prona videtur.
A te cum redeo, clivus inertis aquae.

similiter quod majore onere pressum subsidet. Tibullus ad Messalam 41.

Justa pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.

prona ergo amphora dicitur, cum undarum vi resoluta ac collapsa diffluxit in aquas.

In tenues] *Teneras* C. 2. Col. 2. *liquidis* Edit. Ant. hae glossae sunt, sed illud verum est, & saepe usurpatum Virgilio aliisque Poëtis III. Georg. 335.

Et tenues dare rursus aquas.

IV. 410.

aut in aquas tenues dilapsus abibit.

Ovidius VIII. Metam. 558.

dum tenues capiat suus alveus undas.

Victa cucurrit] *Ficta* Edit. Ant. *vita* Edit. Lugdun. Genev. & Batav. sed *victa* tantum valet. videor enim hic mihi Virgilium deprehendere, qui Georg. I. 180.

neu pulvere victa fatiscat.

Id est resoluta disturbetur ac diffluat. Ovidius Fast. II. 220.

Aut nive quae Zephyro victa repente fluit.

Fastor. III. 236.

Et pereunt victae sole tepente nives.

Propertius III. I. 62.

Annorum aut ictu pondere victa ruunt.

Adde Gifan. Ind. Lucret.

In-

Infelix, quae magna sibi cognomina sumens,
Ausa pharetratis Imbribus ista loqui.

*Haec poterunt posthac miseros exempla monere,
Subdita nobilibus ut sua fata gemant.*

Infelix quae magna] Ita in vetustis membranis, & impressis libris, nisi quod dissentiunt Lugdun. ac Genev. & Batav. *quia* probantes, quos non sequor. inepte Edit. Ant. *magne.* vehementer autem cupio pro *sibi*, *tibi* legere.

Sumens] *Sumis* B. L. male.

Pharetratis imbribus] Cur imber pharetratus? an quod non conglobatus in modum bullae stillas demittat, ut in pluvia fieri solet, sed extractos in modum sagittae aquatum radios jaculari solet? & forte Imber Deus hinc pharetratus fuit pictus fictusque, in Deorum enim numero hunc repositum cognoscimus. De eo sic Valer. Flac. I. 652.

quos caerulus horror,
Et madido gravis Unda sinu longeque secutus
Imber, ad AEoliae tendunt simul aequora portae.

Imber autem aut Jupiter ipse est, aut Jovis minister. Ennius apud Varronem lib. IV.

Isteic is est Jupiter, quem dico, Graeci vocant
AEra, quique ventus est, & nubes, imber postea.

hinc Ζεὺς Ὄμβριος dictus, vid. Pausan. in Attic. I. 32. Cort. 2. pro *Pharetratis* legit *foret tantis*, quod ipsum & sensum habet. Dicendum tamen est in antiquis omnibus & editis plerisque esse *nubibus* pro *imbribus*, soli namque Lugdun. Genev. & Batavus *imbribus* exhibent, idque huic loco magis convenire videtur.

Miseros posthac] Convertunt haec Nevelet. Lugdun. Genev. & Batav. legentes *posthac miseros*, nisi quod Lugdun. & Genev. *miseris* habent. equidem duos hos versus plane hinc eversos atque expulsos malo. *posthaec* praeferunt plurimi vetusti libri, praeter C. 2. Col. 2. & Cort. 2.

Monere] *Movere* Edit. ant. vid. supra fab. XXVII. 5.

Subdita] *Subjici* Ed. ant. pessime.

Ut sua fata gemant] *Ne sua fata gemant* Ed. ant. convenit huic Ennii, quod Phaedro IV. 25. & Festo in *mutire* memoratur

Palam mutire plebejo piaculum est.

Ceterum *ut gemant* si legas, monet tacite potius mala gemere, quam aperte proloqui. Sed taedet his librariorum, aut magistrorum logis immorari. Lugdunensis, Genev. & Batav. ediderunt *facta gemant*, male. de permutatione harum vocum dixi supra fab. XXIII. 11.

FABULA XLII.

Lupus & Haedus.

Forte Lupum melior cursu deluserat Haedus,

Pro-

Forte lupum melior cursu] Ex imitatione Horatii, ut puto I. Epist. 10. 34.

Cervus equum melior cursu communibus herbis
Pellebat.

de-

Proxima vicinis dum petit arva casis.
Inde fugam recto tendens in moenia cursu
Inter lanigeros constitit ille greges.

Im-

deluserat Voss. 2. male

Dum petit] Uter lupus an haedus? solet autem personas minus diligenter pronominibus distinguere noster. Si haedus: cur non is potius casam ipsam, locum tutissimum, quam primum arva vicina, deinde urbem petiit? quae mora & longinquitas utique maximum periculum creabat. Quare haedum si in hoc versu intelligimus, repono *terit arva*, ut *terere iter, viam*, quae frequentia sunt Poëtis. vide Virgil. Georg. I. 380. unde *Appiam terere* Horatius Epod. IV. 14. *terere ripas* Ovidius Amor. III. 6. 53. Cicero in Arat. sub initio

Jam caeli mediam partem terit.

olim sic emendabam

Proxima vicinis carpit ut arva casis.

sic *carpere hortum* carmen Phal. XXVII. & LXXII. Sin lupus intelligitur, rescribere malo

Proxima vicinis turbat ut arva casis.

sic *turbare* de feris praedatoribus fab. V. 12. Voss. 3. *petiit* pro *petit*. C. 2. Col. 2. pro *casis*, *cavis*: utrumque vitiose.

Inde fugam recto] *Recta* Ed. ant. male. Virgil. VI. Aen. 900.

Tum se ad Cajetae recto fert littore portum.

tendere fugam dicit, ut supra fab. III. II.

Inter lanigeros adstitit ille greges] Melius & Editiones & Palatin. *constitit*. NEVELETUS. Sic & edidit Neveletus, atque ante eum Lugdunensis: secutus & Genevens. & Batav. & sane *consistere* notat, fugae atque itineris finem facere. Virgilius I. AEn. 632.

Me quoque per multos similis fortuna labores,
Jactatam, hac voluit demum consistere terra.

Ovid. I. Fast. 489.

Passus idem Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus, in Aonia constitit exsul humo.

V. Fast. 95.

Quo postquam ventum; Consistite, praescia mater,
Nam, locus imperii, rus erit illud, ait.

& mox v. 98.

Inque peregrina constitit hospes humo.

sed & recte *adstare*, quod plures libri vetusti confirmant, sive pro consistere ex fuga, ut Virgilius I. AEn. 304.

volat ille per aëra magnum
Remigio alarum: ac Libyae citus adstitit oris.

vel pro stare, Propert. IV. 6. 29.

Adstitit Augusti puppem super.

& IV. 10. 31.

Forte super portae dux Veïus adstitit arcem.

Virg. Georg. III. 545.

attoniti squamis adstantibus hydri.

Avienus Descript. Orb.

Hic adstare procul Bacchi fert fama Columnas.

Sed quid greges lanigeri in Urbe? Scio Romuli aetate, cum pasceret proprias ipse senator oves, balantum greges, unde & Palantium urbs creditur dicta, intra moenia stabulatos. Sed illius aetatis non sunt hae fabu-

Impiger hunc raptor mediamque secutus in urbem,

Ten-

lae, quae cum ad captum simplicium ingeniorum fingerentur, non repetitae sunt ex antiquitate remota & abscondita, sed ex rebus vulgatis & obviis arripiebantur. Haec autem atque alia dum cogito, saepenumero mendae errorisque suspicio subiit. Et forte verum est, quod in tribus membranis B. L. & Voss. 2. inveni *laurigeros*, nam hoc si recipimus, intelligimus hos greges sacros fuisse atque arae ornatos vittis & corollis. vide supra fab. xxxvi. 11. atque ob id mox vs. 10.

Hei mihi vittata tu quoque fronte cades.

Inde & locum intelligimus, quo stetit a fuga haedus, & cur eum letalem huic dixerit lupus: templum enim fuit, in templis autem mactandae atque immolandae stabant victimae. Templum autem designasse hic Poëtam paret ex vs. 7.

Nonne vides, inquit, sacris ut victima templis.

atque ita plane fabula Graeca ccxxxii. AEsop. Λύκος ἄρνον ἐδίωκε, ὁ δὲ εἰς τὸ ἱερὸν κατέφυγε. *Lupus agnum insequebatur, at ille in templum confugit.* Quid si autem versum Aviani in eandem sententiam ita conformes,

Inter laurigeros adstat in aede greges.

vel *adstitit aede greges.* plane convenit Prudentius contra Symmachum 1. 217.

Laurigerosque Deum templis adstare ministros.

Ovidius Fast. iii. 861.

Et soror & Phryxus velati tempora ramis
Stant simul ante aras.

Inde in monumento, quod praeter Pighium in Annal. ii. pag. 378. ad Annum V. C. dlxxxv. publicavit Reines. Inscript. iv. 2. & Graev. ad Sueton. in Caes. c. xx.

V. K. APRILEIS
FASCES PENES AEMILIUM
BENE MANE SACRIFICAVIT AB
APOLLINIS
OVE FECIT LAUREATUS

Greges autem in templis mactandos ne mirare, sed potius hecatombas cogita, & hoc Valerii Flacci 1. 90.

niveique greges altaria cingent.

quae verissima est Cl. Burmanni emendatio. Arnobius pag. 97. Edit. Plant. *Cum tantos & tam innumeros colatis Deos, cumque illis aedes constituatis sacras, simulacra effingatis ex auro, animantium mactetis greges.*

Impius] Edit. ambae cum Palat. & Pulm. Codice *impiger.* Quid si

Imminet huic raptor, mediamque secutus in urbem.

Neveletus. Edidit Neveletus, ut & Pithoeus & Pulmannus *impius*, quae scriptura si vera est, sic dicitur lupus, quia tentavit a sacris atque ab aris haedum, quo confugerat, abductum lacerare. Sed librorum excerpta tantum non omnia, quibus utor, *impiger* habent, ut C. 2. Col. 2. Voss. 2. 3. 4. Cort. 1. 2. B. L. M. a quibus nil discrepant Lugdunens. Genev. Batav. idem innuit C. 1. in quo est *inpinger.* Impiger autem lupus est alacer, atque indefessus in persequendo. Sed utro modo legas, redundabit copula *que*, ut adeo probanda videatur emendatio Neveleti, tametsi *imminere praedae* aliter dixit Seneca in Oedip. 95.

Cum.

Tentat compositis sollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis
Im-

Cumque e superba rupe jam praedae imminens.

Octavia 420.

tecta defendit suis
Aliena telis, aut petiit praedae imminens.

Sed an dicemus παρέλκειν hic *que*, quod in Virgilio aliquoties notavit Servius, vid. ad AEn. XII. 103. atque in aliis locis: adde Gronov. ad Pomponium Mel. in Prooem. n. 8. At vero qui loca haec evolvet, facile discrepantiam hujus & illorum inveniet. in ipsis quoque antiquis titulis haud raro abundat *que*, praesertim in formula hac vulgata *& sibi & posterisque*. vid. Salvini Inscript. Hetrur. Part. II. pag. 87. Quid si rescindamus hinc *que*, ut supervacuum tibicinem fulciendo versui inepte a sciolis excogitatum, de quo horum commento vid. Pier. ad Virg. Georg. I. 4. & 185. quid enim prohibet, quominus *sequutus* (sic namque nonnulli veterum scripserunt, vid. Dausq. in *loquor*. & Marius Victorinus de art. Gram. pag. 2460. Edit. Putsch. Terentianus de Syllabis pag. 2399.) in quatuor distrahamus syllabas, quam *aqua* in tres, *reliquus* in quatuor, de quibus Vossius de Art. Gram. I. c. 18. & Gifanius Indic. Lucret. in *reliquus*. adde Velium Long. de Orthogr. pag. 2235. sic *cuique* trisyllabum Prudentius contra Symmach. I. 236.

Omnibus ante pedes posita est sua cuique sordens
Arula.

& II. 89.

suus est mos cuique genti.

adde Heins. ad Hamartag. 105. similiter *namque* in antiquo monumento apud Fabrettum pag. 188. n. 431.

NAMQUE SEU REBUS FUERIM DISTRICTUS AGENDIS.

Imo in promtu quoque sunt, quae pro Bedae sententia disputari queunt, docentis in libro de Metris, *vocalem brevem, quae q & u & vocali qualibet exciperetur, priscos Poëtas voluisse esse communem*. Sed metuo ne arguta nimis haec diligentia ad constituendum hunc Aviani versum videatur. *Raptor* & *praedo* insignia sunt lupi nomina; Gebhardus in Crepund. II. 6.

Sollicitare] Vid. supra fab. XXVI. 8. hoc loco significat inducere, persuadere, commovere. neque enim notat tantum attentare, & ut ex glossa in fabulam XXVI. irrepsisse ostendimus, fallere velle, sed & tentata perficere, atque in partes suas aliquem adducere. Sallust. Cat. c. XXV. *Per eas se Catilina credebat posse servitia Urbana sollicitare.* Cic. Catil. IV. c. 8. *Quare si quem vestrum forte commovet hoc quod auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperare sollicitari posse animos egentium atque imperitorum.* Florus II. 20. 4. *Aristonicus regii sanguinis ferox juvenis, urbes regibus parere consuetas partim facile sollicitat: paucas resistentes, Myndon, Samon, Colophona vi recepit.* III. 5. 21. *Iberi, Caspii, Albani & utraeque sollicitantur Armeniae.* Fallitur ergo Torrentius, qui nove ita a Suetonio usurpatum existimat in Galb. c. V. *Quae maritum quoque adhuc, necdum caelibem, Galbam adeo omnibus sollicitaverat modis.*

Cunctis ut victima templis] Praestat legere *Sanctis ut victima templis*,

Immerita pecudum morte cruentet humum.
Quod nisi securo valeas te reddere campo.
Hei mihi! vittata tu quoque fronte cadis.
Ille

plis, in multis locis vocem *cunctus* Poëtae nostro obtrusam reperimus. vid. fab. VIII. 7. XXIX. 30.

Immerita pecudum] Palatinus,

Immitem propera morte cruentat humum.

NEVELETUS. Quot Codices totidem discrepantes fere scripturas hic advertas. *Immeritaque gemens* A. cui adstipulantur Edit. Lugdun. Genev. & Batav. *Immeritam propria* Cort. 1. *Immitem ire gemens* Voss. 2. *Immitem propria* Cort. 2. *in meritam serva* Ed. ant. *Immitem revomat* C. 1. Col. 1. *Immitem redimens* C. 1. Col. 1. *Immitem regimens* B. L. inter quos tamen Codices pax ulla est, ii conspirant in hanc lectionem *immerita pecudum*: ex horum itaque aliorumque nonnullorum vestigiis ita emendandum censeo hunc versum

Immerita pecus hoc morte cruentet humum.

per *pecus hoc* intelligit oves seu pecus laurigerum in templo dicatum aris.

Cruentet] Hoc malo quam *cruentat* ex B. L. Cort. 2. Voss. 2. Palatinus, quo usus Neveletus, quibus adnumeranda Edit. Ant. *hymum* pro *humum* scripsit Voss. 2. convenit huic loco illud Hieron. adversus Symmach. ad Valentin. *Quid me casto quotidie gregis innoxii sanguine cruentatis?*

Quod nisi] *Quam nisi* C. 2. Col. 2. *Quodsi* Edit. ant. sed non sollicitanda est aliorum librorum scriptura: *quod* hic redundat, ut saepe in *quod si*. Corn. Nepos in Hannib. c. 1. *Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset*. Virg. 1. Georg. 155.

Quod nisi & assiduis terram insectabere rastris.

Ovid. Remed. Am. 767.

Quod nisi dux operis vatem frustratur Apollo.

sic *quod utinam* Terent. Phorm. I. 3. 5.

Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset.

eodem sensu *quod ut* Virg. X. AEn. 631.

quod ut o potius formidine falsa
Ludar.

vid. Manut. ad Cicer. VIII. Fam. ep. 14. qui tamen *quod* per sed exponit, & in Verr. II. 26. IV. 66. Perizon. ad Sanct. Min. IV. 5. 9. Gronov. ad Liv. XXVII. 7. Duker. ad Flor. IV. 2. 81.

Valeas te reddere campo.] Forte *properes te reddere campo.*

Hei mihi] C. 1. B. L. Col. 1. *Et mihi* Cort. 2. quod recepit inepte Batavus: ortus error ex nonnullorum consuetudine *ei* scribentium pro *hei*, inde Cyrilli glossae *Ei mihi*, οἴμοι. & sic in aliena caussa *Hei mihi*. Virgil. II. AEn. 274.

Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore.

Epistola Ulyx. ad Penel. 73.

Vidi, nec lacrymas oculi tenuere cadentes
Deformem Atriden, Hei mihi, caede nova.

editi & scripti ceteri *Hei mihi* habent.

Vittata] *Mactata* Edit. ant. inepte. victimarum frontem & cornua vittis ornata fuisse vulgatum est.

Cadis] Sic C. 1. B. L. Voss. 2.
id

Ille refert: modo, quam metuis, precor, exsue curam,
Et tecum viles, improbe, tolle minas.
Nam sat erit sacrum Divis fudisse cruorem,
Quam rabido fauces exsaturare Lupo.

Sic quoties duplici subeuntur tristia casu,

Ex-

id est confestim cades, vid. fabulam superiorem vs. 12. ceteri Codices praeferunt *cades*, quod & omnes ediderunt. De hoc sacrorum verbo vid. Brisson. I. formul. pag. 17. Adde Propert. II. 15. 14. IV. 6. 2.

Modo] *Tu modo* Ed. ant. vitiose.

Quam metuis] Est cognatus accusativus.

Exsue curam] *Exime* C. I. 2. Col. I. 2. M. L. Voss. 2. 3. 4. Cort. 2. Sed verbum *exsuo* frequentius ad affectus mentis transfertur. Martial. X. 30. 3.

Et inquietas fessus exsuit curas.

Virg. IV. AEn. 318.

& istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exsue mentem.

Ovid. I. Metam. 622.

non protinus exsuit omnem
Diva metum.

Juvenal. XI. Sat. 188.

Protinus ante meum, quidquid dolet, exsue limen.

similiter *exuere hominem*, *exuere feram* transfertur ad animum. Cuper. Observ. I. 8. & Drakenb. ad Sil. XIII. 120.

Et tecum] Sic cum indignatione *tecum*. vid. supra XXXVII. 17.

Tolle minas] Sic supra fab. XX. 9. sed anne huic loco convenientius *tolle metus?*

Nam sat erit] *Namque malo* Edit. Ant. unus *Nam poterit*, glossam olet, pro potius erit. Batavus *Nam satius*. Quod non reprehendo, si ex vetustis libris est repetitum; nostra quidem excerpta omnia reclamant. *Sat erit* supple magis, sic *proderit* supra fab. XXXVI. 15. ubi vide notas nostras.

Sacrum] Dis sacratum, qualis est cruor victimarum. vid. supra.

Quam rabidi fauces] Satius ait Pulmannus,

Quam rabido fauces exsatiare lupo.

lectionem illam reperi in Editione Ulmensi & altera veteri, nisi quod *exsaturare* habent. NEVELETUS. *Rapido lupo*. Voss. I. 2. 3. Cort. I. 2. B. P. Edit. ant. quam probant uno ore Lugdun. Genev. Nevelet. Batav. casum hunc tertium laudo, non etiam vocem *rapido*, tametsi non me fallit hoc Tibulli II. I. 20.

Neu timeat celeres segnior agna lupos.

praestat enim, ut puto, hoc loco, ubi de exsaturanda lupi fame, quam improbam dicit Phaedrus seu insatiabilem, *rabidum* nominare, atque id ipsum in Editionibus suis priscis invenit Neveletus, & nos in Excerptis C. I. Virg. IX. AEn. 63. de lupo.

collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccae sanguine fauces.

rapidum & *rabidum* millies confusa deprehendimus, quod & in notis nostris passim ostendimus.

Exsaturare] Expressi scripturam librorum priscorum, nam Editiones recentiores, ut Lugdun. Neveleti, Genev. Batav. *exsatiare* probant, id quod nec mihi improbatur.

Duplici subeuntur tristia] Ita

Expedit insignem promeruisse necem.

MSS. plerique omnes C. 1. 2. Col. 1. 2. Voss. 2. 3. 4. Cort. 1. 2. neque aliter ediderunt Lugdun. Genev. & Batav. respicit huc Ed. ant. dum exprimit *subeunt.* pauci scripti, sed plures editi, ut Neveletus & Pithoeus *subduntur.* in B. & L. *subtrahitur.* P. *suberit duplici. Subire* in re periculosa, ac dubia usitatissimum. de voce *duplici* vid. ad fab. XXIX. 19. Pro *tristia*, *tristicia* est in B. L. P. *tristissima* Ed. ant. Si & hic epilogus simul cum multis aliis recideretur, equidem illum non desiderarem, & habet sane distichon proximum epilogi sententiam.

FINIS.




HEN-

HENRICI CANNEGIETERI DISSERTATIO DE AETATE ET STILO FLAVII AVIANI.

Cap. I.

Avianus a librariis, & ludimagistris, pessime habitus. Gyraldus, Pithoeus, Petrus Rigaud, Joannes Tournes, aliique Editores fabularum harum notati. Male earum auctor Avienus vocatur. Neveleti, Barthii, Pulmanni lapsus. Dissertationis hujus partes proponuntur.



Nter Scriptores Latinos haud facile ullus dabitur, qui aut ab antiquis librariis & ludimagistris pejus, aut inde a renatis litteris negligentius sit habitus, quam hic, quem nunc edidimus, Flavius Avianus. De flagitiosa illorum audacia dein opportunior dicendi locus erit, cum de Stilo Aviani disputabimus. Ab his autem, qui nostra, aut parentum avorumque memoria Poëtam illum descriptum nobis prodiderunt, aut quidquam de eo commemorarunt, diverse peccatum animadvertimus. Alii namque alienum nomen, alii alienos foetus huic supposuerunt. Lilius Gregorius Gyraldus in Dialogis de Poëtis Latinis *Avienum* nominat. Hunc sequitur Pithoeus, qui & in Epigrammatibus, seu Catalectis veterum Poëtarum, reliquis Rufi Festi Avieni Carminibus has Fabulas subjungit. Post illos autem plerique omnes, qui aut ediderunt hunc Poëtam, aut in scriptis suis ejus meminerunt, non dubitarunt eodem illum nomine insignire, atque ei hoc opus vindicare. Quo in numero sunt Petrus Rigaud, qui eum Lugduni 1607. primus, ut sibi visus est, quantumvis imperite, edidit. Joannes de Tournes repetiit eum Genevae 1628. ineptus in eo, quod Rigaltii illius, ut videtur, praefationem nequaquam conve-

nientem suae Editioni praemisit. Hos excipit Petrus Melian, qui ex Bibliotheca Ramiresii de Prado cum reliquis Avieni operibus has fabulas vulgavit Madritti 1633. Batavi quoque Editores, qui cum selectis AEsopi fabulis Graecis has Latinas conjungere solent, *Avieni* nomen inscribunt. Neque aliter Michael Maittaire in Phaedri Editione Londinensi anni 1713. cui appendicis loco praeter fabulas quasdam Graecas & Latinas ex multis scriptoribus collectas, *Avieni AEsopicarum fabularum liber unicus*, ut appellatur, *adjicitur*. Hos Editores sequuntur longo agmine Viri docti omnes, qui fabulas illas in suis operibus allegant. Inter quos haud temere ullum invenias, qui non *Avienum* auctorem laudet. Horum nomina recensere nil attinet. Contra vero *Anianum* alii, alii *Avianum* scribunt, de quibus singulis accuratius deinceps a nobis dicetur cap. VII. Illud hoc loco non omittendum, Neveletum, qui subdubitans, & Barthium, qui plane & aperte *Avienum* & *Avianum* distinguendum monet, in eo tamen labi, quod multos huic adscribunt versus, non ab ipso profectos, sed a librariis ineptisque Ludimagistris temere infartos. Nam quod ad Pulmannum attinet, is quidem ex tribus Codicibus antiquis, quos inspexit, *Avianus* edidit, attamen quia ex Gyraldo vitam Avieni his fabulis adnectit, haud obscure ostendit, sibi illorum probari sententiam, qui ad *Avienum* has fabulas referunt. Adversus hos, modo diverso injurios in Avianum, ita Disputationem nostram instituemus atque ordinabimus, ut primo loco doceamus, falso tribui *Rufo Festo*, sive ut Sponius Miscellaneorum eruditae Antiquitatis pag. 99. & Fabrettus Inscriptionum cap. I. pag. 507. legendum suspicantur *Rufio Festo Avieno*, has fabulas. Deinde *Aviano* eas vindicabimus, ejusque saeculum investigabimus. Extrema haec opera erit, ut spurios versus a legitimis distinguamus, stilumque Auctoris ab injuriis & calumniis Neveleti Barthiique liberemus.

CAP. II.

Vossii sententia rejicitur, nec non Prologi Rigaltii, cujus & error notatur. Non Livius Andronicus, sed Livius Historicus carmine jambico redditus ab Avieno. Editores fabularum harum decepti auctoritate Gyraldi & Vossii. Laus Jo. Alberti Fabricii. Avieni plures scriptis clari, & frustra unius omnia censentur. Monumentum vetus exponitur. Avieni

plu-

plures Poëtae. Qua in regione potissimum viguerunt Avieni. A Sponii sententia disceditur. Proles sobolesque *cui Avieno peculiaris locutio. Iterum Sponii sententia tentata. Musonii plures & unde dicti. Avienus Macrobii diversus ei, quem Servius citat. Hic Avienus Christianus fuit. Ei Lucae Euangelium notum. Servii titubatio. Aliud Avieni Christiani carmen. Φαινομένων auctor Mosen imitatur, non tamen ob id Christianus.*

IN tanta autem Virorum doctorum multitudine, qui de hoc Poëta quidquam prodiderunt, quod merito mireris, nemo est, qui aut rationibus, aut aequalium posterorumque scriptorum testimoniis, aut denique vetustorum librorum auctoritate commotus, Avieni nomen ei vindicet. Nam quod Gerhardus Joannes Vossius de Historicis Latinis libro II. c. 9. inde „ Avieno fabulas tribuit, quia & hae & reliqua Avieni scrip„ ta unius hominis ingenium sapiunt, qui gauderet aliorum „ inventa Latinis numeris reddere „ leve admodum est, nec gravius judicium Prologi in Editione Rigaltii, sive Petri Rigaud; „ quod videtur Avienus operam posuisse in omnis ge„ neris fabulis explanandis, quarum aliae pertinent ad cor„ pora coelestia, ut Arati. Aliae ad Heroës, ut Virgilii & „ Livii Andronici. Tertium genus ad bruta animantia, ut „ AEsopi. „ Cujus & is praeterea error est notandus, quod Livium, ab Avieno carmine jambico redditum, accipit Livium Andronicum, scriptorem Tragicum. Enimvero unde constat, ejusdem Avieni omnia esse, quae hodie plurima ejus nomine circumferuntur, atque ex antiquorum monumentis producuntur? Haud ignoro Virorum doctissimorum suffragia hac in re tulisse Gyraldum & Vossium; sed metuo, ne, ut in sententia de Aviano, ita etiam in hac caussa, horum illi auctoritate abrepti magis, quam investigatione veri, in opinionem eam adducti fuerint. praesertim cum post illos duos nemo extiterit, qui in vitam & scripta Avieni, aut dicam potius Avienorum, diligentius inquisivit, nisi forte Petrus Melian hanc sibi operam sumsit in Editione Madrittensi, in qua complexus est scripta omnia, quae Avieni nomine venditantur. Mihi quidem inspicere non contigit Editionem hanc, discrepantes tamen inde lectiones mecum Jo. Albertus Fabricius communicavit, Vir non stupenda doctrina atque industria, quam admirabili humanitate in adjuvandis litteratorum conatibus clarior: Quem & puto in Bibliotheca sua Latina

non praetermissurum fuisse, siquid in hoc genere a Meliano animadversum invenisset. Orbis terrae atque Orae maritimae Descriptionem ab eodem Avieno profectam, dubitandum non est, & ipse Poëta locupletissimus testis sub initio Descriptionis orae maritimae, vide infra cap. VI. in fine. De reliquis autem operibus cur ambigam, multa movent. Ex his pauca accipe, omissis potissimum iis, quae de nominum ratione, & diversitate per haec tempora disputari queunt. Plures Avieni per Theodosiorum saecula, quibus vixisse putatur carminum auctor, honoribus, dignitate, Poëticae laudibus & filiorum numero floruerunt. Primo id cognoscitur ex monumento antiquo, quod descripsit Sponius Miscellaneorum Eruditae Antiquitatis pag. 99. & Raphaël Fabrettus in Inscriptionibus antiquis, quae in aedibus paternis adservantur capite X. n. 507. pag. 742. Janssonius quoque ab Almeloveen id subjunxit Amoenitatibus suis Theologicis pag. 34.

R. FESTUS V. C. DE SE AD DEAM NORTIAM
FESTUS MUSONI SUBOLES PROLESQUE AVIENI
UNDE TUI LATICES TRAXERUNT CAESIA NOMEN
NORTIA TE VENEROR LARE CRETUS VULSINIENSI
ROMAM HABITANS GEMINO PROCONSULIS AUCTUS HONORE
CARMINA MULTA SERENS VITAM INSONS INTEGER AEVUM
CONJUGIO LAETUS PLACIDAE NUMEROQUE FREQUENTI
NATORUM EXULTANS VIVAX ET SPIRITUS OLLIS
CETERA COMPOSITA FATORUM LEGE TRAHENTUR
SANCTO PATRI FILIUS PLACIDUS
IBIS IN OPTATAS SEDES NAM JUPPITER AETHRAM
PANDIT FESTE TIBI CANDIDUS UT VENIAS
JAMQUE VENIS TENDIT DEXTRAS CHORUS INDE DEORUM
ET TOTO TIBI JAM PLAUDITUR ECCE POLO

Ex quo porro lapide verosimile fit, non parentem tantum R. Festum, sed & filium Placidum fuisse Poëtam; utriusque enim hic versus memorantur. Alterius autem Avieni meminit Sidonius Apollinaris lib. I. Epistol. 9. his verbis. *Avienus siquid poterat, in filiis, generis, fratribus provehendis moliebatur.* Ex quibus liquet, ut patrem, sic & ipsum complures Avienos dedisse. Alii hoc nomine insigniti ex Fastis facile petuntur, quibus adde Fabricii Bibliothecam Latinam libro III. cap. II. & lapides Gruterianos pag. 1144. n. 4. & Fabretti Inscript. pag. 57. n. 323. & 744. n. 522. qui Ameriae sunt eruti, quae urbs

urbs haud dissita longe est Volsiniis, unde R. Festus nomine, ut existimatur, Avienus, fuit cretus, id quod ipse testatur eo carmine, quod modo ex lapide conspeximus; quae res indicio est, per eum tractum viguisse Avienorum nomen & domum. In ea autem domo cum Poëta non unus, sed plures excelluisse videntur, quis non intelligit, temere carmina omnia, quae Avieni nomen praeferunt, ad unum revocari? Eadem tamen temeritate Eruditissimus Sponius Avienum Rufii Festi patrem carminum eorum omnium auctorem designat, rationem enim, cur ita sentiat, nullam addit. Quod si tamen in re incerta suspicioni locus est, non patrem Avienum Musonium, sed filium Rufum, vel ut Sponius mavult, Rufium Festum φαινομένων auctorem fuisse auguror. Siquidem illa locutio *suboles prolesque*, quae in monumento Rufio huic tribuitur, similiter in Arateis seu Phaenomenis invenitur, ita enim versus 370.

Ipsius autem
Subjectos capiti geminos tibi cernere fas est,
Spartanam geminos subolem, prolemque Tonantis.

Peculiaris autem & propria illi Festo Avieno videtur fuisse haec duarum vocum conjunctio, quae origine & significatione nihil differunt: mihi certe usque adhuc in aliis scriptoribus necdum occurrit. Huic adde titulum φαινομένων, quo in praestantioribus Editionibus Rufus Festus Avienus proscribitur. Duo priora haec nomina nil discrepant, aut certe perparum, a lapide. Non me fugit Sponium illum versum

FESTUS MUSONI SUBOLES PROLESQUE AVIENI

ita interpretari, ut subolem Musoni, & prolem Avieni distinguat, Festusque ille filius dicatur Avieni, sed ex posteris Musonii. Certe Musonium hic Philosophum Stoïcum intelligit Apollonii Thyanaei familiarem, occisum a Nerone. Neque equidem negaverim posse ad similitudinem illius versus ex Phaenomenis

Spartanam geminos subolem, prolemque Tonantis.

Festum videri maternum genus a Musonio ducere, paternum ab Avieno. Sed quid obstat, quo minus Musonium Avienum ejusdem hominis nomina fuisse dicamus? cui forte, ut Strategio, de quo Marcellinus libro XV. in fine, ob facundiam Musonii nomen est datum. An & eadem ex caussa nomen traxit Musonius Asiae vicarius, Rhetor quondam Athenis Atticis? de quo idem Marcellinus lib. XXVII. pag. 349. Sed nihil hic constituo, aliorum hoc esto arbitrium. Hoc tamen liquere puto, complures extitisse per hanc aetatem Musonios, ex quibus difficile est Festi patrem divinando ostendere. Tametsi autem ex iis, quae diximus, abunde constare arbitror plurimos fuisse Avienos, & nullo jure, quae multorum sunt,

sunt, in unum Avienum conferri, operae tamen pretium esse duco ad evellendam penitus opinionem, quae omnium animos diutissime tenuit, cetera in hoc genere persequi. Ad Macrobium ergo pergimus. Is variis in locis Avienum & Servium confabulantes inducit; sed ita confabulantes, ut Avieno, quasi discipuli, Servio Doctoris ac Praeceptoris partes tribuat. ita namque Saturnalium libro I. cap. 24. *Avienus, non assumam mihi, ait, ut unam aliquam de Virgilianis virtutibus audeam praedicare: sed audiendo, quaecunque dicetis, siquid vel de his mihi videbitur, vel jamdudum legenti adnotandum visum est, opportunius proferam: modo memineritis a Servio nostro exigendum, ut quicquid obscurum videbitur quasi litteratorum omnium longe maximus palam faciat.* & lib. VI. cap. VII. ubi Avienus adolescens dicitur, verecundans interrogare Servium de obscuris & dubiis, quoad tandem, confirmatus ab Eustathio, ita eum compellat: *dicas volo, Doctorum maxime.* Quin & idem Servius Symmacho lib. I. cap. XXIV. visus *priscos praeceptores doctrina praestare.* Quo magis autem teneram Avieni adolescentiam intelligas, eam excusandam habuit Macrobius, quod graviori Servii atque aliorum aetati interponeret, vide librum I. Saturnalium cap. I. Quae omnia quid arguunt, nisi hoc? fuisse Avienum, ut doctrina, ita aetate longe minorem Servio? Et tamen Servius in commentariis suis ad Virgilium AEneidos X. 272. & 388. Avieni meminit, non tanquam aequalis, sed se prioris & antiquioris. Illo namque in loco. *Et Stoïci dicunt stellas esse ultra 32. quarum nomina & affectus Avienus, qui jambis scripsit Virgilii fabulas, memorat.* ad versum autem 388. *Haec fabula in Latinis nusquam invenitur auctoribus; Avienus tamen, qui totum Virgilium & Livium jambis scripsit, hanc commemorat.* Porro ex his quaero: Quid opus hac demonstratione *Avienus, qui Virgilium & Livium jambis scripsit*, si Avienus is aetate Servii viveret, non doctrina magis, quam honoribus & majorum gloria conspicuus? Imo quid opus ea demonstratione, si unus tantum Avienus fuit, qui libros aut carmina scripsit? Contra vero anne ex his probabile est, alium esse Avienum Macrobio commemoratum, alium a Servio citatum? sed & Servii hunc Avienum diversum esse ab iis, aut si mavis, ab eo Avieno & posteris, qui in lapide Sponii & Fabretti memorantur, ex eo declaratur, quod nominati in lapide pagani fuerunt seu gentiles. Certe R. Festus Deam Nortiam praecipua religione coluit. Nam ita saxum illud

R. FESTUS V. C. DE SE AD DEAM NORTIAM
NORTIA TE VENEROR

eandem in filio sectam deprehendimus ex his ejus dictis ad patrem morientem

IBIS IN OPTATAS SEDES NAM JUPPITER AETHRAM
PANDIT FESTE TIBI CANDIDUS UT VENIAS
JAMQUE VENIS TENDIT DEXTRAS CHORUS INDE DEORUM
ET TOTO TIBI JAM PLAUDITUR ECCE POLO

At vero Avienus, cujus mentionem facit Servius, Christianus fuit. Hoc apparet ex iis, quae ex libro ejus de Cometarum differentiis adscripsit ille in commentariis ad Virgilii AEneid. x. 272. *Est vero alter Cometes, qui vere Cometes appellatur, nam comis hinc inde cingitur. Hic blandus esse dicitur. Qui si Orientem attenderit, laetas res ipsi parti significat: Si meridiem, Africae aut AEgypto gaudia. Si occidentem inspexerit:* (an *adspexerit*) *terra Italiae voti sui compos erit. Hic dicitur apparuisse eo tempore, quo est Augustus sortitus imperium. tunc denique gaudia omnibus gentibus futura sunt nunciata.* Quae extrema ad verbum reddita sunt ex his Angeli dictis, quae refert Lucas II. 10. Εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἥτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ. Non autem haec verba ab importuno aliquo Christiano adlecta videntur. Optime namque conveniunt iis, quae de natura & effectu stellae ante notaverat. Quandoquidem autem sententiam suam de ea exemplo confirmare voluit Avienus, necesse fuit tale adferre, quod res laetas, gaudia & votorum prosperitatem ex eventu doceret. Si quid tamen titubatum est in re ipsa atque historia, non video cur interpolatorum hoc potius, quam Servii culpae tribuatur, qui, dum a Christiana disciplina alienus fuit, mentem Avieni & verborum sacrorum sensum non est adsecutus. Christianismum quoque sapit Avieni V. C. epigrammation de agro suo ad amicos, editum a Pithoeo in Catalectis, seu veterum Poëtarum epigrammatibus, libro IV. pag. 187.

Rure morans quid agam, respondi pauca, rogatus.
Mane Deum exoro, famulos post arvaque viso,
Partitusque meis justos indico labores.

Cetera ex ipso libro cognosce. Grotius etiam ex Moyse hausta videri docet, quae Avienus in Phaenomenis versu 33. & 34. de sole & luna canit. Sed ineptus est, qui inde eum Christianorum sacris imbutum aut addictum fuisse arbitratur, praesertim cum multa alia ab iis abhorreant.

CAP. III.

Vossius porro urgetur. Latini Poëtae Graecos sunt imitati, integrosque versus & libros verterunt. Virgilius quos imitatus. Avienus Φαινομένων auctor len-

longius a Graeco fonte recessit. In περιηγήσει plures secutus. Cur fabulas scripserit Avianus? Quomodo priores imitatus.

VErum ad Vossium redeo. Quid si damus ei, id quod tamen nequaquam dandum, fuisse unum Avienum auctorem plerorumque omnium, quae hoc nomine feruntur, num tamen ob id etiam fabulae ejusdem Avieni erunt? Sed ait, „Sapiunt eae ejusdem hominis genium, qui gauderet alio„ rum inventa Latinis numeris reddere.„ Quasi vero Latini Poëtae omnes, certe praestantiores, Graecos non sint imitati. Virgilius ipse in Eclogis Theocritum, Georgicis Hesiodum, AEneide Homerum ita secutus est, ut integros haud raro versus ad verbum reddiderit. Quis tamen ob id ferat obtrudi huic Poëtae foetum, non aliam ob caussam, quam quod imaginem videat ex Graecis Poëtis expressam? Quin Hieronymus in Praefatione ad Eusebii Chronicon, *Vetus*, inquit, *iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii caussa Graecos Libros Latino sermone absolverent, & quod plus in se difficultatis habet, Poëmata illustrium virorum, addita metri necessitate, transferrent.* Quandoquidem autem multorum maximorumque inter Romanos virorum ea consuetudo fuit, ut ex Graeco fonte rivos suos non deduxerint tantum, sed & verbum de verbo, ut fidi interpretes, inde in sua scripta retulerint; vehementer ergo is erret necesse est, qui diversorum operum eundem esse auctorem sibi persuadet, quod ea ex Graeca Lingua in Latinam conversa advertit: praesertim si videt, discrepantibus ea auctorum nominibus non tantum insigniri, sed stilo etiam & scribendi ratione multum distare. De fabulis quidem, de quibus nunc agimus, eodem in loco, ubi eas Avieno tribuendas censet, testatur Vossius, in libris antiquis non *Avieni*, sed *Aviani* aut *Aniani* nomine inscriptas esse. Non debuit ergo argumentum a genio Avieni sumtum tantum valere, ut ob id vis fiat antiquis libris, & priscorum fides in dubium vocetur: praesertim cum is Genius non Avieni proprius fuisse intelligatur, sed plurimorum communis. Et tamen si Avienum, aut dicam potius Avienos ex iis scriptis aestimaveris, qui ad nostram memoriam pervenerunt, & cum aliis praestantissimis Romanae linguae auctoribus comparaveris, deprehendes puto, longius illos a Graecis auctoribus recessisse, quam alios. Exemplo sint Aratea praeter Avienum a Cicerone atque Germanico, Dionysii περιηγήσις a Prisciano Latine versa. pressius enim illi vestigiis Auctorum, quam hic inhaeret. De Arateis, quod diximus conferenti Phaenomena apparebit. De περιηγήσει Barthius monet Adversariorum libro XLVI. cap. 16.

In

In orae vero maritimae descriptione non unum imitandum sibi proposuit, sed apium more, flores quosque ad colligenda mella sua suavissimos delibantium, ex probatissimis multorum monumentis opus sibi construxit, quos sub initio libri, ne fucum aut furtum facere videatur, his recenset

Interrogasti, si tenes, Maeotici
Situs quis esset aequoris, Sallustium
Noram id dedisse: dicta & ejus omnibus
Praejudicatae auctoritatis ducier
Non abnuebam. Ad ejus igitur inclytam
Descriptionem, qua locorum formulam
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis paene in obtutus dedit
Lepore linguae, multa rerum junximus
Ex plurimorum sumta commentariis.
Hecataeus quippe istic erit Milesius,
Hellanicusque Lesbius, Phileus quoque
Atheniensis, Caryandaeus Scylax,
Pausimachus ille, prisca quem genuit Samos.
Quin & Damastus nobili natus Sige;
Rhodoque Bacoris ortus, Euctemon quoque
Popularis urbis Atticae, Siculus Cleon,
Herodotus ipse Thyrius, tum qui decus
Magnum loquendi est Atticus Thucydides.

Nil dico de reliquis carminibus, quae Avieni nomen praeferunt, Sirenum Allegoria, ad Flavianum Murmeicum. Integra enim esse non putamus, sed nonnulla deficere. In iis autem, quae remanserunt, frustra genium Avieni, alterius inventis gaudentem quaerimus. Ad fabularum opus quod attinet, auctor id suscepit, non quod in eo genere haberet viros, quorum ingenia ipse sequeretur; sed, ut ipse fatetur, quod rei tenuitas & licentia, quae ornatum omnem ipsamque veritatem spernerent, promtissimam scribendi facultatem ostenderent. Ipsos quidem priscos fabularum scriptores, quos diligenter recenset, non ut servum pecus, sed hactenus probat, ut personas non tantum novas haud raro fingat, sed & rei gestae rationem ex suo ingenio conformet. Atque inde, quod difficile esse ad Pisones suos Horatius scribit, communia quae erant, proprie dixisse intelligitur, publicamque materiam sui juris fecisse, non quidquam circa vilem patulumque orbem moratus. Quae quidem ratio aliorum inventa sequendi summis Romae viris ita semper fuit probata, ut Terentius elegantissimi ingenii Poëta, negligentiam eorum, qui illam tenerent, aemulari potius exoptaret, quam obscuram aliorum diligentiam, qui nova venditabant. Utique spatium me deficeret, & dissertationis justae modum excederem, si ostendere

re velim, quos ex Graecis, vel ex ipsis etiam Romanis imitati sunt hoc modo illi Linguae Latinae auctores, quorum scripta & olim commendata fuerunt, & hodie in maximo pretio habentur. Id, puto, ex iis, quae diximus, atque ex fabulis ipsis perspicuum est, parum acute vidisse Vossium, cum sibi visus Aviani ingenium ad ornanda aliorum inventa pronum in fabulis his XLII. deprehendisse ex eo, quod plures fuerunt, qui ante eum fabulas scripserunt.

CAP. IV.

Ceteri refelluntur, qui fabulas has Avieni dixerunt. Error eorum notatur, qui ex convenientia nominis eosdem homines arguunt. Avienum & Avianum confudit nominis affinitas. Cur a renatis litteris minus frequentatae Aviani fabulae. Trium Theodosiorum fama viros doctos decepit. Male Theodosius Aviani, Theodosius Imperator, male etiam Macrobius censetur. Gyraldus, Maittaire, Sirmondus, Vossius, Colomesius erroris insimulati. Ritus salutandi in epistolis & monumentis amicos, viros Clarissimos atque Imperatores.

SEd satis diu nos Vossius est moratus. Ceteri vero tametsi nullam aperte caussam dicunt, cur Avieno suo has fabulas adscribant, videntur tamen cum nominis convenientia, tum Theodosii aetate, cui auctor illas inscripsit, in eam sententiam adducti. At vero ea est nominis convenientia, ut aliquam tamen discrepantiam habeat. Nulli ex libris antiquis, quos aut ipse inspexi, aut amici nostri, qui excerptas lectiones ad nos miserunt, *Avienum* eum dicunt, sed aut *Avianum* aut *Anianum*. vide cap. VIII. Quid isti in suis libris invenerint nescio. Quia tamen omnes, quorum mihi copia fuit, in alia omnia discedunt, conjectura est, idem hic istis accidisse, quod alias crebro factitatum, ut scripta omnia idem nomen praeferentia, ejusdem hominis esse crediderint, atque ei publice adsignarint. Queritur ea de re Barthius atque alii saepe. Credidero autem eos, qui primi olim instauratis literarum studiis, has fabulas aut meminerunt aut ediderunt, quum in codice uno aut altero, dubiis litteris nomen Auctoris exaratum invenirent; Avieni memores, cujus scripta inter manus versabantur, ac fama captos persuasisse sibi, repertum esse nomen quod vere non repererant. Qui autem deinceps insecuti

sunt

sunt viri docti, nominis atque auctoris securi, quid liber, quam quid titulus ferret, experiri maluerunt: tametsi paucos has fabulas Lectores nactas esse puto, inde ab editis delicatiorum carminum operibus; praesertim quum sub limine mox foedissimae notae aliena manu inustae deterrerent. Neque vero de solo Aviano quicquam ultra, quam priores, laborarunt hi viri, sed etiam in constituenda aliorum Scriptorum aetate recensendisque eorum operibus maluerunt superioribus fidem adjungere, quam in verioribus inveniendis taedii multum multumque laboris perferre, quae objicere solet veri investigatio ex indiciis obscuris atque admodum tenuibus. Quare factum est, ut multorum Scriptorum aetates credamus hodie promtius, quam defendamus. Exemplo esse poterunt quae de Phaedri & Gellii temporibus infra disceptavimus cap. x. & xii. Ut autem illis, qui primi has fabulas Avieno tribuerunt, celebritas nominis hujus fraudi fuit, ita & Theodosiorum duorum, aut si mavis trium fama in similem eos errorem impulit, ut ex his Theodosiis unum in praefatione designatum arbitrati fuerint, quorum illustris est gloria. Duo ex iis Imperatores fuerunt, alter Arcadii Pater, alter filius. Fuit & Theodosius imperio clarus, cognomine Adramyttenus, qui Leoni Isaurico imperium tradidit. sed quia ille Avieni aetate inferior longe est, de illo non eos cogitasse puto. Tertius ergo Theodosius fuit Macrobius non eruditione ac scriptis, quam summis honoribus illustrior. Gyraldus enim, & qui eum sequuntur, inter quos & Maittaire in Dedicatione Editionis Phaedri ad Honoratissimum virum Johannem Baronem Carteret, Theodosium Imperatorem censent; utrum autem, majorem, an minorem non addunt. Contra vero Sirmondus in praefatione notarum ad Sidonium, nec non Vossius de Historicis Latinis libro ii. cap. 9. & Colomesius in Κειμηλ. litterariis cap. xxxviii. hunc Macrobium Theodosium existimarunt. At vero quae caussa est, cur alicui ex Theodosiis nobilissimis potius, quam alii amico ac privato hoc opus dedicarit? an ullum est indicium, Imperatorem aut Virum praestanti dignitate fuisse Theodosium hunc, ad quem libellus est missus? imo nullum. Non ergo est, cur his fidem habeamus. Imo vero quis credat, Avianum in eo opere, in quo suum nomen posteritati commendare studebat, tam familiariter, ne dicam abjecte de Principe, Viroque Clarissimo atque Illustri fuisse praefatum, ut nulla Imperatorii fastigii, nulla honorum mentione facta, detracto omni verborum, ad gratiam aut amicitiam lenocinio, nudum hominis nomen expresserit? Titulus enim simpliciter *Theodosio* inscribitur, qui mox *Theodosi Optime* salutatur. At vero utrosque hos, qui ita sentiunt, Romanorum consuetudo & saeculi atque auctoris

ingenium, nec non Avieni, cujus meminit Macrobius, & quem isti fabularum auctorem dicunt, verecundia refellunt. Quis enim simplicius unquam ad aequalem & parem, addo & inferiorem scripsit, non dico Theodosii temporibus, corruptis dudum ac projectis ex diuturna Imperatorum tyrannide in turpissimam adulationem populi Romani moribus; sed & libera Rep. atque eo tempore, cum

Moribus antiquis staret Romana Virisque
Res?

Cicero in epistolis iis, quas ad amicissimos & familiares scripsit, honores adjicit, non a senatu tantum & populo decretos, sed & militum acclamatione acceptos. Neque ea censenda est studiorum, officiorumque jactantia in Cicerone, aut vergentis in tyrannidem jam saeculi pravitas. Nam & ipsi illi, quos additis honorum titulis appellat Cicero, in suis eos epistolis adponunt: de Metello vide familiarium, quae vulgo sic dicuntur, II. I. & quid de Vatinio II. 9. de Planco X. 24. & Lepido X. 34. aliisque dicam? cum constet, Cassium & Brutum, sanctissimos ac summa modestia Viros, morumque pristinorum & libertatis avitae acerrimos vindices, quare & Romanorum ultimos dixit Cardus Cremutius, honores suos in epistolis adscripsisse? vid. Cicer. Fam. II. ep. 3. IV. 22. ipsumque Catonem ab hoc instituto non abhorruisse, vid. XV. 5. neque in epistolis tantum, quas ad amicos aut privos homines dabant, hanc consuetudinem tenebant, sed & in iis, quas publice ad Senatum Populumque Romanum mittebant. Exempla vide X. 8. & XI. 15. Quos ergo ipsi sibi modestissimi Viri, & more majorum, & bonorum exemplo, honorum titulos adscribebant, ii ab aliis utique non sine livoris ac rusticitatis suspicione in epistolis, nedum in publicis monumentis, in quorum numero jure referimus librorum praefationes, detrahi potuerunt. Utriusque autem criminis suspicio cum abest ab Aviano, aut ut illi malunt, Avieno, praefationis auctore; quae caussa est, cur Theodosium aut Imperatorem, aut Augustum aut Principem non nominet, aut titulum adponat, fastigio huic proprium ac tanta majestate dignum; in qua appellanda commendandaque non jam humanas, sed divinas laudes omnes cumulabant, exhauriebantque? Macrobium autem Theodosium si accipis, cur Viri Clarissimi atque Illustris honores non addidit Avienus, quos ipse Macrobius sibi adscripsit, eo in libro, in quo is verecundiam Avieni praecipuis laudibus commendat?

CAP.

CAP. V.

Imperator Romanus in epistolis aut monumentis non appellatus, nisi nota imperii addita. Non objicienda Plinii majoris epistola, quae jocosa est. Vorstius notatus. Antoninus Imp. a praefatione Justini submovendus. Trajanus Dominus salutatus. Alexander Severus Imperatoris nomen, non Domini litteris addi voluit. In epistolis ad Imperatores, secus ac ad privatos Imperatoris nomen praemittebatur.

NUllum modum fore video, si per omnia populi Romani saecula ire, & gliscentem in salutandis appellandisque principibus, primaque dignatione viris, adulationem ordine enarrare vellem. Hoc tamen liquido affirmare posse videor, nullum temere exemplum datum iri, quo privatus, non dico Theodosiis imperantibus, sed per omne illud tempus, quo Res publica Caesaribus aut Principibus paruit, citra offensam sine ullo verborum honore, & sine ulla principatus commemoratione, nudo gentis ac familiae nomine Imperatorem appellarit, sive in publicis monumentis, sive in epistolis. Inter insignia clementiae exempla de Vespasiano patre tradit Suetonius cap. xv. quod Helvidium Priscum, a quo privato nomine *Vespasianus* erat salutatus, inque praetura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmissus, servare maluit, quam occidere. Plinii Majoris praefationem mihi objici nolim, qua VESPASIANO SUO, ut scribit, suos Historiae Naturalis libros consecrat. Tota enim in ea jocosa est oratio, non ex more saeculi, aut animo Plinii instituta ac prolata; sed a Caesare ipso, quem unum ex omnibus ob admirandam comitatem, Amorem ac Delicias humani generis cognominatum accepimus, ad testificandam amicitiam, & in summo imperio aequitatem, revocandamque veteris commilitii, & castrensis contubernii memoriam, expressa. Quam sollicite autem, quam verecunde ad hos jocos, tametsi jussus, descenderit, multa declarant, quibus *petulantiam* hanc suam, imo *culpam*, ut ipse appellat, identidem excusat, non ignarus, ut addit, *in excelsissimo humani generis fastigio positum, religiose adiri etiam a salutantibus*. Male ergo hoc exemplo utitur J. Vorstius ad excusandam Justini impietatem: (nam hoc nomen crimini fuit, ut puto, si quis minus reverenter Principem appellasset.) qui in praefatione ita scripsisse existimatur.

Quod ad te Imp. Antonine non tam cognoscendi, quam emendandi causa transmisi. Quanquam enim honorificentius Imperatorem salutavit, caussa tamen, cur librum ad Imperatorem mittat, parum honesta videtur. quare secundum eos Codices sentio, qui Imperatorem ab hoc loco submoverunt. Minor quidem Plinius nec dignitate nec gratia apud Imperatorem suum inferior, quam pater, non sustinuit tamen istam ejus licentiam imitari in epistolis suis ad Trajanum, tametsi civilitatem optimi Principis, & summam in se benevolentiam perspectam habebat. Tu inspice librum x. epistolarum Plinii hujus. Imo quamvis ipse Trajanus in multis epistolis eum familiarium amicorum appellatione, *mi Secunde carissime*, salutet, ipse tamen Plinius Secundus epistolas suas, non nisi Imperatoris titulum praefatus, inscribit; & vix aliter in initio epistolae, nisi praestantiores epistolarum harum editiones me fallunt, quam *Dominum* salutat. Ex quo quidem continuae adulationis in imperio incrementa & progressus animadvertere est. Quam enim appellationem, libertati sane gravissimam, sub initio Imperatoriae tyrannidis primus Augustus exhorrescebat, successor etiam ingenio atrox atque ambitionis immensae aversabatur, eam deinde, confirmato jam hoc principatu, post adscitos ab aliis divinos honores, Optimus Imperator & communissimus patienter, etiam ab amicis, & familiaribus accepit. Omittimus de insanis sequentium Principum honoribus referre, cognitum enim est in tanto rerum omnium fastigio nihil moderabile esse, priorumque exempla novis cumulari. Praetereundum tamen non est, quod de Alexandro Severo Lampridius c. IV. memoriae prodidit, eum, tametsi Augusti Tiberiique civilitatem secutus, Dominum appellari se vetuit, & epistolas ad se quasi ad privatum scribi jussit, Imperatoris tamen titulum in iis servari voluisse. De Theodosianorum autem temporum ratione hoc animadvertisse videor, non notam tantum Imperii Principum nominibus additam fuisse; sed & illud in epistolis esse observatum, ut Imperatoris nomen praemitteretur nomini Auctoris aut Scriptoris. Exempla dabunt Symmachus & Ausonius. ita namque hic in Praefationibus THEODOSIO AUGUSTO AUSONIUS S. Contra idem ad privatos suum nomen praeponit, ut AUSONIUS SYAGRIO SUO S. & mox AUSONIUS LATINO PACATO DREPANIO FILIO, & in ceteris epistolis semper, quare metri necessitatem excusat in epistola xx.

PAULLINO AUSONIUS. *metrum sic jussit, ut esses*
Tu prior, & nomen praegrederere meum.

Similiter Symmachus ubique nomen suum in epistolis anteponit, at vero libro x. ep. 2. GRATIANO AUGUSTO SYMMACHUS.

CHUS. & XV. DOMINO VALENTINIANO SEMPER AUGUSTO SYMMACHUS PRAEF. URB. adde epistolas sequentes ad Theodosium & Arcadium Imperatores datas. Quae quantum ab inscriptione praefationis ejus, qua de agimus, discrepant, nullus non intelligit.

CAP. VI.

Optimus *cognomen Trajani, non aliorum Imperatorum.* Κράτιστος *recte* optimus *vertitur. Novi Testamenti interpres vetus defensus. A sententia Hasaeorum & Heumanni disceditur. Theophilus & Ulpianus* Κράτιστοι *dicti non honoris gesti aut dignitatis caussa. Bezae iniquitas in interpretem V. T. notata. Divinus Lucas an medicus & libertus? Medicina non indigna fuit habita Romanis ingeniis. Libertorum gratia & potentia. Lucas & Theophilus, Modestinus & Ulpianus amici.* L. LII. §. 20. de Furtis *exposita. Marmor illustratum. Modestinus Dalmatiae praeses. Guil. Grotius notatus.* Κράτιστος *in dicta lege non* nobilissimum *notat. Bertrandus notatus & Menagius. Paullus praemittitur Ulpiano.* L. III. C. de veteri jure enucl. *exponitur. Julianus cur* Κράτιστος *dictus. Felix & Festus cur* Κράτιστοι *dicti a Divino Paullo. Scipio Nasica adolescens cur* Optimus *judicatus. Formula* felicior Augusto, melior Trajano *exponitur. Latissima est* Optimi *interpretatio. Macrobius quibus nominibus dictus. Interpretes ejus notati. Ejus honores. A Jac. Gronovii sententia disceditur. Macrobius sacri cubiculi praepositus: quae dignitas exponitur. Pluribus ostenditur nec Avienum praefationem fabularum scripsisse, nec Macrobium Theodosium in ea designari. Pontani sententia rejecta. Juretus laudatur. Descriptio Orbis terrae & orae maritimae ab eodem Poëta profecta. Hugonis Grotii sententia suspecta. Opera quae.*

SEd erunt forte nonnulli, qui ex hac salutatione, *Theodosi Optime*, Imperatorium nomen exsculpent, quod sciunt, Trajano Imperatori cognomen *Optimi* a Senatu esse decretum. Deinde quod potentiam & honores id significare contendunt: quo in numero sunt illi, qui ab antiquo Novi Testamenti Interprete *κράτιστον* potentiae caussa recte *optimum* redditum existimant Luc. I. 3. & Act. XXIII. 25. XXIV. 3. XXVI. 25, Sed tota errant via, qui ita arbitrantur. Nam *Optimi cognomen peculiare* Trajani & *proprium* fuisse scribit Plinius in Panegyr. c. II. Atque ut hoc ante Trajanum, sic & post eum nulli Principum Romanorum peculiariter & publice datum est. Neque enim huic cognomini contigit; quod aliis Imperatorum nominibus, quae ad successores fuerunt transmissa. Tametsi autem peculiari hoc nomine non mediocriter delectatus videtur Trajanus, qui nummis illud aliisque monumentis publicis ad memoriam posteritatis testatur: Non tamen Plinius in Panegyrico suo, in quo ejus nominis non uno in loco meminit, verborum ambitione, quam fieri potest, maxima, ob id ausus est *Trajane optime* eum appellare, ut in hac praefatione Avianus; sed ubique optimum hunc Principem *Caesar Auguste* adfatur, qua salutatione, ut fieri convenit, in summis personis honoris simul excellentia declaratur. Quare & fero *Optimi* salutationem in Principe, modo *Optime Princeps*, aut *Optime Imperator*, *Caesar*, habeat. Nam ita ante delatum *Optimi* cognomen Trajanus est appellatus propter optimas, ac Principe dignissimas dotes, quae in eo maxime enituerunt, eodem modo quo & Coccejus Nerva ab ipso Plinio c. LXXXVIII. & alii complures: certe Hadrianus in Taurini Egnatii epistola, quam prodidit nobis Auctor Collationis Legum Mosaicarum & Romanarum Tit. I. §. II. *inter Clodium*, OPTIME IMPERATOR, *&* *Euaristum cognovit.* Ut autem haec majestati Principis congrua est salutatio, ita illa, *Hadriane Optime*, *Theodosi Optime*, si a privato proficiscitur, vilior est etiam in familiari epistola, nedum in monumento omnium oculis ac judiciis exposito, non viventium modo, sed & posterorum. Qui autem vocem Κράτιστος atque *optimus* in citatis Novi Testamenti locis interpretati sunt (quorum in numero non postremo loco sunt censendi Hasaei Fratres, egregia patriae & Lycei sui decora, nec non Cl. Heumannus in Bibliotheca Historico Philologico Theologica Clas. IV. Fascic. 2. pag. 325. & Fascic. 3. pag. 477. & 505.) rectius eos facturos fuisse puto, si id operam dedissent, ut ex Graeca lingua ostenderent vocem Κράτιστος ad significandam mentis honestaeque indolis praestantiam fuisse usitatam, quam quod plerique omnes docent, vocem *Optimus* ad testificandam potentiam ac dignitatem fuisse adhi-

hi-

hibitam. Et tamen potuerant illi etiam acquiescere in iis, quae Pricaeus de ea τῦ κρατίςου significatione accumulavit ad Luc. I. 3. & praecipue Act. XXIII. 26. cui cumulo magna accessio est facta a viro eruditissimo in notis ad Cl. Heumanni dissertationem de Theophilo, vid. Bibliothecam Historic. Philolog. Theol. Class. IV. pag. 478. Non nego equidem Theophilum, Festum, Ulpianum (nam & inter Jurisconsultos de vero Graeci vocabuli usu decertatur, dum inquirunt, quo sensu Modestinus L. II. §. 5. D. Qui petant tutores vel Curatores, nec non L. II. in fine & L. IV. in fine D. de Excusationibus, Ulpianum κράτιςον dixit:) qui κράτιςοι appellantur honores gessisse. De Theophilo id complures docuerunt, de Festo atque Ulpiano res certa. Sed potestatis, honorisque gesti caussa id nomen eis tributum a Luca & Modestino, needum mihi persuadere potui. Verius puto, eos testificatos illo affectum suum, observantiam ac de virtutibus amici judicium. Hoc certum est, vocem *Optimus*, qua illam commutat Eruditissimus Divini Codicis interpres, inique saepe a Beza taxatus, inter amicissimos & necessarios usitatissimum esse usurpatam, atque inter eos, inter quos nulla potentiae reverentia aut respectus, ut inter Parentes & liberos, Conjuges, fratres, affines, Patronos & libertos: vide Indicem Scaligeri XIV. Gruteri Inscriptionum nec non Reinesii. Et quam quaeso potestatem, honorem aut dignitatem spectavit Cicero in Tirone suo sive servo, sive jam liberto; cum eum XVI. Fam. 5. *humanissimum & optimum salutat?* Sed ajunt, Divinus Lucas arte Medicus, atque ut inde suspicatur Grotius, in commentariis ad ejus Euangelium sub initio, conditione libertinus, Theophilum praecipua dignatione virum; Modestinus autem Ulpianum praefectum praetorio, praeceptorem suum reverentius coluit, quam ut familiari eos appellatione salutarint. Verum fac Medicum, fac libertum Lucam, de quo equidem vehementer dubito, num ob id a virorum potentium familiaritate in provinciis repulsum putabimus? Sane errant illi, qui vilem Romae Medicorum artem Romanisque ingeniis omnino indignam fuisse habitam arbitrantur. & miror temere id persuasum viris Rerum Romanarum haud quaquam imperitis. Sed hoc omnes dabunt credo, vixisse Lucam illa Populi Romani aetate, qua non liberti Caesaris tantum, sed & aliorum Quiritium, gratia, opibus, dignitate floruerunt, in provinciis, municipiis, imo & Romae res nota vel ex Satyricis Poëtis. Non abhorruisse autem Theophilum ab amicitia Lucae inde quoque colligimus, quod illum hic non κράτιςον tantum, sed & familiarium more, certe eo, quo nulla potentia praeditos salutamus, sine honorum aut virtutum mentione, Theo-

philum salutat Act. I. I. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων, ὦ Θεόφιλε. eadem plane ratione, qua Avianus Theodosium suum modo simplici nomine, modo addita nota *Optimi* appellat. Quid? si Theophilum & Lucam non honorum aequalitas, sed communia in rem Christianam studia consociarunt, quae ut a titulorum ambitu abhorrent, ita amicitiae benevolentiaeque testificatione continentur. Haud alia ratione etiam Modestinus Ulpianum κράτιστον, id est Optimum dixit, hos enim amicitia, familiaritate, benevolentia, officiis ac studiorum similitudine conjunctos gestorumque honorum dignitate & gloria paene pares fuisse, cum alia docent, tum L. LII. §. 20. D. de Furtis, in qua Ulpianus se a Modestino, quem studiosum suum nominat, ex Dalmatia consultum scribit. Quod autem de honoribus dixi, ex antiquo marmore id colligo, quod Fabrettus edidit Inscriptionum Antiquarum, quae in aedibus paternis adservantur, capite IV. pag. 278. n. 170. Fugit hoc saxum eos, qui veterum Juris consultorum vitas nobis prodiderunt, quandoquidem autem prolixius illud est, nec formae libelli hujus convenit, initium ejus tantum adponam

HERCULI. SACRUM. POSUIT.
P. CLODIUS. FORTUNATUS. Q. Q. PERPETUUS. HUJUS. LOCI.
INTERLOCUTIONES.
AELI. FLORIANI. HERENNI. MODESTINI. FALTONI RESTITIANI. PRAEF. VIGIL. P. P. V. V.

Videmus hic Modestinum inter Perfectissimos Viros reponi, quo verborum honore Dalmatiae Praeses appellabatur, vide Notitiam Imperii Occidentalis sub initio; ut adeo rejicienda non omnino sit Bertrandi conjectura de Jurisperitis libro I. cap. 31. suspicantis eum Proconsulem, malo dixisset Praesidem, Dalmatiae. Id certe credere malo, quam Dalmatiam mulierem opinari. notandus autem hic Guilielmi Grotii lapsus, qui de vitis Juris consultorum libro IV. cap. 10. §. 7. inter elogia Ulpiano a discipulo suo Modestino tributa haec tanquam diversa recenset *Egregius* & *Nobilissimus* ex L. II. §. 5. D. Qui petant Tutores, & L. IV. D. de Excusationibus, quum certum sit Excusationum libros a Modestino non Latine sed Graece esse scriptos, utroque autem in loco eodem nomine κράτιστον dici, quae Graeca vox quam diversa sit a dignitate eorum, qui *Nobilissimi* appellabantur atque *Egregii*, illos non fugit, qui solennes hos honorum titulos perspectos habent. Sane ineptus est Bertrandus, qui *Principem* interpretatur. *Nobilem* & *nobilissimum* rejectum ab Augustino, litteratissimo Menagio placere potuisse miror, vid. Amoen. c. XVI.

Quod

Quod si autem non judicii sui atque amicitiae testandae, sed dignitatis ac potentiae caussa Ulpianum κράτιστον in Excusationum libris dixit Modestinus, quare non ob easdem rationes in iisdem libris Paullum eodem nomine insignivit, honoribus, dignitate, juris scientia, gloria non minorem? Certe duo hi Ulpianus & Paullus ab Historicis horum temporum haud raro conjunguntur, ita tamen ut saepius Paullus praemittatur. Spartianus in Pescennio Nigro c. VII. *Quod postea Severus, & deinceps multi tenuerunt, ut probant Paulli & Ulpiani praefecturae.* Et Lampridius in Alexandro Severo c. XXVI. *Paullum & Ulpianum in magno honore habuit, quos praefectos ab Heliogabalo alii dicunt factos, alii ab ipso.* Quin ipse Modestinus eo in loco, ubi scientiae laudibus utrumque aequat, Paullum ante ponit. ita namque L. XIII. §. 2. D. de Excusationibus, οὕτως γὰρ καὶ Κερβίδιος Σκαιβόλας, καὶ Παῦλος, καὶ Δομίτιος Οὐλπιανὸς, οἱ Κορυφαῖοι τῶν νομικῶν, γράφουσιν. Non etiam sententiam nostram morata est L. III. Cod. §. 18. de veteri jure enucleando, in qua Julianus κράτιστος nominatur, *Optimum* recte vertunt vulgati Codices. Nam aut Justinianus eum hoc nomine ornat, eadem ratione ductus, qua Cajum dicit in Institutionum Prooemio §. VI. aut vox κράτιστος ex Hadriani libro, cujus istic meminit Justinianus, in eum locum translata est, ita ut ab Hadriano ita dictus sit Julianus in eo scripto, cujus verba istic citat Justinianus, quod verius puto: In magno enim honore fuit Principibus, sub quibus vixit hic Jurisconsultus. de Hadriano vide Spartianum c. XVIII. Divi autem fratres in L. XIV. pr. in rescripto suo *amicum suum* nominant. Nolim autem ex his, quae disputavi hactenus, quempiam existimare, me vocem κράτιστος atque *optimus* semper ad amicitiam referre. Verum ut teste Cicerone de Optimo genere Oratorum cap. II. *id optimum est, quod omnes laudes habet*, ita & κράτιστον omnes virtutes continet, non tantum, quae in privata amicitia, sed & quae in rebus omnibus commendantur. Quocirca si quis κράτιστος vel *optimus salutatur*, videndum semper, ob quam potissimum caussam aut virtutem ita appelletur, eam autem res ipsa, locus, tempus facile demonstrabunt. ita Felicem Paullus & Festum κράτιστον appellat Act. XXIII. 26. & XXV. 25. non ob amicitiam, neque enim in judice appellando amicitiam declaramus, sed ad testificandam virtutem eorum in iis negotiis, de quibus illic agebatur, id est in disceptanda lite, atque in exercendis legibus ac judiciis. Quare & Lysias Act. XXIII. 25. Felici epistolam κρατίστῳ ἡγεμόνι inscribit, addita nempe voce alia, ex qua plane cognoscitur, in quo genere optimus dicatur. ἡγεμὼν autem κράτιστος est, qui optime pacis bellique tempora administrat;

quae sane maxima laus in Provinciae Praeside; quare & illi, qui provinciis praesunt, *optimi* saepe in monumentis proscribuntur, quae collegit Theodorus Hasaeus in Bibliotheca Historico Philolog. Theol. Clas. IV. pag. 503. quo titulo non potentia Imperii, aut honoris dignitas, sed animi virtus in honore gerendo significatur. Et Tertullus Orator Act. XXIV. 3. praefatus has Felicis artes laudesque, subjungit demum *Optime Felix*, aut si Graeca mavis, πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ, καὶ κατορθωμάτων γενομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας, πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ ἀποδεχόμεθα, κράτιστε Φῆλιξ, μετὰ πάσης εὐχαριστίας. Quae interpres vetus ita. *Cum multa agamus in pace per te, & multa corrigantur per tuam providentiam, semper & ubique suscipimus, Optime Felix, cum omni gratiarum actione.* Quandoquidem autem latissime pateat vocis *Optimi* significatio, credibile est ob alias virtutes Scipionem Nasicam adolescentem, nondum quaestorium *optimum* fuisse judicatum, ob alias Trajanum rebus plurimis cognitum, a Senatu ita esse cognominatum. Nam cum plurima sint virtutum genera, in quovis autem genere recte *Optimus* dicatur, qui in eo antecellit; difficile dictu est, nisi nominatim caussae addantur, cur quis *optimus* nominetur. Quare Livius Nasicae honorem a Senatu habitum cum tradit, interpretationem *Optimi* subterfugere maluit, quam incertam tentare. Ita namque de eo lib. XXIX. c. 14. *P. Scipionem Cn. filium, eius, qui in Hispania ceciderat, adolescentem, nondum quaestorium, judicaverunt in tota civitate virum* OPTIMUM *esse. Id quibus virtutibus inducti ita judicaverint, sicut proditum memoriae a proximis temporum illorum scriptoribus libens posteris tradiderim: ita meas opiniones, conjectando rem vetustate obrutam, non interponam.* De Trajano autem Plinius in Panegyrico c. LXXXVIII. testatur, eum *optimum* dictum ob virtutum omnium cumulum atque, ut ita dicam, complexionem, quod, quae singulae in aliis, in hoc uno cunctae repertae. Atque ut intelligamus non potentiam, nobilitatem aut dignitatem respici in hoc Principe, a moribus sumtum dicitur cognomen, atque a *maximo* distinguitur & *malo* opponitur. *Justisne de caussis S. P. Q. R.* OPTIMI *tibi cognomen adjecit? Paratum id quidem & in medio positum: novum tamen. Scias neminem ante meruisse, quod non erat excogitandum, si quis meruisset. An satius fuit Felicem vocare? quod non moribus, sed fortunae datum est: satius Magnum? cui plus invidiae, quam pulchritudinis inest. Adoptavit te Optimus Princeps in suum, Senatus in* OPTIMI *nomen. Hoc tibi tam proprium, quam paternum: nec magis definite distincteque designat, qui Trajanum, quam qui Optimum appellat. Ut olim frugalitate Pisones, sapientia Laelii, pietate Metelli monstrabantur, quae simul omnia uno isto nomine continentur: nec videri*

potest

potest Optimus, nisi qui est OMNIBUS OPTIMIS *in sua cujusque laude praestantior. Merito tibi ergo post ceteras appellationes haec est addita, ut Major. Minus est enim Imperatorem & Caesarem & Augustum, quam omnibus Imperatoribus & Caesaribus & Augustis esse meliorem. Ideoque ille Parens hominum Deorumque* OPTIMI *prius, deinde* MAXIMI *nomine colitur, quo praeclarior laus tua, quem non minus constat* OPTIMUM *esse, quam* MAXIMUM. *Adsecutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi appareat in bono Principe alienum, in malo falsum.* Quid autem solennis illa acclamatio, qua novus Princeps *felicior Augusto, melior Trajano esse jubebatur*, de qua Eutropius libro VIII. c. 5. Anne felicitatem rebus gerendis, bonitatem ingenio & moribus precabatur? Ut ergo dubium non est, quis sit optimus Princeps, Senator, Poëta, ita si in oratione & epistola quis simpliciter addito tantum nomine proprio *Optimus* dicitur, spectandum puto, respectu cujus virtutis aut personae ita vocetur; ut si judex, a litigantibus justitia laudari credatur & aequitas, & sane

Vir bonus est quis?
Qui consulta Patrum, qui leges juraque servat,
Quo multae magnaeque secantur Judice lites,
Quo res sponsore, & quo caussae teste tenentur.

In epistola vero, qualis Aviani haec praefatio est, & quae nullam honorum mentionem habet, sed aliquam doctrinae laudem, potissimum autem Auctoris officium & institutum exponit, *Optimi* titulus morum probitatem monstrat, & scribentis amicitiam, qua inductus optima quaeque censet & praedicat. Hoc autem observasse videor, eos, qui nullo addito honoris aut affectionis necessitudinisve titulo, aut *Praeses Optime*, *Patrone Optime*; sed proprio, ac familiae tantum nomine apposito, nude ac simpliciter aliquem *optimum* dicunt, aut pares esse, aut majores. Quod, si verum familiarior haec Aviani appellatio, *Theodosi Optime*, non tantum Theodosium Imperatorem excludit, sed & ipsum Aurelium Theodosium Macrobium, sive mavis Ambrosium Macrobium nominare, sive tandem mistis his nominibus Aurelium Macrobium Ambrosium Theodosium; aliter enim haec nomina aliis libris inscripta reperi, de quo tacuisse Interpretes miror. Hoc constat, Virum eum clarissimum fuisse & illustrem, sive quod Praefectus praetorio fuit (de quo tamen nobis nihil liquet, & falli puto Jacobum Gronovium V. C. sub initio libri primi Saturnalium Macrobii, dum ex Inscriptione Legis III. C. de Paganis, praefecturam praetorii Hispaniarum excudit) sive quod sacri cubiculi praepositus fuit, qui honos ob merita Macrobii ab Imperatoribus Honorio & Theodosio aequata sunt Praefecturae praetoriae. vide lib. VI. tit. 8. Cod. Theod.

Theod. Honorem ergo, si gessit Aviani ille Theodosius ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα, ut Praetorianam praefecturam Zosimus lib. II. Histor. c. 32. appellat parem; quo ore sustinuit ille Avianus, ut videtur, adolescens, primum famae monumentum consecrans, & literatorum plausus meriturus, tantum virum familiarium non modo, sed & superiorum consuetudine, aut simpliciter *Theodosium*, aut *Theodosium Optimum* salutare? Hoc quisque intelligit, plane haec abhorrere & a saeculi ingenio & ab Avieni Macrobiani (nam ad eam jure redeo, de quo jam supra cap. 4. dicere institueram) probitate, de qua ipse Macrobius lib. VI. c. 7. *Cum Servius ista differeret: praetextatum Avienum Eustathio insusurrantem videns: Quin age, inquit, Eustathi, verecundiam Avieni probi adolescentis juva, & ipse publicato nobis, quod immurmurat, Eustathius jam dudum, inquit, multa de Virgilio gestit interrogare Servium, quorum enarratio respicit officium litteratoris, & tempus indulgeri optat, quo de obscuris ac dubiis sibi a doctiore fiat certior. Et Praetextatus, probo inquit, mi Aviene, quod ea, de quibus ambigis, clam te esse non pateris, unde exoratus sit a nobis doctissimus Doctor, ut te secum negotium habere patiatur, quia in commune proficient, quae desideras audire: Ne tu modo ultro cesses aperire Servio viam de Virgilio differendi.* Quis autem credat, Avienum adolescentem adeo modestum, probum ac verecundum, eo mox impudentiae devenisse, ut aetatis lubricae moderatorem & virtutum suarum praeconem, praecipua dignatione virum vilissima appellatione publico in monumento contemserit? Neque autem laudavit solum Adolescentem Avienum Macrobius, sed optimis praeceptis animum ejus expolivit, sic enim Saturnalium libro VII. c. 3. *Cum ergo videas, mi Aviene, (instituenda est enim adolescentia tua, quae ita docilis est, ut discenda praecipiat) cum videas, inquam, anceps esse omne scommatum genus, suadeo in conviviis, in quibus laetitiae insidiatur ira; ab ejusmodi dictis facessas.* Amorem autem Avieni hujus cum his prodit satis Macrobius, tum perspicimus ex eo, quod, ut Socratem Plato, ita Avienum ipse suo convivio interponat, de quo suo instituto ipsum differentem vide Saturn. I. c. I. Ad extremum si Avianus sive Avienus hanc praefationem ad Theodosium Imperatorem aut sacri cubiculi praefectum scripsit, an is in tanti fastigii viris nihil invenit, quod laudaret, praeter eruditionem Graecam & Latinam? At vero quam alienum id est ab aliorum instituto, qui facundiam omnem in extollendis ejusmodi virorum virtutibus expromserunt? Ante vero quam ab Avieno discedimus, omittenda hoc loco non est Isaci Pontani sententia, sive mavis conjectura, qua in notis suis ad Macrobium Saturn. I. c. 17. videndum praecipit, an „ cum Avieno Macrobiano & Poëta idem sit L. Aur. Avia-

„ nus

„ nus Symmachus V. C. de quo praeclare vetus inscriptio „ Romae sub Capitolio in basi statuae dedicatae III. Cal. „ Maj. Gratiano IV. & Merobaude Coss. quam eorundem fi- „ de producit Gruterus pag. 370. 3. „ Sed qui Gruterum evolverit, inveniet editum non AVIENO aut AVIANO, sed AVIANIO, quae nomina nequaquam miscenda, verum probe distinguenda. Deinde si Macrobianus ille Avienus idem esset; nonne, quoties uno nomine appellabatur, non Avienus, sed Symmachus dicendus foret ex consuetudine eorum saeculorum, quibus plurima nomina hominis unius fuerunt? Nam ex ea consuetudine non vocabantur nomine, quod ordine medium, sed ultimum erat. Huic adde, quod Macrobius tanquam diversos homines interponit Saturnalitio suo convivio Symmachum & Avienum. Tu vide c. 24. lib. I. atque aliis locis. Symmachum hunc Macrobianum eundem dicunt complures, qui in monumento isto Gruteriano memoratur. At vero negat Juretus in praefatione miscellaneorum de dignitate & scriptis Symmachi, ubi erudite multorum errores de Symmachis retextos videmus. Cujuscunque autem Avieni cetera opera fuerant, Descriptionem orbis terrae & orae maritimae libellum ejusdem Avieni esse, haec declarant, quae initio orae maritimae leguntur

Reliqua porro scripta sunt
Nobis in illo plenius volumine,
Quod de orbis oris partibusque fecimus.

Quod autem Hugo Grotius multa ab Avieno, ante Phaenomena, in lucem edita suspicatur ex hoc φαινομένων versu LXXI.

O per multa operum mea semper cura Camoenae.

ejus equidem suspicionis nullam caussam perspicio. Opera enim non hic libros intelligo, sed occupationes quascunque, & negotia cum publica tum domestica, ut est amplissima illius vocis significatio, consule Graevium ac Gronovium ad praefationem Justini sub initio.

CAP. VII.

Argumenta multa proponuntur, quae Avienum distinguunt a Fabularum auctore. Avienus aliud tirocinii rudimentum posuit, aliud Avianus. Stilus quoque hos distinguit. Avienus sub Theodosiis vixit. Avianus ad priora tempora evehendus. Nulli MSS. fabularum Avienum *habent. Levitas*

Ne-

Neveleti & aliorum notata. Recentiores fabularum harum Editores MSS. non sunt usi. Rigaltii Editoris cupiditas notata. Gyraldus libros scriptos fabularum non inspexit. Pulmannus, Neveletus in suis MSS. Avianum *invenerunt: Barthius & Vossius* Flavium Avianum: *Alii* Anianum. *Solus Johannes Saresberiensis* Avienum. Abidnus, *quod Vossius invenit, ex* Aviano *corruptum. D. & A. permutata in vetustis libris. B. & V. promiscue usurpata olim. Quintiliani lectio defensa. Belena pro Velina tribu. Boltinia tribus pro Voltinia. Abianus & Avianus non discrepant; uti nec Avienus & Abienus. Lapis a manu Gruteri defensus. Junones Gabiae. Junones mulierum Genii.*

DIscussimus hactenus argumenta, & tela confregimus, quibus pugnant illi, aut pugnare posse videntur, qui Avieno fabularum hoc opus vindicant. Nunc vicissim accipite, quibus auxiliis succincti Aviano id restitutum eamus. Auctor fabularum in Praefatione testatur, cum cogitasset secum, quo litterarum monumento inclarescere & perpetuam nominis gloriam consequi posset, fabulas in mentem venisse. Hoc enim initium praefationis, *Dubitanti mihi, Theodosi optime, cuinam* (nam sic legendum in notis ostendimus) *litterarum titulo nostri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit.* Quid autem haec? anne ostendunt manifeste Fabularum hoc opus primum fuisse, si forte plura unquam adgressus Avianus, quo famae nomen commendavit? neque enim illa ei conveniunt, qui dudum scriptis nobile nomen consecutus est. At vero Avienus, qui Scriptorum omnium, quae Aviani nomen habent, Auctor perhibetur, aliam ingressus est viam, aliudque rudimentum seu primum opus posuit: ita namque ipse de se initio Descriptionis Orbis terrae

Pierides toto celeres Helicone venite:
Concinat & Phoebo vester Chorus, Oceanumque
CARMINIS AUSPICIUM PRIMUM *memorate Camoenae.*

Anne ergo diversi fuerunt fabularum Auctor, & Descriptionis terrae? Anne dissimiles Avianus & Avienus? Deinde animadvertendum est stili discrimen. Avianus, quantum per importunos licuit Correctores, placidus, mitis, blandus ac pedestri oratione incedit, in verbis simplex ac nudus, ac detracto ornatu, sua pulchritudine nitet. Contra vero Avienus, prae-

praesertim Arateorum Auctor, altius insurgit, ac spiritu elatus, quem, ut Barthius censet, ipse saepius non capit, quasi per aera raptus grandi ore detonat, ex figuris, antiquis verbis, & constructione Graeca, gratiam, certe admirationem adfectans. Neque hoc materiae tribuendum ac carminis generi, quasi aut Heroicum carmen, aut Phaenomena illa hos cothurnos desiderent, sed viri genio. Nam Aratus, Cicero, Germanicus, Manilius non eo sese extollunt. His accedit diversa utriusque aetas. Avieni circa Theodosiorum tempora ac dein claruere potissimum. Contra vero Avianus cum Titiano fabularum Auctore vetustior sit, quod deinceps ostendemes cap. x. & xi. illi saeculo non convenit, sed ad priora tempora referendus. Denique abhorret ab Avieni nomine antiquorum & manu exaratorum librorum scriptura, qui uno ore *Avianum* probant: Non tantum ii, quorum excerptis ego sum usus, sed & quos Pulmannus consuluit & Neveletus; qui tamen abreptus rursus auctoritate priorum, fabulas ipsas Avieno inscripsit, levitate sane, quae nullo colore excusari queat, nisi & alios temeritatis Auctores haberet; quorum equidem miratus sum saepe rationem, quam, reclamantibus tot rerum hominumque testimoniis, solo Avieni, notioris Poëtae, nomine perducti, susceperunt. Sed ne fucum facere videamur, quae de nomine ejus, qui fabularum XLII. Auctor perhibetur, accepimus, ordine singula enarrabimus. Omittimus autem ea, quae ab illis sunt profecta, qui aliorum fidem secuti, Codices ipsi antiquos non versarunt. Quorum in numero sunt editores recentiores plerique, praeterquam quod Petrus Rigaud in sua Lugdunensi editione tribus exemplaribus sese usum scribit: In iis autem an *Avienum* scriptum invenerit, non addit, & ego vehementer dubito. Hoc perspexisse videor ex praefatione, nimio studio eum incensum fuisse, fabulas has Avieno vindicandi. Errores autem hominis in exiguo hoc prologo jam supra perstrinximus, quos si detrahas, reliqua, quae de Avieno adfert, videtur hausisse ex Gyraldo, qui non ex Codice manu exarato; sed typis descripto, Avieni nomen edidit. „Extat, inquit, & libellus ad Theodo„sium Imp. hujus ut putatur Avieni, nisi nos fallat inscri„ptio.„ De Editoribus aliis diximus cap. I. Pulmannus quidem fabulatorem hunc ex tribus MSS. emendatiorem edidit, qui omnes *Aviani* nomen, non *Avieni* praefixum gerebant. Idem testatur Neveletus se invenisse in libris suis vetustis, non manu tantum exaratis, sed & typothetarum opera vulgatis. Quibus & ii subscribunt, quorum excerpta nobis amici impertierunt; inter quos tamen aliquos esse accepi, qui nullum nomen praeferunt. Vossianus secundus ita habet, *Incip. pt fabularum teodosii incipit praefatio.* Sed error hic manifestus est.

Bar-

Barthius similiter *Avianus* invenit, quem vide Adversariorum libro XIX. cap. 24. qui & libro XXXIX. cap. 7. hoc amplius addit in priscis schedis suis *Flavium Avianum* vocari. Varie Gerhardus Joannes Vossius. De Arte Grammatica libro II. cap. 30. in membranis suis *Avianum* scribi tradit: adde de Historicis Latinis libro II. cap. 9. Idem in Institutionibus Oratoriis libro II. cap. 15. §. 5. *Flavium Avianum* in antiquis Codicibus vocari ait. At vero de Poëtis Latinis cap. IV. pag. 56. in nonnullis Codicibus *Anianum* atque etiam *Anienum*, imo & *Abienum* exaratum invenisse testatur. *Anianum* nominat Guilielmus Canonicus sive Goudanus, in editione fabularum ab se digestarum, cui praefuit Martinus Dorpius. Prodiit ea Lipsiae 1630. eodem nomine insignitur in Editione Roberti Stephani Lutetiae 1545. Porro *Avianus* dicitur in Florilegio seu eo libro, qui Flores Poëtarum inscribitur, quem mihi usque adhuc videre non contigit, sed meminit ejus Jo. Alb. Fabricius in Bibliotheca Latina vol. III. pag. 326. Contra *Anianus* in Glossis ad §. 2. Institutionum de Injuriis, & in Codicibus proverbiorum, quae Bedae tribuuntur, vide Vossium de Historicis Latinis libro II. cap. 9. Unus ergo est Joannes Saresberiensis, in cujus Polycratico aperte *Avienus* exhibetur, libro VII. cap. 24. *Et ut AEsopo vel Avieno credas, videbis, qui sibi oculum alterum erui gaudeat, dum utroque privetur proximus.* Apologum Aviani nostri XXII. designat. Quanquam autem Vossiani Codices, quos in libro de Poëtis Latinis testes citat, *Anienum* praeferentes huc etiam inclinant, non est tamen, quod hi, numero, si cum reliquis conferas, paucissimi, moveant. Praeterquam enim quod praestantiores atque oppido plures perspicue *Avianum* comprobant; etiam illi, qui *Anianus* & *Abianus* (quod in nonnullis Vossius invenit) habent, idem confirmare videntur. Nam ut de posteriore hoc prius dicam, in eo littera D pro A posita est; qui error non hoc tantum nomen vitiavit, sed vocabula etiam complura in Scriptoribus paene omnibus. Neque id mirandum, cum eodem olim ductu litterae hae duae exaratae fuerint. Quare & Caspar Scioppius de Arte Critica. „ A pro D saepe scriptum, & sunt hae „ duae litterae sibi invicem perquam similes. *quia quid* in „ Symmacho reperi pro quicquid, & *avorum* pro duorum. „ Iterum. D pro A saepe: Pseudol. SC. 2. in 2. MS. *induellis* „ pro *mavelis*. „ D. autem in litteram hanc simillimam si transformaveris, *Abianum* facies, quod, paene dixerim, nil discrepat ab *Aviano*. neque hoc, quicquid est discriminis, Librariis imputandum, sed scripturae, atque orthographiae certae, ac ratione susceptae. Promiscue namque veteres B & V usurparunt. Ineptus forem, si exempla ex libris manu exaratis non tantum, sed & ex marmoribus vetustissimis proferrem;

rem, quae nullo negotio ex indicibus vulgatissimorum librorum colliguntur. Illud forte non adeo vulgare est, monuisse id Quintilianum Institutionum Oratoriarum libro 1. cap. 4. his verbis: *Sed B quoque in locum aliarum dedimus aliquando, ut Burrus, Bruges & Belena.* sic legendum ex antiquis libris non *Balaena.* certe *Belena* probat hic quoque Priscianus libro primo atque eo capite, quo agit de numero litterarum apud veteres pag. 547. Editionis Putschianae. Ubi ex hoc Quintiliani loco docet *Bruges* & *Belenam*, *antiquissimos* dixisse. Quomodo autem haec voci *Balaena* aptabis? utique antiquissimi non aliter, ac posteriores recentioresque omnes hanc vocem exararunt, testibus omnibus recentiorum libris. Et qui Quintilianus dicere potuit; *dedimus aliquando Balaenam*, cum certum esset, & ipsum & aequales omnes simili modo atque eadem scriptura hanc vocem dare? *Belenam* ergo *Velinam* intellige, quod Romanae tribus nomen est, de quo Horatius Epistolarum libro 1. 6. 52.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina.

& sic *Boltinia* tribus pro *Voltinia* Gruterus in Thesauro pag. 546. n. 2.

DIS MANIBUS
C. JULIO C. F.
BOLTINIA
LONGINO DOMO
PHILIPPIS

Quomodo autem litterae i & e permutatae sint in hac voce, nemo liberalioribus disciplinis imbutus, credo quaeret. Quintilianus vero ostensurus litteram B Romanos olim in locum aliarum dedisse tria exempla ponit haec, *Burrus*, *Bruges*, *Belena.* in voce prima B pro P. in secunda pro PH in tertia loco V est adhibita. Non defenditur *Balaena* in hoc Quintiliani loco a Paullo in Excerptis Festi voce *Balaena*, quod forte nonnulli putabunt. Et ne dubites *Abianos Avianosque* eosdem esse, simili modo *Abienos* & *Avienos* littera quidem, non nomine & re distinxerunt Veteres. Nam & in multis Servii Editionibus antiquioribus *Abienus* scribitur ad Virgilium AEneidos libro x. 277. & 388. ut & in Fastis Consularibus. Neque aliter Prosper & Cassiodorus in Chronicis, nec non Marcellus comes, vide Savaronem ad Sidonium Apollinarem libro 1. ep. 9. proxime accedit Reinesii lapis Classe xx. n. 164. quem & habet Almeloveen in Fastis

HIC EST POSITA RODOPE
IN PACE QUE VIXIT AN PLUS M
. . . TA DIE XVII. KAL. OCT. DN VALEN
. . . . ET HABIENO

R Avie

Avienum autem Imperatore Valentiniano collega consulatum gessisse novimus. *Abienus* quoque in hoc monumento est, quod ex Pighianis produxit Gruterus pag. DCLIII. n. 7.

DIS MANIBUS
MEMORIAE C. ABIENI C. F. JU
CUNDINI VIXIT ANNIS VII DI
EBUS XII C. ABIENUS EUTY
CHUS PATER FECIT SI
BI ET ABIENAE HELIODORAE
COLLIBERTAE ET LIBERTIS LIBE
RTABUSQUE POSTERISQUE EORUM
IN MONUMENTO P. VIII IN AGRO P. VI.

Tametsi autem dubitandum non est, quin simili modo *Avianos* & *Abianos* scripserint olim Romani, id quod & ex τῷ *Abidnus* ostendimus ante, non tamen ob id mutari velim titulum lapidis

JUNONI
IBUS. CA
BIABUS
MASIUS
VOTUM
RETULIT

quem Coloniae Agrippinae conspicatus est quondam & descripsit Arnoldus Mercator, Gruterus autem qui saxum hoc recenset pag. XXIV. n. 5. in Animadversionibus corrigendum existimat C. ABIANUS. At vero tu hic Junones Gabias accipe. Sunt Junones Gabiarum tutelares vel genii; ut autem proprie virorum sunt genii, ita feminarum Junones dicuntur: Lipsius ad Senecam epistola 110. Graevius in praefatione Thesauri Antiquitatum Romanarum tomi V. Burmannus ad Petronium cap. XXV. ut autem JUNO GAVIA, sic FORTUNA FLAVIA Gruterus pag. LXXV. 5. atque eodem sensu, quamvis casu diverso pag. XXIV. 13.

JUNONI
GAVIAE ALBANAE
SACRUM

CAP. VIII.

Anianus nomen Romanum. Lucretius Anianus. Curius Anianus. Aniana Deutera. Aviani nomen auctori vindicatur. Gentis AEmiliae cognomen. Ursinus

sinus reprehenditur; item Corradus. Euander & Hammonius servilia nomina. Aviani nomen ex monumentis antiquis probatur. Jupiter an Avianus cognominatus. Male Scaliger. Cur Avianus inter Deos collocatus. Patroni inter Deos culti. Aniani monachis notiores & librariis. Anianus interpolator Caji. Glossae Institutionum Juris emendantur. N & U parum dilucide in MSS. discernuntur. Angaria. Isidori glossae emendantur. Aniani complures recensentur.

EX nominibus iis, quae per errorem librarii Fabularum auctori nostro dederunt, *Anianus* restat. Non autem ob eam illud caussam rejicimus, quod Romanum non sit: nonnulla enim monumenta vetusta probant, sic Lucretius Anianus memoratur Grutero pag. MXCI. II.

BADASIAE Q. F.
JUSTAE
COLLEGIA
FABR ET CENTONARIOR
Q. LUCRETIUS ANIANUS
MARITUS TITULO USUS
L. D. D D

Praeterea Curiis sibi visus est cognomen hoc restituisse Reinesius Inscriptionum Classe V. n. 23. pag. 370. Sed clarius Anianam Deuteram saxum hoc ejusdem Classe XIV. 58. loquitur.

D. M.
QUINTI. CRITONI. JANUARIO.
VIX. AN. XLV.
ANIANA DEUTERA
CUM QUO VIXIT ANN. XXVII.
CONJUGI B. M.
QUAE PIETATE PLENA HOC LUBENS FEC.

Sed antiquiores & meliores fabularum Codices *Avianum* dilucide ostendunt, & vix Aniani nomen, praeterquam in editis libris, atque iis, in quibus fabularum hic auctor citatur, invenias. Quare huic illud merito anteponimus; praesertim cum frequentius id sit in Romana historia, & monumentis hujus populi. Cognomen olim fuisse gentis AEmiliae ex Cicerone discimus libro XIII. Epist. fam. 21. Nescio autem quid Ursinus velit ad epistolam II. ejusdem libri, ubi *Avienum* substituit in locum *Aviani*, auctoribus, ut ait, veteribus monu-

mentis. Nam si vetustos Ciceronis Codices intelligit, nescio illos qui *Avienum* hic exhibent. Sin autem alia monumenta dicit, in iis non magis *Avieni*, quam *Aviani* celebrantur. Fallitur etiam Corradus, dum in notis ad eandem epistolam Avianum Euandrum Avianum Hammonium interpretatur. Diversi namque illi sunt & liberti AEmilii Aviani. Euandri autem & Hammonii servilia nomina patroni nominibus more majorum hic addita reperimus. Ex alia tamen caussa Philoxenus Avianus est vocatus, de quo Cicero XIII. epist. 35. Memoriam nominis hujus servant porro monumenta haec Gruteri pag. 172. n. 3.

L. LUCTIUS L. F. AVIAN. Q. PLAUSURIUS C. F. VARUS

Ita enim Pighii Codex hunc lapidem prodidit, quod in notis monitum est a Grutero. p. 633. n. 1.

DIS MANIB
L. AVIANO L. F. PUP.
VALERIANO
MEDICO VIX.
ANN. XLVII. M. IX. D. XV.
L. AVIANUS L. L. STEPHANUS
PATR. PER AG. CUR.

& pag. 765. n. 6.

D. M.
CAEDIAE
COMIC. P.
C. AVIANUS
PUPIN
CONJUGI

Ad extremum adde pag. 4. n. 4.

J. O. M.
T. AVIANO ET DIS DE
ABUSQ
PRO SALUTE VICTORIS
DOMINI N. SANCTISS.
AVIANUS
AUG. LIB. SUB PROC.
AURIAR.
V. S. L.

Praeterquam autem quod hic lapis manifeste Aviani hominis, Augusti liberti, nomen praefert, creditur etiam Aviani Jovis cognomen habere: Certe ita visum Scaligero, qui in Indice primo Thesauri Gruteriani *Jovem O. M. T. Avianum* recenset. Sed malo existimare, Avianum hunc Augusti libertum, privata religione memoriam Titi Aviani inter Deos coluis-

luisse, quod ejus opera ab Augusto beneficium summum, id est libertatem, consecutus erat, quare & Aviani nomen suscepisse eum suspicor. Nam ut ob publica merita publice Deus creabatur, ita ob privata beneficia sibi quisque Deum constituebat. Pertinet huc illud Poëtae

Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
Ludere quae vellem calamo permisit agresti.

Terentius in Phormione II. I. 31. *Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem Deum.* adde AElianum Variarum Historiarum libro IV. cap. 5. Altera porro ratio est, cur Avianum potius quam Anianum Auctorem hunc nostrum dictum censemus, quod *Avienus* & *Abidnus*, quae nomina, ut supra ostendimus, nonnullos Codices insederunt, ex Aviano seu Abiano verius quam Aniano corrupta videntur. Denique librarii, quorum maxima pars olim Monachi fuerunt, cum sacra multorum Anianorum scripta frequentius legerent tererentque, nutante scriptura nomen notius promtiores acceperunt. Discrimine autem admodum exiguo exaratus olim esse litteras U & N non ignorant illi, qui vetustas membranas manibus versarunt. In iis certe libris, qui non capitalibus litteris scripti sunt, sed minutioribus, quales hodie sunt in vulgatiore usu, vix quidquam differentiae oculi adsequuntur. Eadem quae monachos ratio etiam Glossatores impulit (nisi & is error librariorum fuit) ut ad §. 2. Institutionum de Societate *Anianum* pro *Aviano* substituerint. Theodorici Gothorum Regis temporibus Aniani nobilissimum nomen in aula atque in foro fuit, certe is nobis interpolatas a se Caji Institutiones reliquit, Glossatoribus olim, quam cordatis & antiquum sapientibus viris hodie gratiores; de quo Aniano consulatur Barthius Adversariorum libro XLVI. c. 3. Aleander in Praefatione & Oiselus in Prolegomenis Caji Institutionum: Jacobus Gothofredus in Prolegomenis ad Codicem Theodosianum cap. V. & seq. Quanto magis miror in Glossis Isidori, voce *Angaria*, *Avianum* nunc scriptum ostendi. Quum probabilius sit ab Aniano aliquo, & forte interpolatore Caji Jurisconsulti, certe alio Aviano, quam mythographo nostro, eam vocem esse usurpatam, tametsi ab Aviani saeculo omnino submoveri illam nolim. Fuit autem Aniani etiam nomine interpres Chrysostomi, de quo Barthius Adversariorum libro XLVI. cap, 3. Atque inter Scriptores Ecclesiasticos memoratur a Sigeberto Gemblacensi, quorum Catalogum contexuit Cl. Fabricius in Bibliotheca Latina vol. III. pag. 471. Aniani Episcopi meminit Sidonius libro VIII. epist. 15. Aniani Martyris Velserus Rerum Boicarum libro IV. cap. 129. Ania-

ni Flandri Vossius de Historicis Latinis libro III. cap. 6. Quin & ruente in barbariem saeculo nonnulli etiam Scriptores Aviani nomine insignes fuisse memorantur. Hos inter Avianus ille qui de fabulis Poëtarum & Hesiodi commentatus dicitur in membranis Barthii, quem vide Adversariorum libro I. cap. 7. illae fabulae nunc Hygini nomen mentiuntur. Alter est, qui carmen fecit in Martianum Capellam, nisi forte idem censendus: parum enim constat de his terrae filiis. Imo vero nisi dubia illa litterae u figura Barthium decepit, atque *Avianus* pro *Aniano* aut scriptum aut lectum sit; sed utrumque hunc sua dictio ab Aviano Fabularum scriptore atque ejus saeculo disjungit.

CAP. IX.

Flavium Avianum in suis Codd. invenit Vossius. Flavius praenomen huic an gentis nomen fuit? Nomina gentis antiqua in praenomina dein abierunt. Trebellius Pollio emendatus. Ejus Balbuties & rusticitas notata. Salmasii sententia rejecta. Vespasiani quomodo Claudio comparentur. Fratres sub Imperatoribus cognominibus saepe, non praenominibus distinguuntur. Exemplum fratrum eodem praenomine sub libera Republica. A Spanhemio disceditur, item a Comite de Malvasia. Uxores non dictae maritorum nominibus. Sub Constantinis frequens nomen Flaviorum, etiam inter privatos. Lapis antiquus a Reinesio correctus. Flavii nomine Imperatores plurimi usi, item Autharus Rex Longobardorum. Cur Justiniano datum. Scoppae error.

NOmen Flavii Aviano nostro restituimus ex Codicibus vetustis, quos inspexerunt Barthius & Vossius. Illum consule Adversariorum libro XXXIX. cap. 7. Hunc Institutionum Oratoriarum libro II. cap. 15. §. 5. ubi ita: „ Adeatur „ & Flavius Avianus, prout in antiquis Codd. vocatur, qui „ vulgo Avienus dicitur.„ Hic autem dum antiquos Codices citat, non videtur eos designasse, quibus usus est Barthius, sed quos ipse habuit. Habuisse enim Vossium plures hujus Scriptoris MSS. ex aliis ejus libris constat, quos supra nominavi-

navimus. Hoc merito in dubium vocari potest, Flavii nomen Gentem hic designet, an praenominis vice fungatur. Nam pleraque nomina, quae Rep. libera Gentium fuerunt, sub Principibus in praenomina degenerarunt. De Aureliis, Claudiis, Flaviis praenominibus vide Sertorium Ursatum in monumentis Patavinis libro I. sectione I. Inscript. 4. pag. 19. & quem hic citat, Onuphrium Panvinium, qui tamen post Diocletiani demum tempora usurpatum hunc morem tradit. Do Panvinio viguisse potissimum sub Constantinis eum, coepisse tamen non arbitror. Quartii praenomen est apud Fabrettum Inscript. pag. XXIV. n. 109.

D. M.
QUARTIUS JUNIUS QART. F. FAL.
HESPERINUS

alia exempla ab aliis accumulata memini, sed loci non recordor. Crebra haec in nummis & saxis nomina Fl. Constantius, Fl. Constantinus, Fl. Claudius Julianus, Fl. Valens, Fl. Theodosius, Fl. Arcadius. Scio, objiciunt nonnulli, ut gentile hoc in Imperatoria Constantiorum domo nomen esse doceant, haec Trebellii Pollionis verba in Claudio cap. III. *Ille velut futurorum memor gentes Flavias, quae Vespasiani & Titi, nolo autem dicere, Domitiani fuerant, propagavit.* Quorum verborum, si singula accurate pensites, inepta, aut potius dicam, nulla est sententia: quaecunque autem fuit olim, eam corruperunt deinceps librarii. In antiquis libris, ut testatur Salmasius, haec ita leguntur. *Ille velut futurorum memor gentes Flaviasque & Titi, nolo autem dicere Domitiani fuerunt propagavit.* Hinc corrigo. *Ille vel futurorum memor gentes Flaviosque, ut & Titi, nolo autem dicere Domitiani, fecerunt, propagavit.* Sed ais neque his quidquam venustatis inest. Verum quis Veneres in hoc Scriptore quaerat, quo nemo incultior, fandi certe nemo imperitior ad historiam scribendam accessit? passim balbuties hominis atque infantia deprehenditur, qua fit, ut animi cogitata modo parum decore ac rustice, modo moleste atque impedite proferat: ut ex re ipsa non raro sensus hominis verius, quam ex verbis colligatur. Mentem ei, cum illa scriberet, hanc fuisse puto. Ut ex gloria Vespasianorum, patris dico & filii majoris, quorum probatissimum fuit imperium, laudis non nihil adjiceret Claudio suo, hunc cum illis comparare instituit. magna in verbis ejus vis est *τȣ̃ vel*, id est etiam. Ut enim Vespasianus fata suorum atque Imperii propagationem in gente sua praesagiit, ita etiam eadem praescciit Claudius. De illo Suetonius in Vespasiano capite ultimo. *Convenit inter omnes, tam certum eum de sua, suorumque genitura semper fuisse, ut post assiduas in se conjurationes ausus sit affir-*

mare Senatui, aut filios sibi successuros aut neminem. Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli Palatinae domus positam, examine aequo: Cum in altera lance Claudius & Nero starent: in altera ipse ac filii. Nec res fefellit: quando totidem annis, parique temporis spatio utrique imperaverunt. Neque etiam filii sortis suae ignari fuerunt. Idem Suetonius in Tito cap. x. De Domitiano autem miranda prorsus sunt, quae in hoc genere narrat in ejus vita cap. XVI. Sed haec omitto, quia & hunc ob saevitiae, ut credo infamiam, praeterire maluit Trebellius. Cum iis, praesertim quae de Vespasiano patre Suetonius narrat, committe haec Trebellii de Claudio cap. x. *Et bene venit in mentem, exprimenda est sors, quae Claudio data esse perhibetur: eo magis, ut intelligant omnes genus Claudii ad felicitatem reip. divinitus constitutum. Nam quum consuleret, factus Imperator, quam diu imperaturus esset, sors talis emersit.*

Tu qui nunc patrias gubernas oras,
Et mundum regis, arbiter Deorum
In veteres tuis Novellis.
Regnabunt etenim tui minores.
Et reges facient suos minores.

& mox: *Quae idcirco posui, ut sit omnibus clarum, Constantium divini generis virum, sanctissimum Caesarem, & Augustae ipsum familiae esse, & Augustos multos de se daturum, salvis Diocletiano & Maximiano Augustis, & ejus fratre Galerio.* Uterque etiam, Vespasianus & Claudius gentem suam & Flavios imperio propagavit, quamvis diversa conditione, ille Flavios gentili nomine sic dictos dedit, hic vero praenomine sic appellatos. Quomodocunque autem accipias verba illa Trebellii, id ex iis non perspicuum fiet, quod sibi inde persuadent viri docti, revixisse hoc tempore gentem Flaviam. Imo contra haec lapides litterati indicium faciunt in Claudii illius posteritate Flavii praenomen fuisse. Tale marmor Ursatus prodidit in monumentis suis Patavinis libro I. sect. 9. pag. 317. in quo cum suis quique praenominibus recensentur

IMP. CAES. C. VAL.
DIOCLETIANUS. P. F.
AUG ET. IMP. CAES.
M. AUR. VAL. ET.
MAXIMIANUS. P. F.
AUG. ET. FL. VAL. CON
STANTIUS. ET. GAL.
VAL. MAXIMIANUS
NOBIL. CAES. M.

Vidit & hunc lapidem olim Scardeonius, inde accepit Gruterus,

rus, vide pag. CLIX. I. Et quo magis praenomen censeas, nomen gentile ei crebro subjungitur, ut apud Gruterum pag. CCLXI. 4. FL. ANTIDIUS SEX. F. EROS. pag. CCCLIV. I. FL. ANNIUS ANNAEUS LEMONIA FORTUNATUS. Quare Fl. Avianus cum dicitur, ipsum illud Aviani nomen tanquam gentile ponitur, tametsi terminatio quae sub libera rep. gentili nomini fuit, abhorret. Neque id in hoc tantum viro, sed & in aliis animadvertere licet, quare & ei tribus subjicitur in Inscriptionibus quas supra dedimus cap. VIII. L. AVIANO L. F. PUP. VALERIANO, & C. AVIANUS PUPIN. Neque iis, quae de Flavio praenomine diximus hoc Gruteri saxum obstat pag. CCLXXXV.

D. D. N. N FL. VALEN
TINIANO ET FL. VALEN
TI DIVINIS FRATRIBUS
SEMPER AUGG.

Posteaquam enim fratres cognominibus distingui sunt coepti: (quae consuetudo jam ante Vespasianos Imperatores valuit, vide Suetonium in Vespasiano cap. I. quare & Fratres istic non ex praenominibus distinguit, sed ex cognominibus:) parum referebat, diversa iis praenomina indere: quae & caussa est, cur ea in ipsis nonnunquam Imperatoribus minus celebrentur. Quinimo, quod impensius mirere, nondum subacta etiam republica par fratrum fuisse memorat Asconius praenominibus iisdem insignitum. Ita namque in argumento Orationis Ciceronis pro Milone. *Qui cum summa celeritate praesidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustae uxoris ejus exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, & ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur.* Lege porro Manutium ad Ciceronem Fam. VIII. ep. 8. Rupertum ad l. II. §. 2. D. de origine juris. Neque adsentior Illustri Spanhemio de Usu & praestantia numismatum, a Constantio atque Constantino Imperatoribus uxores in nomen suum esse adscitas, ut Flaviae Maximae dicerentur. Nec memini Constantium, Maximum aut Maximinum fuisse dictum, & quodammodo errorem suum castigat eruditissimus Auctor in Addendis. Quin illud quoque liquidum mihi nondum est factum, quod viri doctrina praestabiles passim praecipiunt, nomina virorum ad uxores transiisse. Quae enim exempla accumulavit Illustris Auctor Marmorum Felsineorum, ea aut de cognatis, aut libertis, aut etiam adoptatis interpretanda reor. Flaviam autem Maximam tanto minus credo imperatoriis nominibus sic dictam, quod eadem nomina feminae privatae tribuit monumentum apud Gruterum pag. DCCLXXVIII. n. 9.

V. F.
GN. DOMITIUS
EUPHROSYNUS
SIBI ET FLAVIAE
MAXIMAE
UXORI OPTIMAE

De hoc quoque nemo, credo dubitabit, per haec tempora, quibus Constantius atque ejus posteri imperio praefuerunt, quaeque iis proxima fuerunt saecula, Flaviorum nomen frequentissimum fuisse; neque Imperatoribus tantum, sed & privatis. Sequentibus autem saeculis quid factum sit, Imperatorium praenomen fuerit, an vero plurimis Principibus forte obtigerit ob promiscuum ejus usum, parum nobis liquet. Hoc certum est, Imperatores deinceps plerosque eo praenomine esse dictos. Neque tamen Theodosius Imperator alio jure aut more id videtur usurpasse, quam Pater ejus homo privatus; & Corrector Apuliae & Calabriae, cui Sexini nomen, sive ut Reinesius corrigit Sextio, qui monumentum, quo id ostenditur, recenset Classe III. n. 62.

INCLYTAE VENERANDAEQUE MEMORIAE VIRO
FLAVIO THEODOSIO GENITORI DOMINI NOSTRI
INVICTISSIMI PERENNISQ PRĨCIPIS THEODOSI
PERPETUI AUGUSTI CUJUS VIRTUTE FELICITATE
JUSTITIA PROPAGATUS TERRARUM ORBIS EST
ET RETENTUS STATUAM EQUESTREM SUBAURATAM
APULI ET CALABRI PRO VOTO ET DEVOTIONE
POSUERUNT CURANTE AC PERFICIENTE
FLAVIO SEXINE VIRO PERFECTISSIMO
CORRECTORE APULIAE ET CALABRIAE

Et tamen ob continuum paene nominis hujus usum in Imperatorio fastigio non exiguum decus eo accessisse videtur, certe apud Barbaros. De Autharo namque Longobardorum rege, qui Mauritii Imperatoris temporibus vixit, in hunc modum Conradus de Lichtenau in historia Longobardorum. *Pro magno honore vocaverunt eum Flavium, & istud praenomen postea in usu habuerunt reges Longobardorum.* Utracunque autem de caussa Justinianus Imperator praenomen Flavii habuerit, sive quod inter cujusque fortunae homines vulgatissimum, sive quod Imperatoribus solenne fuerit, hoc dubitandum non est, insigniter labi Lucium Scoppam Collectaneorum libro I. cap. 4. ubi principem illum Flavium dictum scribit, quod esset de domo familiaque Flaviorum. De Aviano autem, ut ad eum tandem revertamur, hoc verius affirmare licebit, nomen hoc sive praenomen non praeter consuetudinem saeculi ei obtigisse.

CAP. X.

Investigatur saeculum Aviani. Qui fabulas AEsopias ante Avianum scripsere. Recensentur multorum generum fabulae. Cilnius Melissus ineptiarum seu jocorum libros scripsit. Hi joci non fuerunt Apologi AEsopii. Nicolai Heinsii sententia rejicitur. Romani in jocos, & sales proclives. Iis delectatus Cicero. Hujus jocos libertus edidit. Cato scripsit ἀποφθέγματα, id est jocose & facete dicta. Eadem scripsit Caesar Dictator. Dicta collectanea appellantur Suetonio. Non hoc perspectum Casaubono. Dicta jocos urbanos notant. Suetonii lectio vulgata defensa adversus Casaubonum & Heinsium. Nullus ante consolationem Senecae, ad Polybium scriptam, Latine Apologos AEsopios edidit. Non Phaedrus. Lipsius refutatur. Romanis ingeniis accenseri voluit Phaedrus: imo & alii, qui in Civitatem Romanam adsciti Latine scribebant. Horatius expositus. Bailius refellitur. Phaedrus publicavit fabulas suas. Coetus doctorum Virorum Romae. Sejanus Phaedri, non AElium Sejanum designat, sed moribus hujus similem. A sententia Auctoris epistolae Criticae super notis Bentleji discedimur. Non sub Tiberio, sed Claudio fabulas edidit Phaedrus. Eutychus, Particulo, Philetus liberti, & forte Claudii Imperatoris. Sejani nomine forte Narcissus Principis hujus libertus designatur. Narcissi gratia & potentia describitur. Initur ratio vitae Phaedri. Cur temporis lapsus nihil ab elegantia stili in Phaedro detrivit. Lectio in fabulis ejus tentata.

ADseruimus fabularum auctori sua nomina; proximum nunc est, ut suum etiam saeculum ei reddamus, ac tempus inquiramus, quo aetatem inter mortales egit. Illud autem hoc modo colligimus. Avianus eorum nomina recen-

set,

fet, qui ante fe fabulas AEfopias fcripfere. Inter hos autem quum extremo loco Phaedrum ponat, utique exiftimare licebit, per ea tempora, quae a Phaedro ducuntur ufque ad faeculum Aviani, AEfopium Fabulatorem nullum fuiffe, fed Avianum Phaedro proximum fucceffiffe: Porro, ut Phaedro Avianus minor fuit aetate, ita eum majorem prioremque fuiffe Titiano, cujus AEfopios Apologos laudat Aufonius in epiftola XVI. Mythologos autem ante fe hoc ordine recenfet Avianus in praefatione, AEfopum, Socratem, Flaccum, Babrium, Phaedrum. Haud me praeterit, plures fuiffe fabularum fcriptores inter Graecos, quorum nomina in Progymnafmatis Theon commemorat; Verum eorum alii AEfopo antiquiores funt, alii diverfas huic fabulas fcripferunt. Sunt enim varii generis fabulae, AEfopiae, Cypriae, Libycae, Sybariticae. tradit hoc Aphthonius in Progymnafmatum initio, Prifcianus in Praeexercitamentis, Ifidorus Originum libro I. cap. 9. Avianus autem cum materiae ducem AEfopum fit fecutus, eorum tantum Mythographorum nomina pofuit, qui eandem viam ingreffi funt, & fabulas AEfopias fcripferunt. Quos inter ne Horatium quidem praeteriit, qui nullos fabularum libros emifit, fed pro exemplis eas Sermonibus fuis & Epiftolis infperfit, vide notas noftras ad Praefationem. Quanto minus praeteriturus fuit Avianus Cilnii Meliffi, qui libertus fuit Maecenatis, jocorum libros, numero fane quam plurimos (centum enim & quinquaginta eum abfolviffe primum, memorat Suetonius de Illuftribus Grammaticis cap. XXI. quibus & alios diverfos poftea addidit:) fi certum effet, quod Vir Illuftris Nicolaus Heinfius ad Ovidium ex Ponto IV. 16. 30. conjicit, hos jocorum libellos ex Apologis AEfopiis conftitiffe. Equidem autem hos Meliffi jocos, quos tamen non ipfe jocos fed ineptias nominavit, interpretor facete dicta & fales Urbanos, quibus Romani olim mirifice capiebantur, & ob id eos non uno in loco commendat Cicero, laudatque ab iisdem Granios, Lucilios, Craffos libro I. Famil. epift. 15. & multos praeterea alios in de Oratore libro II. cap. 58. Infpice porro Quintilianum Inftitutionum Oratoriarum libro VI. cap. 3. & Plutarchum in Apophthegmatis Romanis. Certe non vile pretium horum jocorum, nec ftultus omnibus harum ineptiarum labor eft vifus. Namque ut Meliffus, fic & alii jocorum hujufmodi libros ediderunt. Ciceronis quidem jocos, qui in eo genere ceteros omnes praeftitit, aut ipfe edidit, aut libertus, vide Macrobium Saturnalium libro II. cap. I. Quin nec Catonem quidem hujus laboris poenituit, cujus ἀποθέγματα a Cicerone memorantur eo in loco, in quo de jocando agit, libro I. Officiorum cap. 29. Quae res facit, ut exiftimem non alia fuiffe C. Caefaris ἀποφθέγματα, de quibus Cicero Familiarium

tium epistolarum IX. 16. Neque diversa ab his esse arbitror quae Suetonius in vita Caesaris hujus Dicta Collectanea nominat: quae & Casauboni sententia fuit, qui tamen de facete & jocose dictis haec non accepisse videtur. Sed opinionem nostram confirmant Cicero, Novius & Pomponius, de quorum sententia ita Macrobius Saturnalium II. cap. 2. *Jocos enim hoc genus veteres nostri Dicta dicebant. Testis idem Cicero, qui in libro Epistolarum ad Cornelium Nepotem secundo ait. Itaque nostri, cum omnia, quae dixissemus, dicta essent, quae facete & breviter & acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt. Haec Cicero: Novius vero Pomponiusque jocos non raro Dicta nominant.* Quandoquidem ergo tanto studio in colligendis his Dictis seu Jocis occupati fuerunt viri summi pariter & imi Romae, quis credat alios esse jocorum libellos a Melisso collectos? qui, ut & nonnulli alii, non satis habuit complura eorum volumina semel publicasse, sed & per omnem vitam ea auxit. Quare non damnarim lectionem vulgatam Suetonii, quam tamen damnant Casaubonus & Nicolaus Heinsius, *quibus & alios diversos postea addidit.* Tanto autem magis hos Melissi libellos facetiarum, non fabularum AEsopiarum jocos habuisse credo, quod Seneca fabellas & apologos AEsopios opus Romanis ingeniis intentatum scribit in Consolatione ad Polybium cap. XXVII. Quae quidem Senecae testificatio tantum apud me pondus habet, ut existimem praeterea, post Consolationem hanc scriptam edidisse demum fabulas suas Phaedrum. Neque enim hic color atque haec excusatio Lipsii placet, de Romanis ingeniis loqui Senecam, Phaedrum vero Thracem fuisse. Nam si ii soli Scriptores inter Romana ingenia ponendi sunt, qui Romae nati, quanta ingeniorum eorum paucitas erit? At vero omnes illi, qui Cives Romani erant & Latine scribebant, undecunque orti, Romanis scriptoribus accensentur. Ita lingua Enni dicitur ditasse sermonem patrium ab Horatio Arte Poëtica versu LVI. Utrius autem patrium sermonem intelligit Horatius, suum an Ennii? alter enim domo Venusinus, alter Rudinus? At vero tu neutrum cense, sed Romanum, Nam ita Ennius de se

Nos sumu' Romanei, qui fuvimus ante Rudinei.

Ipse autem Phaedrus, qui alias magnifice ac splendide de patrio suo solo sentit, ut nequaquam ejus poenituisse videatur, Romanis ingeniis an Graecis se adnumerari voluit? utique Romanis. Haec namque in epilogo libri II.

Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Graeciae.

Neque etiam placet Bailii aliorumque sententia, opinantium fugisse has Phaedri fabulas notitiam Senecae, cum paucis amicis tantum communicatas, nec publice editas. Nempe

Pro-

Prologus libri primi, & multa alia arguunt, non paucis scripsisse has fabulas Phaedrum, sed omnibus, neque tantum ad privatum dolorem leniendum, sed & ad famam publice aucupandam. Quorsum enim sollicitae illae προφάσεις ad lectorem, non in initio solum & fine, sed & in mediis libris, quibus nihil opus ad amicos? Quid? cum in Prologo libri III. fastidiose se in coetum recipi queritur, & in prologo libri V desiderium suum declaret in litterarum plausum eundi, & Particulonem dicat

nomen chartis victurum suis,
Latinis dum manebit pretium litteris.

ex tacitis amicorum laudibus hanc gloriae immortalitatem eum sperasse putamus, an publicis virorum eruditissimorum suffragiis? Et sane cum coetum nominat, utique eum designat, quem Romae fuisse accepimus eorum virorum, quorum scripta Criticorum calculis probata erant. Porro qui illa convenient, nisi omnium manibus versatos hos Phaedri libellos existimamus, ex Prologo libri III.

Suspicione siquis errabit sua
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilo minus.
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam & mores hominum ostendere.

Piget plura proferre, nullus enim Prologus est, epilogus nullus in fine librorum, quin editas publice a se fabellas doceat. Miror autem qui diverse a nobis sentiunt, in eam opinionem esse adductos, quod Sejani metum ostendit Phaedrus in prologo libri III. quasi ipse AElius Sejanus hoc nomine, ac non potius homo, moribus ejus non dissimilis intelligatur. Nam si ipsum Sejanum intelligas, qui, quaeso, ausus est homo libertinus eum, sub saevissimo Principe crudeliter dominantem, tam acerbe perstringere in carmine publico? publicum enim fuisse ex iis perspicimus, quae modo ex hoc Prologo delibavimus. Aut si ausus hoc est Phaedrus vitae suae prodigus, qui, quaeso, factum, ut tantam linguae licentiam impunitam tulerit? tulisse autem videtur, quod interposito tempore reliqui fabularum libri prodierunt. Nam non omnes simul esse editos facile largior Eruditissimo Auctori Epistolae Criticae, in qua Clarissimi Bentleii notae atque emendationes expenduntur; at vero nequaquam in eo adsentior, quod eodem in loco ad prologum libri III. monet, Sejano jam damnato eum librum esse scriptum. Nam si post damnationem, etiam post mortem scriptus est; eodem enim die damnatus in Senatu & ad supplicium raptus est Sejanus, lege Dionem libro LVIII. pag. 628. At vero vixisse illum

illum Phaedri Sejanum, ac magna auctoritate & potentia praeditum fuisse cum illa scriberet Poëta, haec verba vincunt,

Quod si accusator alius Sejano foret,
Si testis alius, judex alius denique.

Quomodo *foret* Sejano mortuo conveniet? Quid ab accusatore, teste, judice damnato & occiso metuit Phaedrus? Imo quas hic Sejano personas tribuit, Accusatoris, testis, judicis omnino mihi abhorrere videntur a potentia atque animo Sejani. Ille enim accusator libertini fuit, nec eum condemnavit? mitto alia absona & absurda. ne suspecto jam quidem Sejano illa conveniunt: atque, ut dicam quod res est, improbi fabularum Phaedri joci, quibus cujusque ordinis homines atrociter nonnunquam taxat, neque a regibus ipsis abstinet, ut paret ex fabula II. libri I. longe removendi a Principatu Tiberii, quo dominante, ut testis est Tranquillus cap. LXI. *Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum. Objectum est Poëtae quod in tragoedia Agamemnonem probris lacessisset: Objectum & Historico, quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset: Animadversum est statim in auctores, scriptaque abolita, quamvis probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente recitata.* Et si quid meo judicio creditur, non opportunior tantae licentiae; quam sibi sumsit Phaedrus, locus fuit, quam sub Imperatore Claudio; cujus stoliditate & patientia plures in locis etiam publicis atque in foro sunt abusi re pariter ac verbis injurii. Exempla dabit idem Suetonius in Claudio cap. XV. ut adeo fabula de Tigillo Rege, contumeliis omnibus inquinato huic Imperatori aptissima sit. Convenit etiam tempori huic libertinorum potentia, nam libertinos fuisse arbitror, & servilia nomina persuadent, quos Amicos suos non inhonoratos laudat Phaedrus, Eutychum, Particulonem, Philetum. Nunquam autem hoc hominum genus majore in honore fuit, quam Claudio Principe, quem vere libertorum servum dicas. Quin TI. CLAUDIUS EUTYCHES memoratur Grutero pag. DCLXXVI. 8. TI. CLAUDIUS EUTICUS Reinesio Classe XI. n. 47. iterum TI. CLAUDIUS PHILETUS illi DCLXXVII. 2. Libertos hos fuisse Claudii dubitandum non est, Claudii tamen, Imperatoris esse, eosdemque quos Phaedrus meminit, affirmare non ausim. Cogitanti autem de Sejano, nullus sane per haec tempora occurrit, cui ob similitudinem nomen hoc accommodari verius possit, quam Narcisso,

Indulsit Caesar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere jussus.

quod de eo Juvenalis Satyra XIV. in fine. De eodem Dion in fine libri LX. *Μέγιστον τὸν τῶν τότε ἀνθρώπων δυνηθεὶς, μυριάδας δὲ γὰρ πλείους μυρίων εἶχε, καὶ προσεῖχον αὐτῷ πόλεις καὶ βα-*

σι-

ειλεῖς. Hominum ea tempestate potentissimus erat, qui amplius quater millies sestertium possederit, quem urbes Regesque coluerunt. Ausus & Praefecturam militum praetorianorum petere, Tacitus Annalium XI. cap. 33. cujus opibus subnixus infanda molitus est & atrociter saeviit Sejanus. Paullatim tamen imminuta est Narcissi gratia & potentia, ducta Agrippina in matrimonium a Claudio, cum ipse in AEliam Petinam propensior esset. Rem omnem & diversa libertorum studia in conciliandis stolido Principi nuptiis idem Tacitus narrat Annalium libro XII. cap. 2. Quum autem nullibi in duobus prioribus libris hunc Sejanum designet Phaedrus, videtur librum tertium nutante jam Narcissi potentia & auctoritate scripsisse, secutus forte Pallantis partes. Non autem abhorret ab hoc tempore aetas Phaedri, tametsi Augustum Imperatorem vidit. Senem enim se fabulas scribere non uno in loco testatur. Inde autem ab exitu Augusti ad necem Claudii seu imperium Neronis anni intercedunt XL. fere. Fac ergo septimo, octavo vel nono anno imperii Claudii, quod paene tredecim annos tenuit hic Imperator, scripsisse has fabulas Phaedrum (quas ut supra ostendimus non eodem tempore omnes edididit) fuisse autem sexagenarium; reliqui erunt anni sex & viginti, quos sub Augusto egit, quo aetatis flore stilum, cui formando adolescentia praecipue idonea est, ita corroboravit, ut posterior inde aetas parum detriverit. Id quod minus mirandum, quia, cum potentiorum odio pressus, tum etiam posthabita divitiarum spe, sola eruditionis laude adductus omnem vitam litteris impendit, alienus, ut videtur, a negotiis publicis. in hunc namque modum ipse in Prologo libri III.

Quamvis in ipsa natus sim paene schola,
Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude invita (quid si *invitatus?*) *in hanc vitam incubuerim*
Fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum.

CAP. XI.

Babrius aetate prior Phaedro videtur. Titianus Mythographus Aviano recentior. Titiani aetas investigatur. Titiani duo fuerunt pater & filius. Ille Julius dictus & fabulas scripsit. Hic praeceptor Maximini. Capitolinus correctus. Savaronis errores no-

notantur, item G. J. Vossii, nec non Cuspiniani & Panvinii. Titianus filius consul, quo tempore. mox despectus ad Scholam rediit. Ausonius illustratur. Postumius Festus Orator quo tempore floruit. Titianus pater Babrii fabulas Latine vertit: Simia dictus: simpliciter etiam Julius vocatus. Gentilia, quae nonnullis visa, nomina non semper ad filios transmittebantur sub Principibus. Filiorum nomina ex paternis maternisque mista. Vineti lapsus.

VIdebuntur forte nonnullis superiore Capite prolixius a me disputata, quae pertinent ad Phaedri aetatem constituendam, & tamen non poenitet operae insumtae. Aliquid enim de Phaedri tempore dicendum fuit, cui Avianus noster proximus succedit. Inter hos enim AEsopium fabulatorem nullum fuisse arbitror; nisi si forte Babrius medius interponendus, cujus incerta est aetas. Avianus quidem eum praemittit Phaedro, ut inde hoc antiquior videri queat. Nonnulla de Babrio hoc ad Praefationem diximus. Duo autem hi novissimi fuerunt fabularum AEsopiarum Scriptores. Hoc si verum, recentior Aviano Titianus est. Hujus enim non meminit Avianus, tametsi fabulae ejus, in manibus multorum versatae atque eruditis viris probatae fuerunt. Siquidem autem ex Titiani aetate judicium de Aviani saeculo fieri potest, de illa nobis diligenter nunc inquirendum. De Titiano atque ejus apologis ita Ausonius epistola XVI. ad Probum. *Oblata per antiquarios mora, scio promissi mei gratiam exspectatione consumtam, Probe, Vir Optime. In secundis tamen habeo non fefellisse. Apologos Titiani & Nepotis Chronica, quasi alios Apologos (nam & ipsa instar sunt fabularum) ad nobilitatem tuam misi, gaudens atque etiam glorians fore aliquid, quod ad Institutionem tuorum, sedulitatis meae studio conferatur. Libello tamen apologorum anteculi paucos epodos, studio in te observantiae meae impudentissimos.* & mox

Apologos en misit tibi,
Ab usque Rheni limite,
Ausonius, nomen Italum,
Praeceptor Augusti tui,
AEsopiam trimetriam,
Quam vertit exili stilo
Pedestre concinnans opus
Fandi Titianus artifex.

Et dein

Sed jam loquatur Julius,
Fandi modum invita accipe
Volucripes dimetria
Aveque dicto, dic, vale.

Ex his cognoscimus Titianum praenomine sive nomine Julium, ante Oratorem Apologos AEsopios scripsisse Latine versibus trimetris, eosque vertisse ex Graecis. Titianos autem Oratores duos accepimus, patrem & filium. Utrumque describit Julius Capitolinus in Maximino Juniore cap. I. *Grammatico Latino usus est Philemone, Juris perito Modestino, Oratore Titiano, filio Titiani senioris, qui Provinciarum libros pulcherrimos scripsit, & qui dictus est Simia temporis sui, quod cuncta imitatus esset.* Sic legendum, non *Tatiano* & *Tatiani* ex Palatinis membranis Gruterus docuit. Adstipulantur porro Codices Sidonii Apollinaris libro I. ep. I. Cujus verba adscripsisse non pigebit. *Nam de M. Tullio silere me in stilo epistolari melius puto, quem nec Julius Titianus sub nominibus illustrium feminarum digna similitudine expressit. Propter quod illum ceteri quique Frontonianorum, utpote consectaneum aemulati, cur veternosum dicendi genus imitaretur, Oratorum simiam nuncupaverunt.* Ex hac Sidonii epistola intelligimus Julium Titianum, quem fabularum auctorem dicit Ausonius, Titianum patrem fuisse non filium, quae & sententia fuit Casauboni ad Capitolinum in Maximino Juniore cap. I. & ante eum Sirmondi in notis ad epistolam Sidonii I. lib. I. Non ergo Julius Titianus, quod Savaro existimat, praeceptor fuit Maximini, sed filius ejus. Verum is Savaro in aliis quoque non satis accurate hos duos Titianos distinguit. Qua eadem in re varie offendit Gerhardus Joannes Vossius de Poëtis Latinis cap. IV. Gravissime tamen in eo, quod Titianum, qui Vesontionum scholae praefuit (quem & male fabularum auctorem existimat) in ordine Poëtarum Ausonio posteriorem facit, atque ad tempora Maximi deprimit, qui occiso Gratiano tyrannidem invasit: quum certum sit, jam eo tempore, quo Ausonius gratias eas dixit Gratiano Imperatori, in quibus Titiani meminit, Oratorem eum aut mortuum jam fuisse, quod Vinetus in notis ad Ausonium existimat, Cuspiniani & Panvinii errorem Vossiano non dissimilem perstringens, aut certe in nullo honore fuisse. Ita enim de illo Ausonius. *Quomodo Titianus magister? sed gloriosus ille municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non aetate quidem, sed vilitate consenuit.* Credo fefellisse oculos Vossium, atque in Capitolino, ubi de hoc Titiano, pro *Maximino*, *Maximum* legisse. Juniorem autem hunc Titianum occiso Maximino, honoris sui ac Consulatus auctore in contemtum venisse conjicio, ob odium tyranni illius, & ludente Fortuna a consulatu ad Scholam rediisse, sed desi-

no hos Virorum doctissimorum errores persequi, nec dicam de iis, quos in ordinando Titiani consulatu complures errarunt, neque etiam de monumento dicam, quod a Grutero est descriptum pag. CCCCLIX. 7 & Fabretto Inscript. pag. CCVIII. n. 516. neque enim ad Titianum hunc, quo de agimus, pertinere puto. nam inter majorum laudes non praeterita esset patris facundia, cujus & ipse sectam suscepisse videtur, non M. Postumi Festi, qui arte dicendi Romae floruit eodem tempore, quo Cornelius Fronto, vide Gellium Noctium Atticarum libro XIX. cap. 13. a quibus Oratoribus Titianus pater, ut ex Apollinari ostendimus, discessionem fecit. Ad hunc autem Julium Titianum Patrem revertor, is enim est, de quo potissimum hic nobis dicendum, quod ille fabulas AEsopias scripsit, non a se inventas, sed ex Graecis Gabriae, ut suspicatur Vinetus, equidem puto Babrii, conversas Latine. In qua re Titiani hujus ingenium est animadvertere, quem *Simiam Oratorum*, Sidonius, *simiam sui temporis*, Capitolinus, cognominatum tradunt; *quod*, ut hic addit, *cuncta imitaretur*. Hoc autem simiae nomen, cum Titiano seniori tribuat Capitolinus, Julio Titiano Apollinaris, ambigendum non est, quin Julius Titianus ille, quem fabularum AEsopiarum auctorem dicit Ausonius, Titianus pater sit. Huic autem nomen Julium, discriminis caussa, ut a filio dignoscatur, additum puto; quod uno tantum nomine citari solent plerumque Scriptores hujus temporis. Certe Julii nomine usque adeo innotuit Titianus pater, ut Cassiodorus in Divinis lectionibus libro I. cap. 25. omisso Titiani nomine, *Julium Oratorem* nuncuparit, qui locus etiam Sirmundo est notatus. Neque autem ea nomina, quae gentilia olim fuerunt Romae re publica libera, sequioribus temporibus ad filios semper transierunt. nec mirum, cum nonnulla ex his in praenomina abierint. Quin paterna maternaque nomina (nam plurimis saepe nominibus unus homo insigniebatur) miscebant haud raro filii. Et ne lapides antiquos moveam, quorum in hac re immensa est copia, multa hujus rei exempla dabit in Parentalibus Ausonius, inter cetera unum de se, quod huc in primis pertinet. Pater Ausonii Julius Ausonius fuit dictus, ipse omisso nomine Julii, Decius Magnus Ausonius est appellatus, erratque Vinetus in vita Ausonii, quod rationem horum nominum ex usu & consuetudine nascentis rei publicae exponendum censet.

CAP. XII.

Julii Titiani aetas ex praeceptoris & filii saeculo cognoscitur. M. Cornelius Fronto quo tempore floruit. Avianus sub Antonino Pio proximisque Imperatori-

bus vixit. Annianus Poëta quando vixit. Vossius & Dodwellus notatus. Scaligeri sententia refutata. Ausonii lectio defenditur. A quo Antonino Fronto consulatum adeptus. Capitolinus tentatus. A. Gellius sub Aurelio & Commodo vixit. De Sulpicio Apollinari. Guilielmi Grotii error perstringitur. M. Aufidius Fronto Anullinum Collegam in consulatu habuit.

POsteaquam superiore Capite Titianos duos, quam fieri potuit, accurate distinximus, a multis temere confusos; secundum nunc est, ut de Julii Titiani, qui fabulas AEsopias reliquit, aetate dispiciamus. Ea autem ex praeceptoris & filii saeculo facile expediri potest. Certum namque est Titianum filium praeceptorem fuisse Maximini Junioris, idque supra ostendimus: unde paret patrem Titianum sub superioribus Principibus vixisse Caracalla, Macrino atque Elagabalo; neque tamen etiam abhorret vita ejus a Commodi imperio. Atque ad eadem haec tempora Titianum revincit Frontonis Oratoris aetas, cujus ille discipulus fuit. Praeceptor enim hic Fronto fuit M. Aurelii & Veri, teste Capitolino in utriusque vita cap. II. Cogitantibus autem hanc Julii sive patris Titiani aetatem, quo antiquior fuit Avianus, facilius est dicere, quos hic Principum Imperia & vitam praecessit, quam Imperatorem tempore aequalem designare. Siquidem omne illud tempus, quod inter Claudium Imperatorem usque ad Commodum patet, vacuum Aviano relinquitur, quo Principes complures Roma vidit. Suspicionem tamen facit stilus, eum ultra Antoninum Pium aut Hadrianum non adsurgere, quod dein pluribus docebimus. Et si qui Codices, qui *Anianum* praeferunt, manifeste *Annianum* ostenderent: ausim sane de Anniano Poëta hariolari, cujus meminit A. Gellius, tanquam amici sui, annis tamen paulo, ut suspicor majoris; ipse certe superstes ei fuisse videtur, vide Noctes Atticas libro VII. cap. 7. IX. cap. 10. XX. cap. 8. ad Trajani & Hadriani memoriam extollit hunc Poëtam Vossius de Poëtis Latinis cap. IV. Credo quod Gellium sub finem Hadriani natum existimarit, quae & opinio est acutissimo Dodwello, quem vide de aetate Peripli maris Euxini pag. 117. qui & vitae partem longe maximam sub Pio Hadriani successore a Gellio actam tradit. Sed horum sententiam evertit, quod Gellius M. Frontonem consularem vidit, vide Noctes Atticas II. cap. 26. Consulatum autem is Fronto accepit ab Augusto olim discipulo. constat hoc ex Ausonio in gratiarum Actione. *Unica mihi amplectenda*

ctenda est Frontonis imitatio: quem tamen AUGUSTI MAGISTRUM SIC CONSULATUS ORNAVIT, *ut praefectura non cingeret.* Sive is Augustus M. Philosophus, sive Lucius Verus est, certe non adsentior Scaligero, qui manum hic infert Ausonio. Alterutri enim Augustorum acceptum tulisse consulatum Frontonem, atque ita persuasum fuisse Ausonio colligimus ex sequentibus. *Non ego me contendo Frontoni, sed* ANTONINO *praefero Gratianum.* Iterum enim unum Antoninum designat, non duos. Antoninum autem hunc M. Philosophum fuisse conjicio, a quo absente Lucio, atque in Parthis bellante, Consul factus est. Certe dilectissimum fuisse Marco hunc praeceptorem suum epistolae eorum mutuae declarant, quas ad partes crebro vocat Sosipater, ex quibus quidem una aperte docet multis eum honoribus a Marco esse cumulatum pag. 177. editionis Putschianae. Verba Grammatici haec sunt. *Fronto quoque ad M. Imperatorem: mihi satis abundeque* HONORUM *est, quos mihi cotidiano tribuis.* Quare aut fefellit hic Frontonis Consulatus Capitolinum, id quod fieri sane potuit, quia suffectus fuit, atque, ut festive Ausonius, *quaerendum reliquit tantus Orator, quibus consulibus gesserit consulatum:* aut excidit is librariorum oscitantia ex verbis ejus in vita M. Antonini Philosophi, ita emendandis. *Consulatum ex his Frontoni detulit, cui & statuam, in senatu petiit: Proculum vero usque ad proconsulatum provexit.* Fieri enim non potest, ut loco tam opportuno consulatum Cornelii sciens omiserit. Consularis ergo cum fuerit eo tempore Fronto hic Cornelius, cum ad eum inviseret Gellius, tum maxime adolescens, ut ex Gellio ipso auguramur, & Dodwellus affirmat; sub Aurelio potius & Commodo Imperatoribus, quam sub Hadriano & Pio Gellius floruisse est censendus. Quin & ad illos Imperatores retrahit eum Sulpicii Apollinaris aetas, qui adolescentulo Gellio jam clarus fuit, inspice Noctes Atticas libro XVIII. cap. 4. Apollinaris autem hic fuit praeceptor Helvii Pertinacis, ut docet Capitolinus in vita Pertinacis cap. 1. Fronto autem senex consulatum nactus sit oportet, siquidem teste Xiphilino Hadriano imperante in foro jam praecipuis Patronis annumeratus est. Ceterum antequam a Frontone hoc Cornelio discedimus, notare conveniet Guilielmi Grotii errorem, qui de vitis Jurisconsultorum libro II. cap. II. §. 6. consulatum ejus in annum sextum Severi Imperatoris rejicit. Fraudi autem Viro Fasti fuerunt, qui Frontonis consulatum Anullino Collega gestum eo anno recensent, at vero non is fuit M. Cornelius Fronto, de quo Gellius, sed M. Aufidius Fronto, quae nomina ex antiquis monumentis investigata huic reddidit Almeloveen in Fastis ad annum V.C. DCCCCLII.

CAP. XIII.

Titiani fabulae non potuerunt ignorari Aviano. Titiani opera recensentur. Casauboni conjectura rejicitur. Ingenium solers & versatile laudatur in Aviano. Veterum Oratorum facundia quibus notis ab Hieronymo distinguatur. Frontonis inflatior stilus, priscorum sedatae orationi praelatus. Laus Apologorum Titiani. Rhenus imperii Romani limes. Ausonii lectio tentata. Gallia eruditione praestitit.

Sed quocunque tandem nomine fabularum harum scriptor dicendus *Anianus*, *Annianus* an *Avianus*, id quod ei ex fide MSS. antiquissimorum potissimum deberi ostendimus; hoc perspicimus, fuisse illum Titiano fabulatore priorem. Neque enim audiendi sunt illi, qui ignorantia aut oblivione in recensendis fabularum Scriptoribus Titianum ab Aviano praeteritum arbitrabuntur. Major enim viri fama fuit, & commendatius fabularum illud opus, quam ut aut ignorari, aut silentio ab hoc praetermittti potuerit, debueritque. Is enim Titianus est, qui ob ingenium atque eruditionem inter doctissimos viros, non ab aequalibus tantum, sed & a posteris celebratur. Opera ejus haec enumerat Sirmondus ad Sidonium Apollinarem libro I. ep. I. Libros provinciarum seu Cosmographiae a Capitolino, Servio & Cassiodoro commemoratos. Fabulas AEsopias ab Ausonio; libros de Agricultura a Diomede; Artis Rhetoricae praecepta ab Isidoro; Themata Virgiliana a Servio laudata. His adde epistolas sub nominibus illustrium *feminarum* sive *personarum*, ut corrigit Casaubonus ad Capitolinum, sed me invito. Harum epistolarum meminit Sidonius in epistola prima. Quanquam autem omnia haec, quorum nonnulla solo Titiani nomine commendantur, huic Julio tribuere non ausim, pleraque tamen ejus esse certis indiciis constat, quae inter provinciarum libri sunt, quos Capitolinus pulcherrimos vocat: qui & filium Titianum, quantumvis sua doctrina clarum & Imperatoris praeceptorem, a Patris tamen eruditione & gloria potissimum commendat. Solertiam hominis & versatile ingenium inde perspicimus non tantum, quod multiplici litterarum genere libros scripsit, sed & quod stilum aliorum callide imitari atque oratione exprimere potuit, quare simia sui temporis est appellatus, ut Capitolinus tradit: quod tamen cognomen ex livore atque aemulatione condiscipulorum tractum docet Sido-

donius indignantium, cum relicta Frontonis praeceptoris gravitate, aut Quintiliani acumina, aut Plinii lenitatem, aut Ciceronis fluvios sequi maluisse, quae notae sunt, quibus Hieronymus summorum virorum facundiam distinguit. Certe eo pertinet consectaneorum convicium, quo veternosum dicendi genus huic Titiano exprobrarunt. Scilicet tanta fuit Frontoniani praeceptoris sui stilique inflatioris admiratio, ut ventosos ejus folles tumentesque & turbatos fluctus, ori priscorum cultissimo & lympidissimis fluminibus anteferre non dubitarint. Non mirum ergo si Titianus posthabitis eorum sordibus ad suaviores se fontes amnesque retulerit, atque ad antiquorum imitationem sese unice composuerit, tanto haud dubie probatior nobiliorque apud posteros, quanto Frontone Oratore major illustriorque fuit M. Cicero, & qui huic proximi deinceps forum tenuerunt. Haec autem, quae de Titiani laudibus & gloria diximus, qui cogitat, num is existimare potest Babrium Scriptorem Graecum, cujus hodie incertissima est aetas imo & nomen, quia pauci meminerunt; Phaedrumque, nemini, nisi uni forte Martiali dictum, Aviano notiores fuisse, quam Titianum, qui pluribus non memoratus tantum est, sed & aetate propior fuit? Adde quod Aviani apologi non laudati tantum sunt ab Ausonio, ingeniorum atque eruditionis optimo aestimatore, sed & digni habiti, qui a se ab imperii limite, Rheno, ad extremum limitem, ad Danubium & Sirmium mitterentur, ut istic a Probo suo, qui natalium splendore amplissimisque honoribus non illustrior fuit, quam eloquentia & doctrinis conspicuus, tractarentur, ac filii ejus studiis inservirent. De Probo namque haec Ausonius

Hunc dico, qui lingua potens,
Minorem Atriden praeterit,
Orando pauca & Musica.
Qui grandines Ulixei
Mellifluentem Nestora,
Concinnatorem & Tullium,
Qui solus, exceptis tribus
Heris, Heroum primus est,
Praetorioque maximus.
Dico hunc senati praesulem,
Praefectum eundem & Consulem
(Nam Consul aeternum cluet)
Collegam Augusti Consulis,
Columen Curulis Romulae
Primum in secundis fascibus;
Nam primus e cunctis erit
Consul, secundus principi.

De honoribus Probi vide porro lapidem a Vineto protractum in notis, atque a Grutero recensitum pag. CCCCL. n. 2. & 3. laudes Apologorum his continentur,

Libelle felix, quem sinu
Vir tantus evolvet sua,
Nec occupari tempora
Grato queretur otio.
Quem mille cum vocis modis
Leni aut susurro impertiet:
Cuique vigiles luminum
Vacare dignabunt corae.
Quem mente & aure consciis
Quibusdam omissis pelleget.

Et mox

Ut hic avi ac patris decus
Mixto refulgens sanguine
Probianoque ac Anicio,
(Ut quondam in Albae moenibus
Supremus Anea satus
Silvios Julis miscuit.)
Sic iste qui natus tuus,
Flos flosculorum Romuli,
Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos,
Suescat peritis fabulis
Simul jocari & discere.

Non est autem cur quis suspicetur Romae atque in Italia minus celebratos fuisse hos Titiani Apologos, quod eos Sex. Petronius ex Gallia, sive, ut ait Ausonius *ab usque Rheni limite* (anne mavis *Rheno limite*, Rhenum certe imperii Romani limitem fuisse nemo nescit?) sibi adferri jussit. Gallia enim vergente imperio Romano litterarum studia praecipue fovit atque excoluit. Habuit ea complures scholas, partim sua, partim Oratorum Professorumque claritate celebres. vide Hieronymum libro II. epist. 13. Freherum ad Ausonium in Mosella vs. 383. Barthium ad Rutilium in Itinerario libro I. 209 inter eas autem non ultimum locum tuita est Augusta Trevirorum, quam inter claras Romani imperii civitates quarto ordine recepit Ausonius, qui & in Mosella vs. 383. de hac

AEmula te Latiae decorat facundia linguae.

Ex ea autem Trevirorum urbe missos esse ad Probum apologos complures Viri eruditi observarunt.

CAP. XIV.

Quis fuerit Avianus, quis Theodosius. Sub Trajano & proximis Principibus maximus eruditorum virorum proventus fuit. Ex iis pauci hodie noti, nisi qui in aula Imperatoris floruerunt. Non damnanda omnino sententia illorum qui Agellium nominant Noctium Atticarum scriptorem.

ANtequam autem Avianum missum facimus, atque ad stilum ejus vindicandum accingimur, id unum restare videtur, ut doceamus quae ejus quaeque Theodosii, cui fabularum opus dedicavit, vita fortunaque fuerit. At vero omnis hic nobis certorum hominum auctoritas atque idoneorum testium fides deficit. Tametsi enim fabulae Aviani a multis olim tritae laudataeque fuerunt, de auctore tamen earum, deque Theodosio nihil proditum accepimus; neque ipse quidquam auctor de se profert, unde sententia certa constitui potest. Adolescentem aut virum doctum fuisse Avianum, certe talem, qui edito libro famae nomen commendare studuit, ex initio Praefationis perspicimus. Theodosium autem litteris Graecis Latinisque probe excultum haec declarant in eadem Praefatione, *Nam quis tecum de Oratione, quis de Poëmate loqueretur? cum in utroque litterarum genere & Atticos Graeca eruditione superes, & Latinitate Romanos.* Cum hoc Theodosio amicitia & usu, forte & necessitudine conjunctum fuisse familiarior inscriptio *Avienus Theodosio, & Theodosi optime*, docet. Et quia nihil de honoribus addit, neutrum eos gessisse conjicio; certe non Theodosium. Memorasset enim eos Avianus, ut arbitror, loco opportuno, ut in Praefatione aut Dedicatione, praesertim ea, qua aliae viri laudes praedicantur. Quin, quum haec scriberet, *Habes ergo opus, quo animum oblectes, ingenium exerceas, solitudinem leves, totumque vivendi ordinem cautus agnoscas*, quis non putat, aut honoris aut muneris, siquid ejus gessisset Theodosius, mentionem injecturum fuisse Avianum, cujus curas fabellis his deliniri possit? At cum nullas sollicitudines publicas dicat, necesse est eas domesticas intelligamus. Cuncta autem haec cum animo complector, conjectura haec nascitur, hos homines ab ancipitis aulae curiaeque ambitu aut Fortunae invidia retractos, aut animo alienos fuisse, otio litterato vitam oblectantes, atque ex hac studiorum morumque similitudine in amicitiam conjunctos. Hanc autem sectam qui ingrediuntur, eorum rara est mentio in anna-

libus. Quin ex viris eruditissimis, quorum maximus inde a Trajano Imperatore usque ad Commodum, id est per id saeculum, quo litteratissimi Principes imperii habenas tenuerunt, proventus fuit, vide Plinium libro I. epist. 10. & 13. paucorum celebratur hodie memoria. Imo ex tanta copia vix paucorum nomina ad nos pervenerunt, paucissimorum certe scripta. Neque id mirum. Historicorum enim plerorumque, qui sub Principibus vixerunt, id potissimum operam dederunt, ut res horum domi militiaeque praeclare gestas traderent, privatorum hominum plane immemores. certe ingenio atque artibus qui praestiterunt, eos raro commemorant, si ab illis discesseris, qui in aula Caesarea docuerunt, aut consiliis Imperatorem instruxerunt: qui tamen non per se, sed ad illustrandam Augusti historiam nominantur. Quid? ipse A. Gellius posteris satis laudatus, a sui vero aevi scriptoribus, quamvis non usque quaque honorum immunis, praeteritus plane & neglectus fuit, usque adeo, ut ne de vero hominis nomine hodie constet. nam scrupulum de nomine ejus necdum mihi exemtum sentio. Certum enim est Agellios fuisse per haec tempora vel ex uno monumento, quod Fabrettus habet Inscript. pag. CCLX. Porro

C. VALERIUS C. F. AGELLUS

est in Gruteri Thesauro pag. MXVI. Quid Prisciano de Agellii nomine notatum sit, dudum ab aliis est monitum, nec etiam nobis hoc loco alieno nova investigare lubet.

CAP. XV.

Stilus Aviani Antoninorum saeculo convenit. Neveleti & Barthii de Auctore judicia refutantur. Aviani fabulae Joanni Sarisberiensi, ut & saeculo ejus notissimae. Laus Joannis hujus, nec non Albini. Excusatur prolixitas Commentariorum ejus. Ii non probabantur, nisi referti quarumvis disciplinarum litteris. Corruptissimi Grammaticorum commentarii, nec omnes ejus sunt, cujus nomen praeferunt. De Cornuti, Donati, Servii, Acronis, Porphyrionis commentariis. Asconius interpolatus. Philargyri notae Servii commentariis mixtae. Poëtis antiquis versus nonnulli suppositi a Ludimagistris. Hi multis modis Avianum corruperunt. Integras fabulas ei subjecerunt. Nicolaus Perottus a plagio liberatur.

Avia-

Aviani fabulae in aliud genus carminis conversae. Neveleti & Barthii perversa persuasio notata.

Adseruimus Avianum suo saeculo, proximum nunc est, ut sermonem ejus, & stilum eidem vindicemus. Ipse ergo si sub Antoninis vixit, necesse est, ut huic saeculo verborum & sermonis ratio conveniat. Diversis enim Romani Imperii aetatibus diversum linguae Latinae genium fuisse attributum nullus ignorat. Quocirca irritum fore credo laborem nostrum, quem suscepimus in demonstranda Aviani aetate, nisi pariter ostendamus, non abhorrere ab ea linguae genium seu stilum, quo fabulas has conscriptas intuemur. At vero sententiae hujus nostrae acerrimos oppugnatores experimur Isaacum Nicolaum Neveletum Doschium & Casparum Barthium, qui non tantum a politiore saeculo, quale M. Antonini, removerunt hunc Scriptorem; sed indignis passim modis vellicant, & cavillationibus incessunt; modo judicium, modo ingenium desiderantes, modo sermonis barbariem proscribentes. Ut adeo nihil paene ei relinquant earum virtutum, quae libello honorem & laudem conciliant. Nam tametsi Neveletus in Praefatione Avianum non omnino indoctum hominem scribit, eo tamen loco habuit, ut minime locutionis rationem ab eo exigendam existimet, vide notas Neveleti ad fabulam II. plurimaque in eo donanda esse saeculo, neque ad veteris rationis trutinam expendenda ad fab. XIII. quare & tanti sibi non esse Avianum, ut velit vel debeat in eo ubique emendando vel enodando tempus consumere. vid. ad fab. IV. Barthius vero parum sibi constat, dum summis eum laudibus modo extollit, modo ignominiis ac contumeliis vilissimorum Scriptorum ordini postponit. Eleganter ab eo dicta commendat Adversariorum libro XXVII. c. 4. & XXXIX. c. 7. vide notas ad fabulam I. ubi eum cum summis Poëtis conferre non dubitat. iterum ad fabulam II. atque eodem capite perelegantes ejus versus praedicat, adde ad fab. XIV. Contra ignobilem Auctorem nominat Adversariorum XXXIX. cap. 7. non optimum Scriptorem cap. 13 rei metricae imperitiam exprobrat XXVII. cap. 4. judicium requirit ad fab. IX. rursus tamen eodem hoc loco non pauca inesse his fabellis fatetur, quae ceterorum naevos tegunt. Atticismos temporum in eo laudat, aut dicam potius ridet ad fab. XI. & Venerem aevi semibarbari ad fab. XVII. Stili rusticitatem ad fab. XV. quin barbarismos notat ad fab. XVII. Adversar. XIX. cap. 24. Omitto alia. ita certe laudat, ridet, accusat hominem, ut vilem olitorem fuisse existimes, opportuna tamen nonnunquam locutum. Porro hic eum Christianum fuisse non dubi-

bi-

bitat, idque ex ſtilo ſe odoratum. vide Adverſ. libro XIX. cap. 24. Additque libro XXVII. cap. 4. fabularum phraſin prorſus eam eſſe, ut non paucis locis ſacram ſcripturam alluſiſſe & expreſſiſſe videatur. At vero ſi tam ineptus fuit fabularum, linguaeque hic Auctor, qui factum eſt, ut viris nequaquam inelegantibus, atque ultra ſaeculi ſui captum ingeniumque eruditis placuerit? In his eſt Joannes Saresberienſis, qui in Policratico ita ejus meminit libro VII. c. 24. *Et ut AEſopo vel Avieno credas. Videbis, qui ſibi oculum alterum erui gaudeat, dum utroque privetur proximus.* Avianum noſtrum deſignari ſupra docuimus. Hic autem vir praeditus judicio non vulgari, atque exercitatus in optimis Latinae Linguae monumentis, quorum Auctores praeſtantiſſimos, ut digitos ſuos, calluiſſe videtur, verſum quoque hujus Aviani citat, non dicto ejus nomine; haud aliter ac praeſtantiſſimorum Poëtarum verſus ipſe, atque alii ſcriptis ſuis intexere ſolent. Ita enim ille in prologo Policratici: *In quibus ſi quid a fide veri longius abeſt, mihi veniam deberi confido, quia non omnia, quae hic ſcribuntur, vera eſſe promitto, ſed ſive vera, ſive falſa ſunt, legentium uſibus inſervire. Neque enim adeo excors ſum, ut pro vero adſtruam, quia*

Pennatis avibus quondam teſtudo locuta eſt.

aut quod

Ruſticus urbanum murem mus paupere tecto

Suſceperit. & ſimilia, ſed quin haec figmenta noſtrae famulentur inſtructioni non ambigo. tu inſpice fab. II. & videbis, ex Aviano deſumtum eſſe verſum priorem. Alter eſt Horatii II. Serm. 6. 80. Quid autem? anne ex familiari hac allegatione intelligimus Aviani has fabulas Joanni huic non tantum tritiſſimas fuiſſe, ſed & illis etiam, quibus is ſua aetate ſcribebat, poſteriſque notiſſimas fore credidiſſe? Deinde cum fabularum exempla duo prolaturus qualiacunque, alterum eorum ex Horatio exhibeat, alterum ex Aviano, anne id arguit, ex Latinis fabulatoribus aut probatiſſimos ſibi hos fuiſſe, aut ſaltem vulgatiſſimos? De Albino, aut qui commentarios ſcripſit in has fabulas nil dico, neque enim aut hoc opus ejus integrum, aut aliud quidpiam eſt mihi perſpectum unquam; Virum tamen fuiſſe non illiteratum cum ex pannis & centonibus conjicio, quos a tela integra avulſos notis ſuis adſuit Barthius, tum quod formandis Caroli Magni ſtudiis, quae hujus eſt ſuſpicio Adverſariorum XXXIX. c. 7. eſt praefectus a patre ſapientiſſimo. In hoc autem ſpiſſo commentariorum volumine, quod nonnulla aliena reperiuntur, ut queritur idem Barthius, non id tam homini, quam ſaeculo tribuendum, quo commentarios non probabant, niſi qui omnium paene diſciplinarum praeceptis, Dialectices, Rhetorices, Logices (quas

& disciplinas Regio discipulo praecepit Albinus, ut, ni me animus fallit, auctor est Eginhartus) referri erant. Novimus & nos alias commentandi rationes, imo & disciplinas, non majorum dico, sed avorum ac paene parentum aetate fuisse laudatas; alias hodie nos probamus, &, si quid hariolor, alias mox nepotes dabunt, nec forte illi seri; neque enim pro captu lectoris tantum, sed & pro saeculi ingenio & moribus habent sua libelli fata. Forte tamen non ea, qua nunc feruntur, mole scripti sunt ab Albino illi commentarii, sed multis accessionibus aucti, aut ab aliorum commentariis, aut ex ludimagistrorum praescriptis. Idem accidisse reor commentariis eorum omnium, qui in Latinos Scriptores hodie circumferuntur, Cornuti, Donati, Servii, Acronis, Porphyrionis. Neque etiam Asconius interpretatorum manus effugit. Servio quidem Philargyri notas omnes adscriptas videmus. Quae caussa est, cur tanta sit commentariorum in diversis codicibus diversitas, de qua multi monuerunt. Sed quid de commentatoribus Poëtarum atque enarratoribus dico? Ipsos etiam Poëtas contaminare non est verita Superciliosa paedotribarum natio. In quibus tamen inauspicatissimos horum partus, Apolline irato fusos, dudum confixos dederunt magnorum Criticorum obeli. Quae felicitas nostro potissimum, parentumque saeculo contigit. Nil attinet ex praestantissimis Poëtis exempla producere; qui enim plane a Musis Latinis non abhorret, magnam eorum copiam facile recordabitur. Sed quaeso unum Avianum contemplamini, qui prae manibus nunc est, nulla in eo fabula est, quin audacissimam interpolatorum manum sit experta. In nonnullis versus integros, in aliis dimidiatos, in omnibus paene epilogos substituerunt. verba autem & sententias in singulis, fere dicam, versibus mutarunt, imo alienas etiam fabulas Aviano nostro apposuerunt. Et ni ipse fabularum numerum definiisset in Praefatione, credo non grandiora Albini commentariorum volumina hodie fore, quam fabularum Aviani. Nam Glossographus ad §. 11. Institutionum Justiniani Imp. de Societate, Leoninam societatem nomen habere scribit ex fabula Aviani, quam hodie fabulam in hujus libello frustra quaeras; & tamen suspicio est olim in codice fabularum hujus, quo Glossographus ille est usus, adscriptam fuisse; non, quod opiner ab Aviano eam profectam, sed quod existimo a ludimagistro quodam ex Phaedro aut alio fabulatore elegiaco carmine corruptam, atque Aviano adsutam fuisse. Auget suspicionem, quod in antiquis libris, ex quibus hunc Scriptorem, quantum fieri potuit, emaculavimus, nonnullae fabulae omissae fuerunt, dubitantibus, ut credo, librariis, quam ex pluribus Aviano adscriberent. imo etiam ipsum numerum fa-

fabularum in uno tentatum reperimus. Ut autem Glossarum ad Institutiones auctor alienam fabulam Aviano subjecit, ita & Nicolaus Perottus, insigni eruditione vir, in Cornu Copiae, sive commentario ad Martialem libro 1. epigr. 105. se adolescentem, scribit fabulam de arboribus a Diis in tutelam electis jambico carmine ex Avieno, transtulisse: quae fabula abest ab Avieno, seu, ut verius eum appellamus, Aviano, neque ei deberi puto, tametsi forte Perotti libro ea addita fuit, ut complures aliae aliorum fabulae. Equidem certe malo in hac re ignorantiam Perotti, aut memoriae vitium excusare, quo Senior oblitus est, quae a Phaedro accepta, quaeque a se contexta in fabularum opus, quod inde a prima adolescentia struebat, congesserat, quam eum ex sententia Scriverii ad Martialem lib. 1. epigr. 77. furti insimulare. In ipso quidem fabularum volumine fallere eum noluisse ex Praefatione cognoscimus, cujus initium hoc est,

Non sunt hi mei quos putas versiculi,
Sed Aesopi sunt & Avieni & PHAEDRI.

Exhibet eam Praefationem Cl. Burmannus in Praefatione novi commentarii sui ad Phaedrum. Acceperat autem ille Perotti fabularum hoc opus, quod editum nunquam est, a Jacobo Dorvillio V. C. quo cultius ingenium patria non habet. Neque solus Episcopus hic Sipontinus, sed crebro alii quamplurimi, sive ingenii exercendi causa, sive inserviendi Discipulorum suorum commodis, veterum fabulas hoc modo contaminarunt. Certe ut ipse Perottus versus elegiacos in jambos mutavit, ita alii eas in sermonem prorsum converterunt. Inter quos est Rimicius, Hadrianus Barlandus, Guilielmus Hermannus, aliter Guilielmus Gaudanus dictus, Canonicus Divi Aurelii Augustini. Miror autem ex multiplicibus his fraudibus Aviano factis nihil suboluisse Neveleto & Barthio, nasutis ceteroqui viris. Quodsi enim sententias eorum, & judicia de hoc nostro fabulatore, diligentius excutimus, ac pensitamus, videbimus nulla re aeque in sinistram de eo opinionem esse adductos, ac suppositiriis fabularum epilogis; quibus nihil est barbarum ac inficetum magis. Debuit quidem fraudis suspicionem injicere codicum varietas, quorum nonnulli epilogos adgnoscebant, alii plane rejiciebant, alii alios substituebant, sed quae semel animos eorum occupaverat persuasio de auctore nostro ita penitus insedit, ac tenuit, ut moveri dein aut evelli difficulter potuerit. Et monstro mihi simile videtur, cum tantam non modo librorum antiquorum discrepantiam viderent, sed & dissonam & contrariam stili orationem in epilogis deprehenderent, concurrentibus tam manifestis νοθείας atque imposturae indiciis, nihil eos sensisse.

C A-

CAP. XVI.

Mendosissimi hodie libri sunt, qui olim in Scholis fuerunt triti. Inter hos praecipuo loco fabulae Aviani, & Dionysii disticha memoranda. De his Boxhornii judicium rejicitur. Fabularum scriptores corruptissimi recensentur magistrorum conatus. AEsopi, Babrii, Babriae, Gabriae fabulae mixtae. Ignatius Diaconus fabulas scripsit. Cl. Burmanni de hac re sententia. Aviani fabulae potissimum lectae atque in Scholis expositae. Obscoenitas ac scurrilitas Phaedri notata. Nonnulla Christianae sectae vestigia in Aviano. Guilielmus Hermannus cur nonnullas fabulas Aviani omisit. Guilielmi hujus aetas. Florentius Iselsteinius. Rimicii fabulae ligata oratione non fuerunt scriptae. Barthii lapsus. Cl. Nilantio scrupulus a Barthio injectus eximitur. Promythia & epimythia Aviani suppostitia sunt.

Sed quo manifestius appareat, multa his fabulis ab aliena manu detracta, plura etiam addita, & passim plurima vitiata corruptaque in iis esse, sciendum est, Scriptores nullos mendosiores ad nos pervenisse, quam qui in scholis fuerunt triti a pueris, quorum in numero reponitur merito Avianus. Multa in iis perperam a Magistro mutata, multa etiam pejus a discipulis adnotata sunt. Illi dubiis interpretationem adjiciebant, obscuris lucem affundebant, glossas ubique interponebant, atque ut suam artem ingeniumque cirratae turbae testatum facerent, in eodem argumento, quod pueris enarrabant, quasi certaturi cum antiquis Poëtis, vires suas experiebantur, monstrososque foetus suos aut apponere horum operibus, aut genuinis versibus extinctis, subjicere non dubitabant. Pueri autem quibus notis atque interpretationibus veris, falsis, ineptis per lasciviem atque errorem libros suos commaculare soleant, nemo ignorat. Ejusmodi vero codices si nacti fuerunt librarii, servum pecus, describendos, quemadmodum vitia vitiis, errores erroribus cumularint, quisque intelligit. Parum enim distinguentes, quae ab auctoribus profecta erant, aut a magistris praecepta,

aut

aut denique a discipulis male adlita, omnia miscuerunt, aut potiore omisso deterrimum saepe arripuerunt, & suppositiium pro genuino dederunt. Principibus Poëtis, ut diximus ante, aliena haec dudum detraxerunt viri eruditi; mediocribus iniquior sors obtigit, qui etiam nunc turpissimo habitu squalent. Quod de nullo verius, si ab Aviano hoc nostro discesseris, quam de Dionysio Catone Distichorum auctore dicas. Omnia, quae in libris ejus reperiuntur, illi Auctori tribuuntur, quum tamen stili diversitas ludimagistrorum fucum dilucide prodat. Atque ut omittam alia, prologos librorum animadverti velim, quorum inepta atque inficeta oratio satis ostendit, eorum alium esse auctorem, equidem eos ad Grammatistarum periochas ablegandos censeo. Saepe autem mirari subiit, Zuerium Boxhornium, non male de litteris nostris meritum, levissimis ductum argumentis, eo loco hunc Poëtam depellere conatum esse, in quo dudum antea magnorum virorum & praecipue Scaligeri judicio steterat. In promptu nobis sunt, quibus eum ab injuria hac vindicemus, & proferentur ea forte a nobis opportuniore tempore. Tametsi autem in omnes Scriptores, qui in Scholis praecipiebantur, proterve atque improbe grassata est magistrorum audacia, in multis tamen minus temperarunt, quam in fabularum scriptoribus. Ceteri enim libri a Grammaticis doctioribus explanabantur, at vero quia fabulis prima quaeque aetas ac paene infantia imbuebatur, quod ostendimus ad Praefationem, eae ab imi subsellii magistris fuerunt traditae; qui quanto quidem indoctiores, tanto impudentiores in vitiandis antiquis libris fuerunt. Parum erat verba verbis in iis supponere, versibus versus, atque vulgaria flagitia admittere, quae antiquorum monumentis naevos turpissimos induxerunt; sed fabulas omnium miscuerunt, neque epilogos tantum a se commenti sunt, sed & integros apologos adjecerunt. nonnunquam carminis genus mutarunt, soluta quae erant, versibus adstrinxerunt, adstricta rursus rupto metri vinculo dissociarunt. Neque tamen consulto consilio aut animi quadam pravitate omnia haec migrata, confusa, luxata, ab iis credimus, sed dum quisque Magister suo ingenio obsecutus ac judicio undique fabulas acceptas, nonnullas etiam a se compertas, ad imitationem Discipulis suis proponit, & ei Auctori, quem explanat, adscribi jubet, paulatim, quae diversorum fuerunt, plurimorumque hominum, unius nomine circumferri sunt coeptae. Hinc magna fabularum AEsopi discrepantia est. Aliae sunt aliis antiquiores, nonnullae etiam recentissimae. Numeri quoque maxima est diversitas, alii codices paucas, alii plurimas habent. Rursus qui numero pares sunt, dissimili saepe sunt argumento. Babrii,

brii; Babriae & Gabriae nomina non magis, quam fabulae confunduntur, Babrii fabulae omnes periere, ut ex fragmentis constat, quae Suidas conservavit. Resarserunt tamen hoc damnum Magistri redditis illi Babriae & Gabriae fabulis, tametsi versis ratio abhorret. Vide quae diximus de his ad Praefationem. Imo nec Babriae forte sunt; quae hoc nomine venditantur, Vossius namque in antiquis membranis Ignatii Diaconi nomen iis inscriptum invenit, vide Institutionum Oratoriarum lib. 11. cap. 15. §. 5. Neveletus, ut in Praefatione testatur, in Palatinis schedis Ignatium Mastigorem reperit. In tantis tenebris, & flagitiosis, cumulatisque otiosorum hominum imposturis vix verum eruere datur. In Phaedro fingendo, refingendoque ac corrumpendo quid moliti sint seriorum temporum Grammatistae, aut Monachi; perspicue declarant fabulae a Cl. Viro Joanne Frederico Nilant editae. Pretium autem operae est ea de re Viri Celeberrimi Petri Burmanni sententiam cognoscere, ex Praefatione Novi Commentarii in fabulis Phaedri. „Suspicionem „ quidem dudum natam fuisse Viris doctis novimus, & de „ qua nos in prioribus editionibus amplius egimus, Phaedri „ fabulas ideo fere periisse, quia senariis versibus conscriptae, „ indoctis & rudibus librariis sermone soluto credebantur ab „ eo proditae. Quia etiam nulla fere secula effluxerunt, qui„ bus non fabulas fingere, & AEsopi ad exemplum hoc scrip„ ti genere sui temporis mores notare instituerunt viri vel „ mediocriter eruditi, qui vestigia Phaedri prementes, vel „ ipsas AEsopi fabulas interpolaverint, vel ejus nomen inter„ ponentes auctoritatis gratia, affectus proprios in fabellas „ transtulerint. hinc fabulas in immensum fuisse multiplicatas „ diu constitit. Quotquot enim materiam paratam reperi„ rent, & fabulas ab aliis jam proditas legerent, vel majori „ verborum ambitu eas amplificare, vel, ut viderentur a se „ fictae, aliis verbis efferre, vel, mutatis saepe personis & „ animantium sermonibus, exempla & argumenta eadem „ exhibere instituebant. Et hoc modo vera Phaedri, inter „ tot adulteratas & fucatas a monachis & morum magistris, „ merx periit. Ut enim penitus ignoraretur operis antiqui do„ minus, promythia & epimythia etiam adjiciebantur, aut „ ad Religionis Christianae placita accommodabantur, & in„ de etiam saepe alia verba, mores, ritus & personae sub„ stituebantur, & si quae fabulae etiam brevissimae, gen„ tium superstitionem saperent, plenis taedii & fastidii dis„ putationibus ad docentium ex Cathedra morem extende„ bantur. hinc natae illae *AEsopi fabulae moralisatae*, quo ti„ tulo Codices multi in Bibliothecis adhuc publicis & privatis „ supersunt. Hinc sub Remicii, Romuli, & nescio quorum

„ vel obscurorum, virorum, vel nomine carentium, titulis
„ fabulae multae, omnes quidem reliquias quasdam veterum
„ auctorum & vestigia servantes, sed variis interpolatae mo-
„ dis, prodierunt„. Hactenus facundissimus Burmannus. Inter ceteros autem maxime interpolatorum manus expertus est Avianus, credo, quod ex Latinis fabulatoribus paene unice fuit probatus, si non eo saeculo, quo ipse vixit, at saltem insecutis dein temporibus. Titianum cur respuerint Scholastici nescio, a Phaedro absterruerunt obscoeniores fabulae, quarum nonnulla hodie supersunt vestigia. Nec placuit forte vernilis ingenii scurrilitas, in fingendis fabulis, quam libertinus non plane exuit Phaedrus; exempla dabunt I. fab. 29. & IV. 17. Contra nihil est in Aviani hoc libello non probum, non modestum, non ad mores formandos aptissimum; nihil quod non vel in Gynaeceo, Virginum ac Matronarum grege proferas. Neque aliam caussam fuisse arbitror quod tanta copia MSS. librorum Aviani, vix unus & alter antiquus codex Phaedrianarum fabularum superest. Quin haud ita pridem nata est mihi suspicio, levior tamen, non abhorruisse a Christianorum Sacris Avianum, non quod stilus Christianum arguit, ut male opinatus Barthius Adversariorum XIX. cap. 24. & XXVII. cap. 4. sed quod obscure in fabula XXIII. idololatriam explosisse videtur, & fabula ultima martyrium probasse. Non fugit certe harum fabularum sententia Guilielmum Hermannum Divi Augustini Ordinis Canonicum, qui binas illas fabulas cum duabus aliis non recensuit, atque in prosam orationem transtulit, ne videretur Lutheranorum ac Zwinglianorum seu Calvinianorum martyria laudare, quorum nonnulli in ipsis templis pro religione occubuerunt. Vixit autem Guilielmus hic ante duo saecula, nempe saeculo sexto decimo, ardescentibus dudum pontificiorum odiis in idololatriae hostes ac simulacrorum contemptores, purioribusque Sacris addictos. AEtas enim Guilielmi hujus cognoscitur ex Florentio Barone Isselsteinio, cui dedicavit hoc fabularum opus, quae epistola in calce libri exhibetur. Florentium hunc eum esse suspicamur, qui secutus est partes Archiducis Philippi adversus Carolum Egmondanum, Gelriae ducem, vide Hedam de Episcopis Trajectinis, in vita Frederici Badensis, & Pontanum in Historia Gelriae lib. XI. pag. 641. prodierunt autem hae Guilielmi fabulae primum, ut auguror, Lipsiae anno MDXXX. certe antiquiorem earum editionem non vidi: Credo eandem esse, quam memorat Barthius ad Statium Sylvarum I. 2. 85. sed fallitur, dum ex epistola Guilielmi Hermanni colligit Rimicii fabulas ligata oratione fuisse scriptas. Fraudi fuit Barthio, quod in ea Lipsiensi editione, ut & in aliis, Guilielmi epistola exhibetur in fine libri, cum vere de-

deberet subjici Aniani seu Aviani fabulis. nam ejus sunt AEsopiae fabulae, quas ipse in epistola sua ex oratione ligata in solutam se vertisse scribit. quae enim in eo libello seu editione Lipsiensi, imo & aliis, ad hanc editionem expressis, sequuntur fabulae, certe omnes, quae excipiunt collectas ex Chiliadibus Erasmi, non a Guilielmo sunt additae, sed a Correctore typographico, ut appellamus hodie. post has enim haec verba inserta legimus. *Is qui emendandis iis fabulis praefectus fuit, sequentes Apologos ex variis, & his optimis auctoribus collegit, ut a pueris quoque legerentur, quibus nunquam est bene instructa atque copiosa bibliotheca.* Praefuit autem huic editioni fabularum Martinus Dorpius, cujus epistola, ex qua id cognoscimus, exhibetur sub initio libri, post AEsopi vitam ex Planude descriptam. Torsit Barthii is error vehementer eruditissimum Nilantium in Praefatione fabularum, cui scrupulum nunc exemtum puto. Illum autem Guilielmum Canonicum in his fabulis Aviani nove procudendis evitasse cucullati ordinis odia & suspicionem, significare videtur Petrus AEgydius Antverpianus poëmate in hanc editionem composito,

Hunc nec Barbarus ore Zoilaeo
Pinset, deprimet, atque lancinabit.
Hunc vel religiosoli probabunt,
Qui fracti piceo caput cucullo
Ipsis sunt Cynicis severiores.

sed ad Avianum revertimur. Quod si autem probabile est Avianum fuisse Christianum, firmatur inde sententia nostra sub Imperatore gentium caerimoniis addicto scripsisse eum fabulas: non sub Theodosiis, cum nullus metus fuit expromere de rebus Christianis animi mentem. Certe affectus proprios ut Phaedrum sic etiam Avianum in libellos transtulisse, quamvis nihil de ea re moneat, inde videor colligere posse, quod epimythia nulla, nulla etiam promythia fabulis suis adnexuit, ut liberam existimandi facultatem Lectoribus permitteret: omnemque suspicionem offensi aut indignantis animi aboleret, qui ex Phaedri epilogis potissimum arguitur. Nam si unquam plebejo piaculum fuit palam mutire, certe per ea tempora, quibus vixisse ostendimus Avianum, nefas grande fuit & morte piandum, aperte ea profiteri, quae tecte significata ab Aviano putamus. Prologos autem fabularum omnes, nec non epilogos omnes recidendos esse existimo, confictos ab iis, qui passim hunc Scriptorem corruperunt. Praeterquam enim quod ingenti discrimine fabularum atque epilogorum sermo, fingendique modus distant, a nonnullis codicibus plerique eorum plane exulant, neque ab illis tantum, qui nostra caussa sunt consulti, epimythia haec praeterita accepimus, sed etiam in Galeano codice, quo usus est Cl. Bentle-

jus, nulla comparent, quare & ille suppofititia dudum & κακοῦ κόμματος proscripsit in notis ad Horatium in Arte Poëtica vs. 337. Nonnullae membranae in marginem ea rejecerunt, adscripta plerumque a manu secunda. Dolus hic non latuit dudum Editores Lugdunensem, Genevensem & Batavum, qui maximam eorum partem omiserunt: Quanto paratiorem nobis veniam fore puto, qui spuria haec non prorsus deleta extrivimus, sed aliis litteris, quas operae cursivas appellant, distinximus. Quanquam autem inter haec nonnulla sunt, quae omnium & antiquorum librorum auctoritate nituntur, non temere tamen istam a nobis notam adjectam esse videbunt illi, qui commentarios nostros consulent: in quibus ubique caussam suspectae atque alienae lectionis non solum reddidimus, sed & errorum fontes, & interpolatorum improbitatem ostendimus, si tamen improbitas est appellanda ambitiosa sedulitas inserviendi studiis eorum, quos disciplinae suae commendatos acceperant.

CAP. XVII.

Praefatio Aviani minus vitiata a ludimagistris quam fabulae. hujus rei caussa redditur. Ex Praefatione de stilo Aviani judicandum. Iterum Neveletus notatur. Cur Praefatio in nonnullis MSS. omissa. Virgilium potissimum imitatus est Avianus. Eum optimi quique Poëtae sunt imitati. Is in scholis mox post mortem est enarratus. Mutatum hoc a Monachis. Antiquissimorum Poëtarum rationem metricam non ubique observat Avianus. Posteriorem syllabam in dispar *&* velis *corripuit. Caussa redditur.* Far *&* Nar *cur producantur.* Sis *cur producatur. Posteriorem in* heres *an noster corripuerit. An* se *in* sequutus *produxerit. Paucissimi Poëtae, imo nulli praeter Avianum hodie supersunt, qui inde a M. Antonino usque ad Septimium Severum vixerunt. Tertulliani aetate multa mutata in ratione metrica.*

Haec, quae dixi, si cogitassent Neveletus atque Barthius, & si inepta a congruis, falsa a veris, adscititia a propriis in hoc fabularum opusculo distinguere didicissent, clementius honestiusque de auctore earum, atque ejus dicendi ratione seu stilo opinati fuissent. Hoc constare arbitror, si promythiis

mythiis epimythiisque rejectis ipsas fabulas intuemur, auctorem linguae Latinae praestantiorem antiquioremque visum iri, nec indignum eo saeculo, ad quod a nobis evectus est. Haud ignoro, & crebro etiam in notis monui, verbis, imo & versiculis & sententiis parum aptis interstinctas esse nonnullas fabulas, verum hujusmodi quae sunt, ut in multis aliorum monumentis, non auctori imputanda, sed aut Magistrorum audaciae, aut librariorum errori atque oscitantiae. Nec dubito posthaec ex codicibus purgatioribus dein multa corrigi posse, quae diligentiam nostram, atque acumen, si quod est, fugerunt. Ut autem aedificii pulchritudinem non ex singulis lapidibus aut remotioribus conclavibus aestimamus, sed ex forma ejus universa atque ex potioribus partibus; ita etiam opusculi hujus elegantiam non ex privis verbis & sententiis, quae ab imperitis hominibus supervacui tibicines firmissimo operi accesserunt, sed ex pulchritudine totius corporis, aut praecipuorum membrorum spectandam arbitramur. Comtarum fabularum passim exempla dedimus, ita tamen comtarum, si auxilio librorum antiquorum & nonnulla etiam nostra opera sordes & maculas eluere, pristinoque nitori eas restituere contigerit. si qui vero de antiqua eorum elegantia dubitant, quaeso ii Praefationem animadvertant, quae emendatior ad nos pervenit, quam fabulae; quod nulla merces fuit Magistris eam interpolandi, quam pueris praecipere non consueverunt. Ex hac si paucissimos exemeris naevos, manifesta librariorum incuria inditos, ecquid est, quod in ea jure reprehendas? ecquod verbum, ecqua dictio, ecqua sermonis conglutinatio. quae Auctoris nostri tempori atque M. Antonini Imperatoris aevo non congruat? levissima autem, imo temeraria est Neveleti addubitatio in Praefatione notarum ad Fabulas Aviani, inde prologum suppostitium suspicantis, quod in Palatinis schedis atque in suis editionibus antiquis eam non invenerit. Nam praeteritam fere eam in iis libris omnibus existimarim, qui Scholis sunt concinnati, in quibus discipuli Praefatione aequissimo animo caruerunt, fabulas AEsopias disci- turi, non sermonem ad Theodosium. Quam & causam fuisse reor, cur Praefatio haec in nonnullis membranis, id quod etiam in Animadversionibus nostris ad eam monuimus, ad finem libri rejecta fuerit, tanquam parum necessaria. Tot autem ex omnibus hujus epistolae, seu praefationis partibus veritatis indicia ostentantur, quae Aviano eam vindicant, ut operam me lusurum opiner, si quam in hac re demonstranda ponere vellem. Porro Virgilianae dictionis praestantia, quam ubique apte & concinne imitatus est Avianus, non praeclarum tantum decus adjicit fabulis, sed & melioribus temporibus, quam plerique censent, & nobiliorum Poëtarum

ordinibus auctorem inserit. Quamdiu enim pretium fuit Romanis litteris & Musis honos, optimus quisque Virgilium est secutus. Nam ut is Latinorum Poëtarum facile Princeps, Homeri, praestantissimi ex Poëtis Graecis, & Ennii fontes ad suos haustus deduxit, ita ipse posterorum vatum ora suis abunde aquis rigavit. Nec mirum, si quidem statim a morte Virgilii vulgataque AEneide, in Scholis ejus carmina praelecta sunt & teneris puerorum adolescentiumque animis infixa, vide Suetonium de Illustribus Grammaticis cap. XVI. unde & in numerato habuerunt quibusvis in locis versum aliquem Maronis cujusque generis homines, quod ex aliis Tranquilli libris cognoscimus. Mansit haec Virgilii cura inter homines doctos, quoad receptis publice Christianorum Sacris, Divinarum litterarum, peregrinique, quam sui Sermonis studiosiores Poëtae nonnulli, priscam Linguae Romanae venustatem corruperunt. Quorum mox poëmata unice imitati sunt Monachi, & damnata ergastulis atque illiberali otio capita, Virgilii politiorumque ingeniorum libris e manibus puerorum excussis. Ut adeo a tenebrionum horum gregibus vel eo recte argumento Avianum eximamus, quod Maronem studiose legerit, & stilo scite expresserit, nec Maronem tantum, sed & Phaedrum atque Horatium, id quod suis locis ad fabulas ostendimus. Nemo autem existimet excludendum esse Poëtam nostrum ab M. Antonini aevo, quod metricam vetustissimorum Poëtarum rationem in nonnullis, paucis tamen verbis, non sequitur. Ita namque posteriorem syllabam in *dispar* fab. XI. 5. XXIII. 8. nec non in *velis* fab. III. 6. XXIII. 10. corripit, quae syllabae productae sunt optimi saeculi Poëtis. Nam aut hoc pronunciationi hujus aevi dandum, cui semper servierunt Poëtae, aut dicendum priores Aviano Poëtas eas syllabas promiscuas habuisse, cujus usus, ut rerum multarum, dein exempla perierunt. Hoc utique certum, nulla indubitata regula, aut priscorum Grammaticorum praecepto evidenti ratione constituto, defendi syllabarum harum in duabus illis vocibus naturam, sed sola observatione niti. Nam Priscianus lib. IV. pag. 691. Edit. Putsch. & Beda de Metris pag. 2359. reliquorum nominum in *ar* longam naturam caussis veris muniunt. Sic *Far* longum, quia habet in genitivo duplex r *farris*. *Nar* quia in genitivo etiam priorem producit Ennius. At vero *par* contra in genitivo corripit, neuter autem ullam caussam addit, cur in casu primo producatur. Sed Priscianus pro ratione Lucani testimonium adfert. Non ergo mirandum si viri docti temerarium hoc institutum antiquiorum Poëtarum (si tamen id omnes antiquiores secuti) respuerint. Cave enim a solo id Aviano contemtum existimes, nam & alii id spreverunt, quos nominat Vossius de arte Grammatica libro II.

cap.

cap. 3. *Sis* quare produxerint veteres, caussa est, quia contractum est ex *Sies*. at vero quae ratio sit, cur posteriorem in *velis* produxerint, monstrent alii. Posteriorem in *heres* an corripuerit in fab. XXXV. 14. incertum est, vide istic notas nostras. Hoc asseverare ausim falli Barthium Adversar. XXVII. cap. 4. dum primam in *fabella* in fab. VI. 14. correptam ab eo scribit, nam & istic consule notas nostras, & non dubitabis versum adulterinum esse. De *se* in *sequutus* diximus ad fabulam ultimam. De eo quoque vix dubitare licet, si plures haberemus hodie Poëtas Aviano aequales, plura in medium dari posse exempla, illis non dissimilia, quibus ostendimus eum a vetustorum Poëtarum ratione nonnihil deflexisse. At vero incredibilis paucitas est hodie, non dico Poëtarum, qui inde ab Hadriani imperio usque ad Septimium Severum floruerunt, nam prorsus nullus est, si ab Aviano discesseris, cujus integra ad nos monumenta sunt transmissa, sed etiam fragmentorum, & ex tanto naufragio tabularum minutiorum. Quod si enim ad eos descendimus, qui proximi his successerunt, inter quos praecipuo loco memorandus Tertullianus Septimiani saeculi Poëta, multa in syllabarum, praesertim ultimarum ratione eos mutasse intelligimus.

CAP. XVIII.

Redditur ratio, cur disputatio de Stilo & damnatis a Neveleto Barthioque vocibus, a notis perpetuis sejuncta sit. Barthius refutatur. Firmare *vox usitata in oraculis, & Dii* firmare *dicuntur. Valerius Flaccus expositus. Weitzii sententia rejecta. Burmanno quantum debeat Ovidius. Ejus lectio probata.* Gemere *pro loqui & sonitum reddere. Aviani aetate vitiata multum Lingua Latina. Viri eruditi stilum ex superioribus formabant. Crebrae hoc tempore disputationes de vocibus Latinis. Hadrianus Imp. ad priorum exempla verba exegit: item alii. Gellii cura in verbis. Videtur is nullum adhibuisse nisi usurpatum vetustioribus. Vetustiorum multa dicta recentioris aevi videntur.*

Sed desino tandem levioribus telis proludere, quin potius comminus congredimur cum validissimis hostibus Neveleto & Barthio. Quos gravioris armaturae milites dicerem,

aut, si mavis, spectatae atque usu longo exercitatae doctrinae viros, nisi Neveletus in Praefatione ad Parentem Petrum Neveletum Doschium notas suas puerilis aetatis suae fructus appellasset, cujus aetatis excusatiores sunt offensae. Acrius autem & crebrius nobis cum Barthio robustae ac maturae sapientiae viro certamen erit. Ita autem cum his manum conferemus, ut nihil uspiam contentionis aestu abrepti de laudibus ac meritis optimorum virorum detrahamus. Haec enim probata mihi semper est secta, quam & deinceps studiose tuebor: summa opum vi in veri investigationem incumbere; duces in ea re suspicere, comites non gravari. Quae autem ad defendendum Aviani sermonem adversus illos in medium protulimus, separare ea a commentariis nostris perpetuis placuit, atque in hanc disputationis partem conjicere, duas potissimum ob causas: primum ut formae libelli consuleremus, quae prolixiorem disputationem, & qualem contentiones exigere solent, a notis excludit. Deinde, ut ii qui inducti auctoritate Nobilissimorum eximiorumque Virorum, Neveleti & Barthii vilius de Poëta hoc senserunt, rationes, quae nos in diversam egerunt sententiam, quasi obtutu simul adspicere, & attenta mente cogitare atque examinare possent. His tamen nonnulla interposuimus, de quibus quidem lis mota non est a duobus illis viris; dubitatio tamen adferri potest aliis, qui Aviani sermonem cum praestantissimis Latinae Linguae Auctoribus forte contenderint. Quo autem expeditius suo quaeque loco inveniantur fabularum seriei atque ordini dissertationem hanc nostram accommodavimus. En autem tibi Barthium, qui ad Praefationem mox sub initio operis, atque in ipso ejus limine seu Praefatione, Aviano barbarismi dicam scribit, eum autem eruit ex his verbis. *Hujus ergo materiae ducem nobis AEsopum noveris, qui responso Apollinis Delphici monitus ridicula orsus est, ut legenda* FIRMARET. *Praefatio.* Nempe *firmare* ex usu aevi cadentis, atque ex idiomate Gallico & Italico exponit, *fine suo justo mactare, claudere, concludere.* De consilio Aviani quo auctoritatem fabulis ex religione addidit, atque ex oraculo Apollinis, diximus in notis. Recte autem atque ex consuetudine optimorum Scriptorum firmata ea dixit, quae a Dis probata sunt. Virgilius AEneid. II. 689.

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos; hoc tantum. & si pietate meremur
Da deinde auxilium Pater, atque haec omina FIRMA.

Tacitus de moribus Germanorum cap. XXXIX. *Fides antiquitatis religione* FIRMATUR. Claudianus II. Consulatu Stiliconis vs. 166.

Haec auguriis FIRMATA *Sibyllae.*

Virgilius AEn. XII. 188.

Ut

religione
vs. 166.
Virgilius AEn

Ut potius reor, & potius Di numine FIRMENT.

Silius Italicus IV. 126.

Nosco te Summe Deorum,
Adsis o! FIRMESQUE *tuae Pater alitis omen.*

ubi vide Cl. Drakenborch. aliter dixit *numine firmare* Valerius Flaccus III. 711.

Testor, & hoc omni Ductor tibi NUMINE FIRMO.

Numen hic jurisjurandi religionem notat, quod non videtur sensisse Weitzius, qui testem hic Virgilium citat, magis convenit illud Ovidii Metamorph. X. 429.

Vive, ait, haec; potiere tuo: non ausa parente
Dicere: JURATO *promissaque* NUMINE FIRMA.

Ita namque scripsisse Ovidium facile mihi persuadet Burmannus, cui ille Poëta vitam meliorem famamque debet. Sed prae ceteris convenit Aviani verbis hoc Ciceronis dictum, quod & in notis ad Praefationem descripsimus ex libro I. de Divinatione cap. 43. *Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum Rempublicam temperavit, leges suas* AUCTORITATE APOLLINIS DELPHICI CONFIRMAVIT. Sed mitto hoc. Miror autem vocem *gemo* sine obelo aut nota praetermissam esse in hac Praefatione, ita namque Avianus, *Loqui vero arbores, feras cum hominibus* GEMERE, *verbis certare volucres, animalia ridere fecimus.* In quibus haec tria *loqui, gemere, verbis certare* tanquam synonyma cumulata videmus, ita ut omnibus feris gemitus tribuatur. Non ergo *gemere* hic querulo sono loqui, sed simpliciter verba proferre notat, neque aliter fabula XXVI. 7. de Capella

Illa GEMENS, *Desiste, precor, fallaciter, inquit,*
Securam placidis insimulare dolis.

Quaerent exemplum nonnulli: verum omnia dicuntur *gemere*, quae quemcunque sonitum reddunt. Homines, pecudes, ferae, quin & inanimata. De turture, Virgilius Ecl. I. 59.

Nec GEMERE *aeria cessabit* TURTUR *in ulmo.*

De noctua, Propertius IV. 3. 59.

Sive in finitimo GEMUIT *stans* NOCTUA *ligno.*

De canibus, Statius IV. 429.

Nocturnique CANUM GEMITUS.

Et ne de lugubri duntaxat solo accipias, ita Leo ira concitatus *gemere* dicitur, vide Heinsium ad Valerium Flaccum I. 758. nos ad fab. XXXVII. 13.

Protinus ille gravem GEMITU *collectus in* IRAM.

Taurus, Virgilius AEneid. XII. 722.

& sanguine largo
Colla armosque lavant. GEMITU *nemus omne remugit.*

Ursus, Horatius Epod. XVI. 51.

Nec vespertinus CIRCUMGEMIT URSUS *ovile.*

Sylva, Valerius Flaccus I. 727.

Infelix jam mille furoribus Haemus
Jam Rhodopes NEMORA *alta* GEMUNT.

Terra, Virgilius AEneid. XII. 334.

GEMIT *ultima pulsu*
Thraca pedum.

Fenestra, Ovidius ex Ponto III. 3. 10.

Et GEMUIT *parvo mota* FENESTRA *sono.*

Buxa, Sidonius Carm. XI. in fine

Per bifores REGEMUNT *cava* BUXA *cavernas.*

Omitto alia. Non aliter *queri* dicuntur omnia, quae sonitum quomodocunque & quemcunque reddunt etiam suavem, unde *querulae Chordae*, Ovidius Amor. II. 4. 27.

Haec QUERULAS *agili percurrit pollice* CHORDAS.

Adde Giranium in Indice Lucretiano & Torrentium ad Horatium Epod. II. 26. ad quem versum vetus Scholiastes, *Veteres omnium animalium voces querelam vocarunt.* Quidni idem de *gemitu* affirmemus? Nec dubito plura Aviano suppetiisse olim exempla, qui, ut ante diximus, exercitatus videtur in superiorum Poëtarum monumentis. Qui autem eruditi haberi volebant Aviani aetate, non ii vulgata saeculi sui lingua loquebantur, multo minus scribebant, quae, infusa dudum peregrinitate in Urbem & Curiam, Veterum Quiritium bellis Civilibus ac Principum crudelitate caedibus exhaustam, inquinatissima fuit. sed sermonem suum ex antiquorum libris conformabant, unde crebrae de dictis & vocibus disputationes non inter Grammaticos tantum horum temporum, sed etiam praecipua dignatione viros. De Hadriano testatur Sosipater ex Cominiano, quaesisse eum, an *obiter* Latinum sit. Spartianus in Hadriano cap. XV. *Cum his ipsis Professoribus & Philosophis, libris vel carminibus invicem editis, saepe certavit. Et Favorinus quidem cum verbum ejus quoddam ab Hadriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano de verbo, quod, idonei auctores usurparunt, risum jucundissimum movit.* Exempla aliorum passim ex Gellio Noctibus Atticis colliguntur. Quin a Gellio ipso multa vocabula usurpata invenimus, quae in antiquorum monumentis ad nostra tempora proditis desiderantur; de quibus tamen haec mihi sedet sententia, eorum verborum nullum esse, quin ab antiquioribus & Classicis Scriptoribus, ut ipse eos appellat, acceptum tulerit. Idque persuadet sollicita atque anxia viri elegantia in verbis ferendis. Non me fugit recentioris aevi multa videri, sed qui Naevii, Ennii, Caecilii, Pacuvii, Attii, Lucilii, Afranii, Catonis Censorii etiam, atque aliorum reliquias, non dico ab omnibus Grammaticis conservatas, sed ab uno Nonio Marcello delibatas, manu sua ver-

versavit, haud pauca in iis necesse est deprehenderit, quae, nisi de antiquitate constaret, vix in sequiorum aetatum Scriptoribus ferat.

CAP. XIX.

Avianus emendatus. Locare sc. *Usus promiscuus praepositionis* in *adversus Neveletum adsertus. Antiquiores differentiam praepositionis* in *praecipue spreverunt*, in potestatem fuisse. *Veteres multum auribus dederunt etiam contra Grammaticorum praecepta. Justinus saepissime neglexit vulgatum praepositionis* in *usum. Exempla ex MSS. producuntur. Phaedri lectio antiqua defenditur. In solatio dicere.*

Dixi in notis ad fab .11, vs. 1. dubitare me an scripserit Poëta *Fab.* 11.

Pennatis avibus quondam testudo locavit.

Nempe hoc sensu, testudo locavit se (quod pronomen saepe intelligitur) in id, ut proferret conchas. Cicero pro Q. Roscio Comoedo cap. x. *Locabat se non minus H. S.* CCCIↃↃↃ. Formula autem *locavi ut*, passim ex jure petitur. sed de hoc existimet quisque ut volet. Ceterum quae de multiplici usu verbi *locare*, & ad defendendam antiquam lectionem Phaedri lib. 1. fab. 16.

Fraudator nomen quum locat sponso improbo.

hic disputare decreveram, ea ne libellum hunc, nimio observationum onere premamus, in alium locum rejecimus. Sed praetermittendum hic non est, quod idem Neveletus mox ad vs. 11. „Vix video, inquit, quomodo Latine dici possit *subli-* „ *mes in auras mori*, sed cum scirem exigendam minime a re- „ centioris aevi scriptoribus locutionis rationem, locum hunc „ intactum praeteriissem.„ Negat ergo Neveletus Latine dici *in auras mori*, & nescio quam ob rem hic recentioris aevi scriptores carpat. Credo ex Grammaticorum praescriptis unice probavit *in auris mori.* At vero num minus Latine sunt locuti, aut recentioris aevi scriptores censendi, qui cum casu quarto hic praepositionem hanc construunt? Nullus id hodie paullo humanior dixerit. Quanquam autem prava horum verborum distinctio in errorem devocaverit Neveletum, neque enim *mori in auras* dixit Poëta, sed *ingemiscere in auras*, quod in notis nostris ostendimus, tamen, quia etiam alibi Avianus noster eum praepositionis hujus usum, quem solum Latinum censere videtur Neveletus, contemnit, nonnulla pro

Au-

Auctore dicenda sunt, non quod ea eruditioribus ignota esse putem, sed ne minus peritis in suscepta hac causa praevaricati esse videamur. Nam & sic noster infra XVII. 15.

Nulla quidem medio convenit in aggere forma.

Mallet certe Neveletus, ut Latine sonaret, *in medium aggerem.* neque etiam improbata est ea locutio Aviano, nam IX. 6.

In mediam praeceps convenit ursa viam.

Mutavimus id quidem in *en venit.* sed ea emendatio non caussam mutat, quam hic agimus. Illud tamen intelligimus promiscue usurpatam esse Aviano praepositionem *in*, neque id ex consuetudine recentiorum factum, sed quanto quisque vetustior est linguae Latinae, atque elegantior auctor, tanto frequentius promiscue duplicem casum, quem praepositio haec recipit, positum reperiet. Servius id ἀρχαϊσμὸν vocat ad Virgilium AEn. II. 541. & VI. 339. X. 387. Amicus autem quispiam Gellii, vid. Noctes Attic. I. c. 7. homo, ut ipse Gellius testatur, lectione multa exercitus; cui pleraque omnium veterum literarum quaesita, meditata, evigilataque erant, vulgus semi doctum dixit, qui soloecismum putabant, *in potestatem fuisse*: & praeterea contendit, ratione dictum certa & proba, qua Graeci ita uterentur, Plautumque idem dixisse demonstravit. Addit autem Gellius. *Sed enim praeter Plautum, cujus ille in praesenti exemplo usus est, multam nos quoque apud Veteres locutionum talium copiam offendimus, atque his vulgo annotamentis inspersimus* (vid. XVII. c. 2.) *ut rationem istam missam faciamus, & auctoritates. sonus tamen & positura ipsa verborum satis declarant, id potius ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων modulamentisque orationis M. Tullii convenisse, ut, quoniam utrumvis dici Latine posset,* POTESTATEM *dicere mallet, non* POTESTATE. *Illud enim sic compositum jucundius ad aurem completiusque; insuavius hoc, imperfectiusque est. Si modo ita explorata aure homo sit, non surda, nec jacenti.* Haec si in mentem venissent Neveleto, non puto hoc dicendi genus recentiorum more, ac praeter rationem prolatum arbitratus fuisset. Imo vero didicisset, in construenda cum nomine praepositione hac, Romanos non tam Grammaticorum regulis paruisse, quam sonum ad aures explorasse. Qui sane quantum in oratione valuit, abunde docet eum Cicero tum alii. Tametsi autem non cujuslibet auris est, ut scribit Quintil. I. Institut. Orat. c. 4. exigere litterarum sonos, neminem tamen auris tam obesae opinor, quem non hic sonus terminationis offendit, quater per duos versus repetitus sublimis auris votis suis. Haud nescio Augustaei Saeculi Poëtas non abhorruisse a vocibus in medio atque in fine versus eodem sono terminatis, & varia exempla concumulavit Broukhusius: in duobus versibus continuis id frequentatum fuisse non memini. Si qui reperiuntur dormitanti excidisse,

disse, aut ad incudem revocatos non esse sentio. Et puto, magis probatas in hoc genere syllabas in vocalem exeuntes, quam in litteras sibilantes. Sed ut revertar ad praepositionem *in*, vix vereor dicere nulli eam sensui adhiberi, sive pro ad, sive pro erga & contra, vel quomodocunque tandem voles, quin exemplis probari possit eam indifferenter poni, modo cum accusativo constructam, modo cum ablativo. plurima tamen harum locutionum exempla perierunt, exstincta a librariis, quod vulgaribus ea regulis, quas pueri didicerant, ac solas probant, adversari intelligebant. Ingentem tamen copiam nonnulli codices Justini reliquerunt, quibus tanto major fides est habenda, quanto res ipsa alienior a librariorum vulgarium intelligentia. Nonnulla ex his proferemus, praesertim ea, quae a melioribus hodie editionibus hujus Scriptoris exulant, lib. I. cap. 6. n. 8. *Astyages meriti sui* IN HARPAGO *oblitus summam belli eidem committit.* Nulla autem caussa est, cur hoc minus ab Auctore profectum putemus, quam illud lib. I. 5. 5. *Animum minacem duntaxat* IN ILLO *fregit.* quod nunc editum videmus ex auctoritate librorum priscorum, ut & I. 6. 16. *Nepotemque* IN ILLO *magis, quam victorem egit.* I. 7. 10. *Si quis* IN CROESO *crudelius consuluisset.* ita autem V. C. Abrahamus Gronovius exaratum invenit in Mediceo, Magliabequeo & sex Leydensibus, qui & istic hujus locutionis alia exempla suppeditat. II. 10. 5. *Se esse, quem primum* IN REGNO *jam Rex Pater sustulerit.* & hoc Editiones praeferunt. II. 13. 6. *Satis multos hostes* IN GRAECIAM *remanere.* VIII. 6. I. *Quosdam bello captos* IN SUPPLEMENTIS *Urbium dividit.* ita & scripti & editi. II. 4. 7. *Quae consuetudo* IN SUCCESSORES *quoque Alexandri mansit.* XIV. 4. I. *Nam & hoc etiam* IN SOLATIO *foret.* XVIII. I. 3. *Duobus parvulis filiis Alexandro & Heleno* IN SOLATIO *secum longinquae expeditionis adductis.* anne autem haec confirmant scripturam MSS. Phaedri I. 9.

Lepus semianimis mortis IN SOLATIO.

XVII. I. 4. *Cujus sororem Lysimachus* IN MATRIMONIUM *habuerat.* XVII. 3. 4. *Cum* IN TEMPLO *Dodonaei Jovis ad consulendum venisset.*

CAP. XX.

Judicium Aviani a criminatione Barthii defenditur. Cur ursae ab hominibus humi projectis & mortem fingentibus abstineant? Sententia Aviani probata AEliano. Interpres AEliani notatus. Βδελύττεσθαι *quid in AEliano significet. Aristotelis sententia*

tia expenditur de ingenio ursarum. Verba dare *pro loqui an recte dicatur. Antiquissimi minus metaphorice locuti. Terentius nove expositus,* exclamat furem *esse. Dousae emendatio rejecta. Veteres verba ad aures magis quam ad Grammaticorum regulas explorarunt.* Capiti *pro* capitis *aut* in capite. S & M *litterae a vetustioribus non semper in fine expressae, quia exilius pronunciabantur. Hinc eae in monumentis saepe omissae & a Poëtis elisae. Lapis expositus. Non unus modus fuit religandi capillos.* Calvi comati *qui apud Martialem. Quid* περικόμιον, *quid* ἔντειχον *dixerit Julius Pollux, ejus lectio emendata.* περικόμιον *glossae cur* antias *dixerint Galeri & galericuli discrimen.* περικεφαλαία *&* φενάκη *quid. Lucianus expositus.* περικόμιον *quomodo dicatur* περιθῆναι *&* πειθῆναι. *Galericula an ex pelle facta. Suspecta sententia Casauboni.* Relicare *pro* religare *&* reliquare *scriptum vetustis.* Reliquare *quid notet.* Reliquare *capillos.* G *&* C *olim distinctae non fuerunt.* C *pro* Q. Locor *pro* loquor. Licet *pro* liquet. *Florus unde corruptus. Tertullianus emendatus.* Coquere lutum. *Suetonius correctus.* Inquietare *somnum turbare.*

Ad Fab. IX. Indicii errorem in Poëta hic ad vs. 11. arguit Barthius, eumque tam manifestum putat, ut non opus sit nominato. Equidem autem, qui meus est stupor, Barthii acumen, aut Poëtae crimen necdum perspicio. An illud est, quod olidum dixit hominem existimatum ursae, quem ipsa modo vivum viderat, & unguibus elevarat, recentemque & non olidum cognoscere potuerat? Quid viderit haec Ursa Aviani, nescio, neque id inquirere lubet, sed hoc scio ab AEliano tradi, ursas abstinere a venatoribus, qui, ut hic viator, in terram sese prosternunt, exanimesque fingunt. qui venatores utique, aeque ac viator Aviani, videri ab ursa possunt. si peccavit in eo, quod huic historiae, de natura ursarum traditae, crediderit, gravissimorum aliorum fide peccasse censendus est: qui error, ut Quintilianus scribit, honestus est. Hoc certum, nihil hic Avianum tradidisse aut credidisse, ab auctoritate aliorum, quo-

quorum nomina in notis protulimus, alienum, id quod satis est ad eum ab errore imputato absolvendum: Sed judicii peccatum forte in altero erit, quod hominem ursa recentem esse olfacere potuit, sed videamus AElianum de Animalibus v. 49. *Αἱ ἄρκτοι τῶν θηρατῶν τοὺς εἰς στόμα πεσόντας, καὶ τὸ πνεῦμα εἰς ἑαυτοὺς ὤσαντας ὀσφρησάμεναι, ὡς νεκροὺς παραλιμπάνουσι,* corruptissime haec vertuntur in vulgatis editionibus. interpretanda hoc modo. *Ursae venatores in os projectos & spiritum in se reducentes* ODORATAE *tanquam mortuos deserunt.* addit hanc caussam AElianus. *Καὶ δοκεῖ τοῦτο τὸ ζῷον τὸ νεκρὸν βδελύττεσθαι ejusmodi enim animalium genus existimatur mortuos odisse.* Caussam tamen nullam video, cur non hoc loco *βδελύττεσθαι* interpretemur *ob odorem abhorrere:* ursas namque *ὀσφρησαμένας βδελύττεσθαι* scribit, in quo ergo discrepant AElianus & Avianus? ille tradit relinquere Ursam hominem prostratum, quod exstinctum odorata, ob odorem abominatur: Hic, quod hominem unguibus elevatum, olidum credit. Imo ut verum fatear, ea est verborum, nedum sensus, in utroque auctore, convenientia, ut aut alter ex altero, aut uterque ex eodem auctore sua depromserit. nullum itaque crimen in Avianum convenit. quod item AEliano non intentandum. Superest ergo, ut in utroque hoc judicii crimen diluamus. Sed quodnam quaeso hoc crimen? Dicet Barthius, facile sentire potuit hominem recentem non foetere? ajo idem, si ursus homo sit, nam sic non tantum mendacium fingentis mortem odore deteget, sed & palpitatione cordis, venarum pulsu, aliisque indiciis. Deinde quis dabit eodem modo hominem ursis olere, quo hominibus solet? maxima est sensuum omnium in hominibus diversitas, at quanto eorundem in animantibus diversis? Naribus nostris ursorum odor gravis est, forte & noster ursis. At ais, dilaniat ursa homines. Do hoc; sed non nisi dolore concitata atque impetu rapta hoc facit. imo ne concitata quidem in homines semper irruit. Ex Alberto docet Gesnerus etiam vulneratam ab homine recedere lambendo ungues. Quis autem impetus in prostratum, jacentem, immotum? Ad extremum, quid si dicamus, ursum despicere & contemnere hominem, quem mortuum existimat, non tam sensu ipso foetoris, quam, ubi leviter odorem hominis projecti naribus tentavit, opinione & cogitatione, ut solent homines nauseantes, quibus non tantum perceptio foetoris, sed & imago ejus, mente formata, nauseam & stomachum movere solet. Atque adeo videri potest deseruisse hominem prostratum ursa haec fabulosa metu teterrimi odoris, qui tametsi exiguus aut nullus ex cadavere hominis integro, ex laniato tamen foedissimus spargi solet. Quod si porro Aristotelis quis opponat auctoritatem, docentis ursum maceratis potissimum

de-

delectari, is sciat oportet, non raro id fieri, ut in animantium natura atque indole describenda, a reliquis abierit Aristoteles. Deinde & hoc modo cum aliis conciliari hic potest, ut dicatur reliquorum animantium carnem putrescentem appetere ursum, hominis autem non nisi viventis ac sub maxillis palpitantis. Olim in hoc loco Aristotelis exponendo erravit quoque Michael Ephesius, sed eum in viam revocavit Niphus, verba utriusque proponit Gesnerus de Quadrup. I. pag. 943. Verum pergimus ad vs. 20.

Nam secreta diu multaque verba dedit.

Quid? *Verba dare* anne decipere, fallere notat? quo ergo auctore pro loqui usurpavit Avianus? anne autem hoc *dicta dare* dixerunt meliores scriptores? Non nego, *dicta dare* hoc sensu frequentatum magis esse. Sed dicant mihi velim, qui illud reprehendunt, quae differentia inter verba & dicta? Deinde anne *verba dare*, cum decipere notat & frustrari, non suo sed alieno sensu usurpatur, id est μεταφορικῶς? suo ergo sensu & proprie quid notavit? anne id quod hoc loco notare vides: nempe dicere, loqui, dicta dare? Ut autem antiquior proprius verborum usus, quam metaphoricus seu translatus, ita dubitandum utique non est, quin antiquiores, & legerit noster & probarit. Quo autem antiquioris temporis scriptor, tanto crebrius eo verborum horum sensu usum fuisse puto. Illud tempus antiquum designo, quo Rhetores nondum atque umbratici doctores Romana ingenia deleverant, Catonisque, Scipionis, Laelii, & Furii mascula eloquentia vigebat. Exemplum hujus aetatis unum producam, sive id ab ipso Terentio sit profectum, sive ab obtrectatore ejus: Hoc scio minus intellectum fuisse Donato, & recentioribus Poëtae hujus interpretibus, forte & recentissimis, quorum commentarios necdum mihi consulere licuit. Ita autem Prologus Terentii ad Eunuchum vs. 19.

Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt;
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus cum ibi adesset, occepta est agi.
Exclamat furem non Poëtam: fabulam
Dedisse & nihil DEDISSE VERBORUM *tamen:*
Colacem esse Naevi & Plauti, veterem fabulam,
Parasiti inde personam ablatam & militis.

Ita distinguendus versus 23. *Exclamat* hic notat conviciis insectatur, vide Festum in *Inclamat.* ita *exclamare Uxorem* Plautus in Amphytr. v. 2. 18. male hic Dousa *inclamat* substituit: sed hoc nobis alias agetur. Exprobrat autem Poëta vetus seu obtrectator Terentio furtum. Fabulam eum dedisse quidem, sed nulla verba aut dicta de suis addita, omnia hausta ab Naevio

vio & Plauto. *Exclamat ergo furem* est exprobrat, seu conviciatur eum furem esse.

Calvus eques capiti solitus religare capillos. Fab. x. 1.

ita MSS. codices omnes, contra tamen Editiones complures *capitis*. Sed hae praerancid s & faetutinis, ut Probus Valerius appellat, Grammaticorum finitionibus obsecutae ita emendarunt. Qui tamen aures magis teretes habuerunt, quibus veteres plus tribuerunt, quam umbraticorum hominum scitis, ii *capiti* servarunt, litteram enim sibilantem extritam hic voluerunt Veteres. A Scriptoribus autem elegantissimis majorem rationem habitam esse sonus vocum atque verborum jucundioris, quam regulae disciplinaeque, quae a Grammaticis reperta est, prolatis exemplorum testimoniis docuit A. Gellius Noct. Att. XIII. cap. 20. ita *capiti* pro *capitis* vel *in capite* dixit, nescio quis, certe non ineptus Poëta, in marmore quod descripsit Fabrettus Inscript. cap. III. num. 655. pag. 238.

NON POTUI PARVUS PUERILEM IMPLERE JUVENTAM
NEC VESTIRE MEAM FLORE NOVO FACIEM
NEC SENIOR CAPITI NIVEOS MUTARE CAPILLOS,
AT FATO VICTUS FORTE PUERPERII.

Virgilius AEn. VII. 687.

Pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent CAPITI.

X. 270.

Ardet apex CAPITI, *cristisque a vertice flamma*
Funditur.

IX. 808.

strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & saxis solida aera satiscunt,
Discussaeque jubae CAPITI.

Ubi Servius *jubae capiti, pro quae* IN CAPITE *sunt*. Et sane aut pro genitivo, aut pro ablativo hic *capiti* ponitur, qui casus affines sunt, & in innumeris locutionibus misti, ut commodiore tempore ostendemus. anne & huc pertinet Ecl. VI. 16.

Serta procul tantum CAPITI *delapsa jacebant.*

Et AEn. VII. 666.

Ipse pedes tegumen torquens immane Leonis,
Terribili impexum saeta cum dentibus albis,
Indutus CAPITI.

Utrocunque autem modo accipias, sive pro genitivo, sive pro ablativo, hoc scio, solitos fuisse in fine vocum amoenioris sonus caussa cum *s* tum *m* elidere. res certa ex monumentis antiquis. Marmora Felsinea pag. 424.

ET CETE
RIS OMNIBU EX LEGE PLENA
UT PRAESTENTUR.

Monumenta quae in agro Clivensi extant, atque a me descripta sunt.

MARCINUS SUR
CONIS F. BRENU

Item

J. O. M.
T. CRANIU

Fabrettus Inscript. cap. IX. n. 269.

FORTUNAE FELICI
SACRUM
C. MINISIU C. F. PRIMITI
VOS.

An & huc pertinet *sacerdos Junoni* cap. IX. n. 37. scio tertium etiam casum hic valere, sed secundus usitatior. Idem Fabrettus cap. VII. n. 366. pag. 522.

REVOCA ME AD DOMU ATHEODOTENIS
AD DOMINUM MEUM VITALIONE

In eadem pagina plura exempla videre licet. item cap. V. n. 385.

Q
UI MECUM
CONVIXIT AN
NIS VICINTI
SEPTE MENSES
TRES.

Et ne quadratariorum hoc peccatum existimes in versu etiam extriverunt versificatores nonnulli, n. 373.

ROMA MIHI PATRIA NOMEN MEU PRIMUS IN
AEVOM.

Quod arguit binas illas litteras in fine vocabulorum exilius pronunciatas & vix animadversas, quam & porro caussam fuisse auguror, quare in versu absorptae *m* & *s*, illa ante vocalem, haec ante consonantem haud raro apud antiquiores. Imo *m* a priscis Romanis in fine non adjectam fuisse testatur vetustissimus lapis plurimis descriptus,

HONC OINO. PLOIRUME CONSENTIONT, R.
DUONORO. OPTUMO. FUISE VIRO
LUCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI
CONSOL. CENSOR. AEDILIS. HIC. FUET A
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQUE. URBE
DEDET. TEMPESTATIBUS. AEDE. MERETO.

In

In quibus his omnibus vocibus detracta est m *oino*, *duonoro*, *optumo*, *viro*, *Scipione*, *Corsica*, *Aleria*, *Urbe*, *aede*. haud alia ratione ad captandam euphoniam *capiti* dixit Avianus, & alii, quos nominavimus, pro *capitis*, aut saltem pro *in capite*. Nam si *capiti* in tertio casu accipias, & *religare capiti* exponas religare atque aptare alienos capillos capiti suo, quid quaeso differet versus sequens ab hoc priore? imo vero tautologia haec erit ineptissima. Scio in prolixo carmine nonnunquam probari eam, at vero in epigrammatio, & brevioribus fabulis vitiosa est. Contra autem si *capitis* legas, aut *capiti* exponas eo sensu, quo dixi, *religare capillos* notabit vel simpliciter ligare, ut Horat. IV. II. 4.

Est ederae vis
Multa, *qua* CRINES RELIGATA *fulges*.

vel retroligare, nempe ad occiput, sic dixit Vellej. II. I. 5. & Sueton. Vitel. c. XVII. *religare manus post terga*. Sil. II. 77.

RELIGATA *fluentem*
HESPERIDUM DONO CRINEM.

Praesertim ita capiendum, si *nodo* legitur ex conjectura Heinsii. Sciendum autem non uno modo religatos crines dici; sed admodum varie, pro variis comendi artibus: revinxisse, aut ad occiput comas videntur, qui aut ad latendum, ut Nero (Sueton. in ej. vit. cap. XII.) aut ad calvitiem solam tegendam, Galero utebantur, frontem & verticem nudi, cetera comati, quos festive Martialis *calvos comatos* nominat, X. Epigr. 83. Hoc modo versus hic Aviani quidem utcunque defenditur, si tamen dicendum est quod sentio, verbum *religare* corruptum esse existimo, vulgatumque substitutum a Magistellis pro minus vulgato, quod saepius in hoc scriptore commissum reperi. Nam ut fingitur hic eques ab Aviano, atque a Graeco fabulatore, non omnino calvus is fuit, sed tantum *vertice calvo* ut vs. 2. seu *fronte calva* vs. 7. adeoque non toti capiti galerum aptavit, sed parti nudae. ξένας τρίχας τὴν ἑαυτοῦ κορυφὴν περιθεὶς, *verticem crinibus circumdedit*, vid. fab. CCLXXXVIII. Graeci προκόμιον dixerunt aut ἔντριχον ejusmodi galericulum. colligimus hoc ex Polluce lib. II. c. 3. n. 30 sed locus male distinctus & editus, pejus forte intellectus est, hoc modo legendus ac vertendus. ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ πηνήκη, καὶ προκόμιον, πρόσθετον, οὐ γυναιξὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν οἳ, ἐνδεῶς τριχῶν ἔχοντες εἰς κόμης λόγον πράττουσι: τὸν δ' αὐτὸν καὶ ἔντριχον ὠνόμαζον. *appellabatur aliquod genus etiam galericulum*, & *προκόμιον*, *adpositum non solum mulieribus*, *sed & illi ex viris*, *qui raros capillos habebant*, *instar comae adhibent*, *id ipsum etiam* ἔντριχον *nominabant*. neque tamen etiam illius codicis scriptura displicet, qui habet ἀνδρῶν τοῖς ἐνδεῶς, in quibus verborum aliqua, sensus nulla est discrepantia. quod autem dicit

προκόμιον fuisse & ἐντριχον dictum, non perinde verum est. conveniunt in hoc, quod utrumque veris & nativis comis interponitur, differunt tamen in loco. Nam illud fronti, hoc cuicunque alii loco, adfigebatur. Recte ergo haec Suidas distinguit in πηνίκη. Ἔντριχος autem an προκόμιον fuerit, quo hic Avianus scribit equitem usum, parum refert distinguere; tale certe fuit operculum, quod Tertullianus de Cultu feminarum cap. VII. *operculum verticis* vocat. plerumque ab his προκομίοις cincinni dependebant, sive per frontem, sive per tempora, qui in puerorum atque puellarum imaginibus saepe conspiciuntur, quae Latinis antiae & capronae appellantur, & quia hae pars προκομίου fuerunt, in glossis προκόμιον exponuntur. ab his distinguitur φενάκη & πηνίκη, quae & περικεφαλαία appellatur, Latinis *Galerus*, quo inumbrabatur caput totum, ut προκομίῳ atque ἐντρίχῳ tantum pars; quare ille proprie galerus, hoc galericulum appellabatur, quale fuit ab Othone propter raritatem capillorum gestatum, ἐνδεῶς τριχῶν ἔχοντι. Propter quam caussam Pollux προκόμιον atque ἔντριχον inventa scribit. nam galerum nominat Suetonius in Ner. cap. XXVI. qui omne caput operiebat. Huc non pertinet galericulum, quod describitur Martiali lib. XIV. Epigram. 50. neque illi etiam galeri, qui capillati non fuerunt, περικεφαλαίαι οὐ τριχωταί. Luciano tamen φενάκη appellatur galerus, tametsi non totum caput circumdabat; dignus est locus qui hic adscribatur, quod ex eo liquet non totum caput conditum fuisse semper his capillamentis, vide Dial. Meretr: qui Tryphaena & Charmades inscribitur. *ἐπίσκεψαι γὰρ ἀκριβῶς ὑποβλέψας ποτὲ τοὺς κροτάφους αὐτῆς, ἔνθα μόνον τὰς αὐτῆς τρίχας ἔχει, τὰ δὲ ἄλλα φενάκη βαθεῖα. contemplare enim diligenter adspiciens aliquando ejus tempora, ubi suos duntaxat crines habet, nam cetera gravis est galerus.* Nomina autem haec affinia inter sese commista nonnunquam fuisse largior facile, praesertim tum, cum res ipsa exiguum discrimen faceret, ut in Philematio de qua Lucianus, cujus omne caput fuit tectum capillamento, si paucos capillos ad tempora exceperis. non aliter προκόμιον atque ἔντριχον dicimus περιθῆναι, quod rectius tamen προσθῆναι diceretur, ut apud Pollucem. Sic & Graecos imitatus galerorum omnium formas complexus mihi fuisse videtur Tertullianus de Cultu feminarum cap. VIII. cum dicit *circumdare capillum.* non assentior Fr. Junio haec exponenti aliter, inde περίθετον, Aristophani. dixit περιθέτην Amphis & Menander, ut alibi docet Pollux. Galericulum autem sive πρόσθετον appositum est capiti, sive περιτίθη, id est circumdat calvam, ut adeo diverso respectu idem apponi & circumdari tam Graece quam Latine dicatur. Ex pellibus factos hos galeros, aut dicam potius galericula, docet Casaubo-

bonus ad Sueton. in Othon. c. XII. quod necdum mihi persuadere potui. In eam sententiam credo adductus est a Martiale XII. Epigr. 45. sed aliud hoc genus galeri est, certe non comati. Ex his intelligimus, qualis fuerit hic fabulosi equitis galerus, quem extra versum galericulum rectius appellabimus. Non enim toti capiti accommodatum fuit, sed parti calvae, quae in vertice erat. verticem ergo alienis capillis ornavit eques, ceteras partes suis finxit pro more illorum, de quibus Manilius lib. v.

Illis cura sui cultus, frontisque decorae
Semper erit: totos in fluctum ponere crines,
Et vinclis revocare comas, & VERTICE DENSO
Fingere, & APPOSITIS caput emutare capillis.

Hunc autem galericuli comtum, cum in vs. 2. tradat Avianus, necesse est aliud quidpiam in vs. 1. exposuerit. Quale autem id fuerit perspicimus, si vocem *religare* mutamus. sed ne opus quidem mutato. Credamus duntaxat in antiquissimis codicillis scriptum fuisse *relicare*, quod cum non intelligerent illi, qui passim hunc nobis Poëtam corruperunt, promtissime in *religare* mutarunt. Quae vox facilis est & ubivis obvia & praeterea in capitis comtu ornatuque capillorum usitata. Vere quid sit *relicare* & *reliquare* ex Jurisconsultorum scriptis potissimum nunc intelligimus. calculatoribus peculiaris olim fuit haec vox, inde Scriptores alii transtulerunt ad res alias, quae demta parte reliquae sunt: sic Tertullianus de Anima c. LVI. *Ajunt & immatura morte praeventas eo usque vagari istic, donec reliquatio compleatur aetatis, qua tum* (sic legendum, non ut alii maluere *quacum* aut *qua cum*) *pervixissent si non intempestive obiissent.* Et mox *nulla erit reliquatio temporum, non constitutorum.* antea dixerat c. XXXVIII. *reliquatricem debitorum. Reliquare* ergo capillos dicitur, qui cum galericulum capiti imponit, non omnes recidit, sed partem relinquit. Et sane vox *religare* non tam dicenda est, ut coepimus monere, hoc loco corrupta, quam non intellecta a librariis, qui eam immutarunt, nam G & C litterae olim non distinctae fuerunt, vide Fest. in *Orcus* & *Prodigia*. neque Decemvirorum tantum aetate, sed & Sp. Carvilii, qui primus eas distinxisse dicitur, tametsi diu post commistas saepe esse quam plurima monumenta docent. Ceterum *reliquiae* & *reliquus* per *c* scriptum veteribus ex Papiriano monet Cassiodorus de Orthogr. c. IV. porro non per *u licuo* scripsisse, sed *lico* illis notum est, quibus vis literae *q* est cognita, de qua multa Vossius de art. Grammat. lib. I. c. 18. & Radulphus Fornerius Rer. quotidian. lib. I. c. ult. quem nuper inter rarissimos de jure libellos iterum vulgavit Cl. Otto in Thesauro juris tom. II. namque haud aliter *locor* dixerunt pro *loquor*, unde est *locuntur* apud Spon. Miscel.

Erud. antiq. pag. 12. quod & in codicibus vetustis reperit Pierius, quem vide ad Virgil. Ecl. v. 28. atque edidit in Prudentio Weitz. vid. Perist. II. 282. & III. 474. Fabrettus Inscript. cap. III. n. 300.

DE CUJUS FAMA MULTI CUM LAUDE LOCUNTUR. Denique inde est *licet* pro *liquet* in notis Valerii Probi, dum N. L. expromit *non licet*. inde porro quod *linquo* non *licutum* facit, ut *acuo*, *acutum*, sed *lictum* (olim enim *lico* fuit) ut *ago actum*. Haud aliter in omnibus Flori Codicibus MStis *detergere remos*, II. 2. 8. corruptum est in *detorquere*. Scriptum fuit *detercere*, hoc alii memores C pro Q saepe legi mutarunt in *detorquere*, cum vere legendum *detergere*. circa eandem scripturam haesere & alibi in hoc Scriptore librarii omnes. II. 2. 28. scriptum fuit *cocitare* mutarunt in *concitare*, cum legendum foret *cogitare*. Similis scriptura & Tertulliani interpretes fefellit in Apolog. cap. XXXV. ubi publica gaudia festis principum diebus exponit *vicatim epulari*, *civitatem tabernae habitu abolefacere*, *vino lutum cogere*. scribe *cocere*, id est coquere, ut *cocus* pro *coquus*. Vino autem lutum coquitur, cum vino profuso inundatur, nam pulvis infuso liquore in modum fervescentis ollae ebullire & spumare solet. Vinum vero, ut liquida omnia infusa diluit, non cogit. Ad extremum haud alia ratione sua vox redditur Suetonio Cal. cap. L. *Incitabatur insomnia maxime, neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat*. tu corrige *inquietabat*. quod verbum saepius usurpatum huic Scriptori novimus. dudumque aliis notatum vocem hanc de insomnia peculiariter dici, *quies* enim somnium notat, inde *inquietare* somnum turbare, Suetonius in Calig. c. LIX. *Satis constat priusquam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos*.

CAP. XXI.

Neveletus refutatus. Jurgia ferre *quid.* Jurgium *id est* juris actio. Jurgare, jure agere. Abjurgare. Lis & jurgium *quomodo distinguantur subtilius. Cicero illustratur & Nonius.* Jurgium actio de jure, lis actio de re. *Varro emendatus. Coelii epistola exponitur.* Calumniam ferre. *Manutii & Brissonii sententia rejecta.* Ferre *pro* inferre. Vulnera ferre, *vulnerare.* Bella ferre, *bellare. Adversus Barthium ostenditur* murem brevem *pro exiguo recte dici. Vox* brevis *hoc sensu optimis Latinae linguae auctoribus usurpata. Martialis lectio a* cor-

correctione Scriverii adseritur. Simia cur brevis *dicta Aviano. A calumniis Barthii vindicatus Avianus. Plusquam perfectum pro imperfecto aut perfecto crebro usitatum optimis Scriptoribus.* Fuerat *pro* erat. *Suetonii lectio defensa.*

Hujus Fabulae versus 8. ita habet, *Fab. XIII.*

Nam timor expulsum jurgia ferre vetat.

At vero in his locutio haec *jurgia ferre* admodum offendit Neveletum. Ita namque ille. „ Danda sunt saeculo plurima, neque ad veteris locutionis trutinam expendenda posterioris aevi scripta. Hic enim quomodo dici queat *jurgia ferre* pro inferre, quomodo hic sumendum, haud satis intelligo. Eget praeterea explicatione hic locus, de qua nihil addam, tantum de sinceritate lectionis dubitare me fatebor. Ergo hic Avianum manifesto crimine & pravae latinitatis & obscuritatis Avianum tenet Neveletus, quia vero nihil huic reponit Barthius, probare id videtur. Equidem autem nihil barbarum hic aut soloecum, nihil tenebricosum aut corruptum invenio. Potissimum offendunt Neveletum haec verba *jurgia inferre.* barbariem eorum atque obscuritatem incusat; credo, quia jurgia hic altercationem, rixam, maledicta ac convicia est interpretatus. Et sane si eo sensu accipimus vocem, obscura non tantum omnia, sed & pugnantia erunt. Dicet enim Avianus, timorem vetuisse taurum jurgia id est convicia ferre, cum tamen versu sequenti convicia acerbissima ipse recenseat, facta a tauro,

Non te demissis saetosum putide barbis.

in quibus paene verbum nullum est, quod non contumeliam habeat. Sed quid causae est, cur hanc illi vocabulo significationem tribuamus? cur non potius jurgium hic litem notare dicimus? aut juris actionem? quae primigenia & propria hujus vocis significatio est. *jurgare*, namque a *jure agere* dicitur, ut enim *litigo*, a *litis* & *ago*, ita *jurgo*, a *juris* & *ago*. Festus *Jurgatio juris actio.* & in *Agere. Agere, jurgari, ut, cum dicimus, agit cum eo furti.* Cavillationem Dacerii ad hunc locum commodiore loco confutatam dabimus. Et Isidor. in Auctario Glossarum *jurgat* exponit *litigat.* Adde Originum lib. XVIII. c. 15. Quare recte glossae vetustae *jurgium* exposuerunt δίκην, διαδικασίαν. Et si Classici scriptoris exemplum desideramus, do Asconium Pedianum, qui ad Cicer. in Verr. lib. I. c. 45. Ubi litem vindiciarum exponit, ita scribit. *Et ideo, qui eam tenet, satisdat pro praede litis vindiciarum adversario suo, quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua* JURGIUM *esset.* Inspice porro l. IV. & V. Cod.

 Theo-

Theodof. & adde Savaronem ad Sidon. Apollin. lib. II. Ep. 7. Similiter *jurgari* pro litigare Justinus XXI. 5. 7. *Apud AEdiles adversus lenones* JURGARI. Hyginus quoque fab. CVII. *Abjurgare* dixit, id est, lite atque in jure adimere. *Quae ira Minervae* ABJURGATA *sunt ab Agamemnone & Menelao, & Ulyssi data.* verum quid multa. ipse quoque Avianus noster pro lite ponit fab. XIV. 5.

Sed nec squamigeri desunt ad JURGIA *pisces.*

Intellige ad eam litem, qua bonitas formae erat disceptanda in concilio Deorum ad Jovem. Haud me fallit a Cicerone, forte etiam a Varrone, inter litem & jurgium subtilius distingui; sed hoc scio, quodcumque discrimen ab iis fiat, neutrum tamen negare, jurgium esse aliquod litis genus, id quod sufficit ad tuendum Avianum, qui pro lite ponit. Cicero namque, (vid. Nonius in *Jurgium*,) ex mente Decemvirorum, vicinos inter sese de finibus aut de servitutibus contendentes scribit jurgare inter sese non litigare, si quidem ut idem monet Cicero *benevolorum concertatio, non lis inimicorum jurgium dicitur.* hoc modo verba distinguenda sunt. Varro autem de LL. pag. 80. haec scribit. *Quod ait jurgio, id est litibus, itaque quibus* RES *erat in controversia, ea vocabatur* LIS, *ideo in actionibus videmus dici: Quam* REM *sive litem dicere oportet. Ex quo videre licet, jurgare ab* JURE *dictum, cum quis* JURE *litigaret.* Ex his videtur colligi posse, jurgium dici de jure actionem, litem de re: hoc dilucidius apparebit, si legatur, *de jure litigaret.* verba, quae sequuntur, admodum sunt mutilata, *a quo objurgat, qui id facit injuste,* reficienda hoc modo. *a quo objurgat, objurgatur is, qui quid facit injuste.* De lite ergo ut dixi, intelligendum hoc loco jurgium, in hanc sententiam. fugax, seu fugiens pauca dixit, quo minus autem jurgia ferret, id est jure & viribus (nam his etiam in possessione retinenda aut recuperanda, sive in lite vindiciarum, nonnunquam usus erat, quare etiam jurgia quandam violentiae adsignificationem involvunt, ut in Virg. XI. 406.

Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit.)

speluncae ac domus suae, a qua nunc vi prohibebatur, possessionem recuperaret, impediebatur metu instantis leonis. *jurgia ferre* itaque hoc loco notabit jurgia vel litem inferre. utrumque autem vocabulum juris esse dico, petitum ex foro Romano. Nam sic quoque Caelius ad Cic. Fam. VIII. Ep. 8. *ferre calumniam* dixit pro inferre; *Scito*, inquit, *C. Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas, calumniam maximo plausu tulisse.* Est autem *calumniam ferre* calumniari, sive malitiosam litem inferre, aut per calumniam ac malitiam aliquem accusare. Hunc namque sensum exigit epistola ea, quem perspicimus, si, quae mox sequuntur, cum illis verbis committimus, ta-

metsi

metsi in aliam plane sententiam ea detorquent viri doctissimi. Vide Manut. in notis, & Brisson. de verbor. signif. in voce *Calumnia*. Tametsi autem locus hic occasionem ostendit admodum idoneam disputandi pluribus, quam eleganter, quam perite ab Auctore nostro locutio illa, in caussa hac sit adhibita, atque inde porro prudentiam juris in eo praedicandi, satius tamen duco eam praetermittere, ne nonnulli praesertim ii, qui nullo usque adhuc numero Poëtam hunc habuerunt, & vix semel ἐγκαίρως, nunquam certe docte loqui potuisse existimant, laudandi potius animo, quam vera scrutandi me opus hoc suscepisse criminentur. Negat autem Neveletus Latine dici *inferre jurgia*, at si jurgium idem est, quod lis, non negabit utique Neveletus eodem modo, quo *litem inferre*, etiam *jurgium inferre* dici posse, quis autem tam linguae Romanae imperitus est, qui hoc usitate dici dubitet? quum certum de litibus non tantum, sed omnibus malis atque incommodis inferri dici. Unus Cicero multa dabit, plura etiam prisci Jurisconsulti, quae quia in vulgus notissima sunt, hic praeterimus. Sed ad ipsam vocem *jurgium* redeamus: num quidquam ab ista locutione *inferre litem* differt illud Phaedri dictum I. fab. 2. JURGII *caussam* INTULIT? ad quem locum vid. Gud. & Burman. *Sed ferre* pro *inferre* credo inaudita vox est, & nullis Oratoribus aut Poëtis usitata. Non nunc de illis laboro, sed Poëtae nostro cum Virgilio convenire docebimus, & id puto ad eum tutandum satis erit. Ita autem ille Georg. IV. 330.

FER *stabulis inimicum ignem atque interfice messes.*

AEneid. XII. 299.

Venienti Ebuso, plagamque FERENTI
Occupat Os flammis.

In Cul. 254.

Jam truculenta FERUNT *infestaque vulnera, corpus*
Alter in Alterius.

aut si hoc non placet, tametsi non video cur id jure displicere possit, dicatur simpliciter, *jurgium ferre* poni pro jurgare, ut *vulnera ferre* pro vulnerare, *bella ferre*, de quo Drakenb. ad Silium III. 365. pro bellare, sic *ferre auxilium*, *suffragium*, *curas*, pro auxiliari, suffragari, curare.

Sed properamus ad fab. XIV. 9.

Hic brevis informem traheret cum simia natum. *Fab. XIV. 9.*

false Barthius ad fab. XI. 10. vocem *brevis* in hoc versu perstringit; haud dubie, quia significationem, quam Auctor ei hic tribuit, a Latinis auribus abhorrere putat: sed vir ille vere magnus aut nimia festinatione imprudentior, aut multarum diversarumque rerum varietate distractior, passim offendit in notis ad hunc Avianum. Num enim novum id, atque

que insuetum *murem brevem* dicere pro exiguo, & parvo, atque ita opponere non longo proprie, sed magno? aut si hoc verbum tam insolens est, quid ergo Avieno faciemus Arateorum Auctore, quem egregium Poëtam, atque eruditum omnes praedicant? is autem de sidere, quem leporem Astrologi dicunt, ita canit vs. 978.

Semper in occiduo procul alter cardine in austri
Dividis imbriferi corpus medium, Capricorni,
Idaeique pedes pueri, postremaque caudae
Caeruleae pistris, BREVIS *hic* LEPUS: *hic canis artus*
Conditur extremos.

Vocem *pistris* addidi ex emendatione Grotii. Quis autem ille brevis lepus! nempe idem ille, quem vs. 747. *parvulum* dixit.

PARVULUS *in stellis* LEPUS *est quoque. namque ubi magnus*
Emicat, Orion gemina ad vestigia subter
Urgetur cursu rutili canis.

Priora hausta sunt ex Germanico ad verbum. porro quid fiet Claudiano, qui Epigram. II. hystricem *brevem bestiam* dicit?

Ecce BREVIS *propriis munitur* BESTIA *telis.*

Ubi & ipse Barthius, quod sane mirandum, Livium atque Tacitum significationis hujus auctores citat, namque commentatur ad istum versum „ *Brevis bestia*, exigua, minuta. Sic „ brevem fortunam, pro parva, minuta, non larga colebant „ Romani, ut notatum Formularum collectoribus. Ex Li-„ vio, Tacito, Suetonio, Cicerone, notatum jam aliis.„ Hactenus Barthius, quod autem in Claudiano probavit Barthius, cur id in Aviano damnat? verum ut mittam Theodosiani aevi scriptores, nec de Ausonio dicam; qui *brevem puteum* dixit, Eidyl. III. 25. *breve vulnus* Prudent. XIV. Perist. 973. neque de Martiale, cui saepius pro parvo atque exiguo est usurpatum, sic *brevis libellus*, I. Epigram. 46. *breve rus*, I. 115. 2. *breves Rubras*, IV. 64. 15. *brevior offa*, VIII. 36. 6. & nescio cur Scriverius XIV. 31. de cultro venatorio.

Hic BREVIS *in grandem comminus ibit aprum.*

levis corrigat. nam brevis & grandis hic opponuntur. ipsos Augustaei saeculi, atque aureae aetatis scriptores darem complures, si otio abuti vellem. Nunc ex exemplis quam plurimis, haec pauca accipe, *rus breve*, Ovid Fast. IV. 692. sed nullus locus certior hoc Ovidii Metam. IX. 226.

Nunc quoque in Euboico scopulus BREVIS *emicat alte*
Gurgite.

Vides hic dilucide *brevem scopulum* dici, tametsi alte eminet, mavult tamen *alto* Heinsius, sed tu vide Gebhard in Crepund. III. c. 23. plane non dubia est scriptura hujus in Fast. II. 574.

Qua BREVIS *occultum* MUS *sibi facit iter.*

Quis

Quis credat *brevem murem* dixisse, quia longus non est! sed *murem brevem* appellavit, eodem sensu quo noster *murem parvum*, fab. XXXI. I. *exiguum* Virgil. Georg. I. 181. quod epitheton laudat Quintil. Institut. VIII. c. 3. Adde huic Germanicum in Arat. in pleiad. BREVIS *est* LOCUS, Avien. in opere ejusdem argumenti *arctiorem locum* nominat. Manilius etiam *brevem* magno opposuit Astron. III pag. 73. edit. Scal.

Ne MAGNA *brevibus careant compendia dictis.*

& IV. pag. 94.

Unaque bis denis BREVIOR *nocet, unaque* MAJOR.

Horatius quoque *brevem censum* & *magnum*, Od. II. 15. 13.

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum.

Serm. II. 2. 36.

quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.

Senec. Troad. 854.

Neritos PARVA BREVIOR *Zacyntho.*

Adde Heins. ad Claud. IV. Cons. Honor. 510. & Stil. I. 42 proferentur in hanc aut saltem non dissimilem sententiam alia infra fab. XXXVIII. 12. his credo satis munitum quisque existimabit Avianum. Cur autem simia hic *brevis* dicatur, si quis roget, respondeo nequaquam vacare hoc loco epitheton; anne enim ridiculum, brevem hanc atque exiguam, contemptaeque formae bestiam, tanta informis nati, sibique simillimi, fiducia, in tanta multitudine animantium, corporis amplitudine, ac faciei decore longe praestantium, ad comitia haec descendere, ac prae ceteris properare? certe id adeo ridiculum ut & ipsum Jovem, regia gravitate severum in risum dederit.

Dudum autem nos Fab. XV. 3. vocat *Fab. XV. 3.*

Namque inter varias fuerat discordia formas.

Hunc versum ita notat Barthius: „Stilus est rusticus non „ observans stricte nimis tempora verborum. de Pavone.

„*Et simul erectae circumdans tegmina caudae,*
„*Sparserat arcanum rursus in Astra iubar.*

contaminatum esse vs. 3. in notis ostendimus, sed fac scripsisse ita, ut codices praeferunt, num ulla in his rusticitas notanda? At inquit Barthius, quomodo conveniunt haec tempora verborum in continuis duobus versibus *fuerat* & *trahunt?* Deinde quomodo plusquam perfectum convenit versui 7. *Sparserat?* Itane autem, eruditissime Barthi, rusticitas est appellanda, si *fuerat* plusquam perfectum pro imperfecto *erat*, aut perfecto *fuit* ponitur? Simili ergo ratione urbanissimos Poëtas rusticitatis condemna, si potes. Ovidium Heroid. III. 45.

Di-

Diruta Marte tuo Lernaesia moenia VIDI:
Et FUERAM *patriae pars ego magna meae.*

III. 67.

Fit propior, terrasque cita ratis ATTIGIT *aura:*
Femineas VIDI *corde tremente genas*
Non satis id FUERAT.

Amor III. 8. 3.

Ingenium FUERAT *quondam pretiosius auro.*
At nunc barbaries grandis, habere nihil.

Arte Am. I. 103.

Tunc neque marmoreo PENDEBANT *vela theatro:*
Nec FUERANT *liquido pulpita rubra croco.*

IV. Fast. 427.

Valle sub umbrosa locus est, adspergine multa
Uvidus ex alto desilientis aquae.
Tot FUERANT *illic, quot habet natura colores,*
Pictaque dissimili flore NITEBAT *humus.*

III. Trist. XI. 25.

Non sum ego quod FUERAM.

IV. 2. 27.

Is qui Sidonio fulget sublimis in Ostro
Dux FUERAT *belli.*

Manilius V. pag. 172.

Quae tua tunc FUERAT *facies! ut fugit in auras*
Spiritus.

Martial. I. Epigr. 20. I.

Si memini, FUERANT *tibi quatuor, AElia dentes.*

Et sic *potuerat* Terent. Eun. I. 2. 33.

patriam & signa cetera
Neque SCIEBAT, *neque per aetatem etiam* POTUERAT.

Quod ad *sparserat* attinet, quaeso te Barthi, quae rusticitas est in hoc sensu? cum certarent de forma Pavus & Grus, ille explicans gemmantem caudam sparserat arcanum jubar. sed fac pro imperfecto aut perfecto usurpatum hic plusquam perfectum, num haec enallage temporum abhorret a lepore summorum ingeniorum? At vero Virgil. AEneid. I. 483.

Ter circum Iliacos RAPTAVERAT *Hectora muros,*
Exanimumque auro corpus VENDEBAT *Achilles.*

Neque aliter Caesar Bello Gall. II. I. *quam tertiam esse Galliae partem* DIXERAMUS. Ovid. Met. IV. 673.

nisi quod levis aura capillos
MOVERAT *& tepido* MANABANT *lumina fletu.*

Virg. AEneid. IX. 799.

Quin etiam bis tum medios INVASERAT *hostes:*
Bis confusa fuga per muros agmina VERTIT.

Ad quem locum haec Servius, *aut speciem praeteriti temporis*

mu-

mutavit, aut tempora, nam cum dixisset INVASERAT, *subjunxit* VERTIT.

Martialis XI. Epigr. 40. 12.

Si Tyrios sumsi cultus, unxive capillos,
Exclamas, nunquam FECERAT *ista pater.*

Auctor elegiae in mortem Maecenatis.

SEDERAT *argutas garrulus inter oves.*

id est sedebat. Nonnihil de hac re Quintilianus IX. cap. 3. & prae ceteris velim hic legi, quae habet Seneca Ep. CXIV. Ex qua intelligitur nonnullos data opera ex hac inaequalitate decus captasse. Multa diligenter congessit praeterea Cortius in Indic. Sallust. voc. *Enallage.* Sic & noster fab. XXVII. *Continuisset* pro contineret, ubi vide notas nostras; adde Vorst. ad Justin. XIII. 2. II. XIII. 3. 14. Ausonius Praefatione ad Syagrium vs. 3.

Adscripsi, ut nosces, bone vir, quicunque FUISSEM.

Anne sic Virgil. Ecl. VI. 49.

At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo TIMUISSET *aratrum.*

Aut si hoc Poëtae rejicis, saltem crede Suetonio in Aug. cap. C. *Nec defuit vir praetorius, qui se effigiem cremati euntem in coelum vidisse jurasset.* Non mirum autem, si unus & alter codex hoc loco vulgatiorem loquendi usum praefert *juraret*, potius mirandum in tanta MSS. copia longe maximam partem minus usitatam servare, quod bonitatem ejus probat, quam & confirmat similis Suetonii locutio in vita Virgilii, quae vulgo Donato, sed false, adscribitur, *ei quidem virga populea more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta in brevi coaluit, ut multo ante victos populos adaequavisset*, sic enim meliores Danielis schedae, vide istic Gronovium.

CAP. XXII.

Iterum Barthius refutatur. Avianus leviter tentatur. Indicativus pro subjunctivo crebro usurpatus. Praestringere & perstringere *quomodo differunt.* Strictura *quid. Lucretio sua lectio reddita. Acidalii sententia rejecta. Glossa suspecta.* Stringere *leviter attingere. Valerius Maximus emendatus bis. Asconius Pedianus emendatus. Tacitus emendatus. Jureti sententia rejecta. Gellius emendatus. Suetonius correctus. Neveletus refutatus.* Monstrum *pro* miraculo. *Festi interpretes notantur.* Duplex mon-

monſtrum. Duplex *de aſtuto.* Monſtrum *contrario ſenſu. Elephas & taurus cur* monſtra *dicuntur. Mus cur* monſtrum *dictum.* Prodigium *quid.*

Fab. XVII. Sed & in hoc verſu Barthius tempora verborum neglecta ſcribit

Nunc tibi, qualis eram, nuncius iſte refert.

Eram enim pro *ſim* poſitum indignatur, quibus ſimul & tempus & modum neglectum docet Aviano, praeter conſuetudinem boni ſaeculi. Sed quis hic *eram* non ferat? Turbabam modo feras, inquit venator, ſed me prae te tum contemſiſti, nunc accipe nuncium, qui tibi ſignificabit, qualis eram, & quibus viribus fiſus te, ſocioſque tuos, turbare audebam. Verum ſi hoc non arridet, ſequamur fabulatorem Graecum, ille autem his verbis, δέξαι καὶ ἴδε τὸν ἐμὸν ἄγγελον, οἷός ἐστι, καὶ τότε ἐγὼ ἐπέρχομαί σοι. *Nuncium hunc meum accipe, & vide, qualis ſit, mox ego adero.* in hanc ſententiam verſus leviſſima hac mutatione adjutus tranſibit.

Nunc tibi, qualis ero, nuncius iſte refert.

verum de modo etiam litigat Barthius, at innumera ſunt exempla indicativi pro ſubjunctivo uſurpati. Virgilius AEneid. II. 738.

fatone erepta Creuſa
SUBSTITIT, ERRAVITNE *via ſeu laſſa* RESEDIT
INCERTUM.

Ovidius Heroid. XVII. 226.

NESCIO *quo tellus me* TENET *iſta modo*

Adde Scioppium Indice ad Priap.

Viſum porro fuit, pluribus verbis hic cauſſam reddere, cur in vſ. 8. fabulae hujus XVII.

Perſtrinxitque citos haſta cruenta pedes.

perſtrinxit potius, quam *praeſtrinxit* probaverimus. quae paſſim confuſa reperiuntur, neque hoc etiam loco a librariis ſatis diſtincta fuerunt. De his verbis multi multa, quorum ſententias collegit Cl. Drakenb. ad Silium I. 358. in gloſſis eſt *praeſtringo* περισφίγγω, & Nonius *praeſtringere* exponit *obtenebrare & valde claudere*, nempe notat majore luce, aut dicam potius, pluribus ſtricturis vincere, ita ut *prae* in hoc compoſito notet quod in *praecello*, *praeclarus*, Avienus prognoſt. 106.

Rutilis totamque volantibus AETHRAM
PRAESTRINGIT FLAMMIS.

Qui locus Silio illud verbum vindicat I. 358.

Qualis ſanguineo PRAESTRINGIT LUMINA CRINE.

cui & dudum aſſeruit erudite nuperrimus interpres. Gloria ſu-

ſuperare ſignificat in illo Auſonii de Claris urbibus II. 5.

Fuit haec, ſubit iſta, noviſque
Excellens MERITIS *veterem* PRAESTRINGIT HONOREM.

Imitatus hic eſt Lucretium III. 1057.

Qui genus humanum ingenio ſuperavit & omnes
PRAESTRIXIT *ſtellas, exortus uti AEtherius ſol.*

Ubi miror hodie legi *reſtinxit*. Fruſtra autem Acidalius in notis ad Vellejum II. 118. 4. ſecutus alios *praeſtinguit* legit, ſiquidem vox *Stricturae*, quam Gloſſae exponunt τὸ ἀπὸ τοῦ σιδήρου πίπτον, *ſcintellas ferri candentis*, arguit de luce rutilante aut ſplendore *ſtringi*, & *praeſtringi in uſu eſſe*. Addit Nonius in iis locis, ubi, quid ſint ſtricturae, docet *quod fulgore oculos praeſtringunt*. Plinius N. H. XXXIV. 12. *A ſtringenda acie oculorum vocabulo impoſito*. Sed quid haec ſibi gloſſa vult *perſtringere ἀναστρέφειν?* verius Nonius *perſtringere*, *attingere*, *radere*, idque ſubjectis iſtic exemplis probat. ſed tamen ita quoque Avienus Phaenom. vſ. 958.

His celeris veſtigia ſumma
PERSTRINGUNTUR *equi*, *perſtringitur ales ab ipſo*
Verticis extremo.

Nam ſic legendum, ut vere monuit Grotius, nam & *ſtringere* eſt leviter attingere, inde in Gloſſis *ſtringentia*, *attingentia leviter vulnerare*, Servius ad Virg. AEneid. IX. 576. Inde dicitur *perſtringi*, cum de vulnere eſt ſermo quodcunque enſe, ſagitta, aut quocunque telo, quod cutem dividit, vulneratur. Virgilius AEneid. X. 344.

Magnique femur PERSTRINXIT *Achatae.*

Valerius Max. VI. 8. 2. *Conſulem autem C. Marium Praeneſtinae obſidionis miſerabilem exitum ſortitum, cuniculi latebris fruſtra evadere conatum, levique* VULNERE *a Teleſino, cum quo commori deſtinaverat* PERSTRICTUM *ſervus ſuus, ut Sullanae crudelitatis expertem faceret, gladio trajectum interemit.* Sueton. in Claud. c. XV. JACTU *graphii & libellorum genas* PERSTRINGERE dixit: *lapidibus perſtringere*, Aurelius Victor in vita Antonini Pii. Ex his intelligimus aliter dici *praeſtringi oculum*, aliter *perſtringi*, illud fit cum ſplendore alterius hebetatur, hoc cum telo rimam vel vulnus faciente percutitur. quare illud verbum reddendum puto Valerio II. 10. 6. poſteaquam enim de Cimbro juſſo, ut Marium interimeret in carcere dixiſſet, eum claritate viri occoecatum, abjecto ferro fugiſſe, addit *Cimbrica nimirum calamitas* OCULOS *hominis* PRAESTRINXIT. ſic legendum, non *perſtrinxit*. dubito de alio Valerii loco lib. IX. 1. 5. *Sed in horrida & bellicoſa provincia, cum praeſertim acerrimus hoſtis Sertorius Romanorum exercituum* OCULOS *Luſitanis* TELIS PERSTRINGERET. Propius tamen eſt ut exiſtimem calamiſtris inuſſiſſe haud diſſimilem aliorum ſententiam, qualis illa Livii XXX. c. II. *Jam ſigna quo-*

que

que legionum appropinquabant: tum vero Masaesyli non modo primum impetum, sed ne conspectum quidem signorum atque armorum tulerunt. adde Flor. II. 18. 5. Huc pertinet illud Vegetii II. c. 14. *Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat*, & maxime hanc sententiam nostram confirmat Asconius in Divin. Ciceronis, ubi de verbo *praestringere. Vel*, inquit, *a praestigiatoribus transtulit hoc verbum, vel a tironibus, qui ignari & rudes pugnae etiam vano armorum sonitu* (sed quid *sonitus* ad praestringenda lumina? & res ipsa, & subjectum Plauti exemplum clamant splendorem hic armorum requiri. Mihi quidem vox nulla aptior, quae τῷ *sonitu* substituatur hoc loco, in hoc temporis articulo succurrit quam *rotatu*; Virgilii est

ROTAT ensem

FULMINEUM:

Non ignoro A. Gellium dixisse aliquem *sonitu praestringere*; & locum ipse modo describam, ut id verbum ei confirmem; sed ea metaphora istic vocem usurpavit, quae Asconii dicto non convenit) *terrentur* PRAESTRICTIS LUMINIBUS. PLAUTUS *in Milite glorioso* I. I. I.

Curate ut splendor meo sit clypeo clarior
Quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent;
Ut, ubi usus veniat, contra conserta manu
OCULORUM PRAESTRINGAT ACIEM *in acie hostibus*.

Novi qui hanc lectionem moverint, sed movendam non esse docent omnes Apuleji codices, quos quidem inspexerunt Colvius, Brantius, Elmenhorstius; meminit enim hujus Plautini loci Apulejus, in Deo Socratis. Non ergo telorum Lusitanorum vulnera, sed fulgorem accipio, quibus Romanorum oculos praestrictos dicit Valerius. Verbum *praestringo* reddendum porro Tacito, Annal. XIV. 54. *Quorum* FULGORE *praestringor*: atque Ambrosio in Epistola seu libello altero ad Imperatorem Valentinianum, *Aurea enim, sicut scriptura divina docet, est lingua sapientium litteratorum, quae phaleratis dotata sermonibus, & quodam splendentis eloquii, velut coloris speciosi* CORUSCO *resultans, capit animorum* OCULOS *specie formosi, visusque* PRAESTRINGIT, ubi tamen Juretus in Miscellaneis *praestinguit* probat. Ambrosii illa verba nonnihil confirmant lectionem A. Gellii, Noct. Attic. XI. cap. 13. erutam assertamque a Wesselingio meo V. C. in Observationum lib. I. cap. 6. ex codice Franekerano, *Sed uti caveritis, ne vos facile* PRAESTRINGERET *modulatus aliqui currentis facundiae sonitus*. sed quid dicemus de illo Suetonii loco in Aug. cap. XXIX. *Cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus* FULGUR PERSTRINXISSET. Alii Codices habent *praestrinxisset*, hoc certum notari hic levem tactum fulminis, quem *trancursum* nominat idem

idem Auctor c. LXXXX. ego in hac causa verbum *perstringere* non reformido ex auctoritate Nonii. Ad extremum hoc addo, tametsi verbum hoc plurimis scriptoribus vindicaverim, non tamen usque adeo ei me indulgere, ut ob id nullum locum concedam verbo *praestinguo*, quod eodem prope sensu usurpatum existimo, & nequaquam sollicitandum in iis locis, in quibus id MSS. probant. Cum ergo Avianus & viscera & pedes vulneratos sagitta fingit, necesse est, ut hic in fabula *perstrinxit* unice probemus. Ed. Ant. habet non *citos*, sed *cito*, sed hoc in notis monere oportuit.

In XXIX. Fabula vs. 19. ita Avianus — Fab. XXIX.

Obstupuit duplici monstro perterritus hospes.

Sed non hic virgulam censoriam Neveleti effugit. „Is, novo significatu, inquit, monstrum pro miraculo dixit.„ Quae ergo vetus illa significatio monstri! anne monstra omnia semper miracula fuerunt habita & dicta? si Paullo credimus, aut dicam potius Festo, quem in hac voce interpretanda fideliter secutus esse videtur Paullus, tametsi id parum perspicue notatum est Festi Editoribus; si ergo Festo fides, *Monstra dicuntur naturae modum egredientia: ut serpens cum pedibus, avis cum quatuor alis, homo cum duobus capitibus, jecur cum distabuit in coquendo.* Quis autem est, quin, ut Festus ea monstra dixit, eodem modo miracula appellare dubitet? Et sic Virgilius Georg. IV. 554. monstrum dicit, quod apes ex putrefacto bove nascuntur.

Hic vero subitum ac dictu MIRABILE MONSTRUM
Adspiciunt: liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervescere costis.

Et saepius Virgilius *mirabile monstrum* dixit, ut AEneid. II. 680. III. 26. IX. 120. Recte ergo Ovidius Metam. VII. 294. *miracula monstri* dicit.

Viderat ex alto tanti MIRACULA MONSTRI
Liber.

Quid Florus? cum I. 10. 8. Mucium Scaevolam, Cloeliam, Horatium Coclitem, aut facinora eorum *virtutum monstra* nominat, annon miracula significat? & ne dubites n. 3. ejusdem capitis *prodigia atque miracula* appellat. Livius II. 10. Coclitis illam virtutem *miraculum audaciae* nominat. Et si verum volumus, nullum monstrum sine miraculo est, & nullum miraculum sine monstro est. Siquidem omnes res insuetae, quas homines mirari solent, monstrum ac prodigium importare ac rei futurae indicium habere credebantur. Inde rem miram, & cujus caussa non prorsus perspicua erat, *monstri similem* dicit Terent. Eun. II. 3. 39.

Illum liquet mihi dejerare his mensibus
Sex, septem, prorsum non vidisse proxumis

Nisi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho! nonne hoc MONSTRI SIMILE *est?*

Diceremus hodie, nonne id tibi admodum mirum videtur. Idem Phorm. v. 7. 59.

Quo pacto, aut unde haec rescivit! D. Nescio.
Nisi me dixisse nemini, id certo scio.
C. MONSTRI, *ita me Dii ament* SIMILE.

Verum aliud est quod hic in mentem venit, & posito pignore certare ausim, non perspexisse hoc loco Poëtae sensum Neveletum. Monstrum credo interpretatur rem monstrosam, seu ut ille vult, miraculosam, algorem nempe & calorem ex eodem ore proflatum. At vero non rem Avianus, sed ipsum hominem monstrum dixit, quod duplicis naturae erat, diversaque uno ore ac corpore proferebat, haud aliter *duplex* dicitur *Centaurus*, quod ex diversis naturis conflatus est. Vide Cl. Bentlej. ad Horatium Od. I. 6. 7. atque ita *triplex prodigium* vocatur Geryones, Hispaniae rex fabulosus. Ovidius Heroid. IX. 91.

PRODIGIUMQUE TRIPLEX *armenti dives Iberi,*
Geryones, quamvis in tribus unus erat.

Qui versus plane confirmat dictum Aviani. Imo optime etiam significatio monstri hoc loco convenit sententiae atque expositioni Festi, ut plane hic caecutiisse videatur Neveletus. Quanquam autem vera haec interpretatio, vix tamen dubito, quin Avianus etiam tacite ad illam vocis *duplex* significationem respexerit, qua Horatius l. d. *duplicem Ulyxem* id est astutum, callidum, bilinguem, dixisse visus est multis. Eodem plane modo, quo Plauto Poenus *bisulci lingua* appellatur, simul ut sermo Poeni & animus notaretur in Poenul. v. 2. 74. neque aliter nonnullis Virgilius visus est, AEneid. I. 661. & Silius Ital. II. 56. *Poenos bilingues* dixisse. vide Turneb. Adverf. x. 24. Verum non hic tantum novam *monstri* significationem Aviano imputat Neveletus, sed & ad fab. XXXI. II. ubi mus concitato in iram tauro ita respondet.

Disce tamen brevibus quae sit fiducia monstris.

Breve monstrum hic sese mus appellat, & haec est nova vocis hujus usurpatio: quaeritque Neveletus, an liceat Aviano ex musculo facere Elephantum? respondeo autem tibi, Optime Neveleti, non elephantum facere licuit ex mure, sed murem breve id est exiguum monstrum nominare licebit. & dico nullam hic esse Aviani culpam, sed tuam, qui minus monstri significationem genuinam perspectam habes. Neque autem propterea distichon illud ultimum Fabulae adulterinorum versuum nota signavi, quia verba omnia in eo damnanda mihi censebantur, aut quia nihil in eo Aviani esse credebam. sed ut dicam, quod res est, versus ultimus non placuit, cum-

eumque Aviano indignum existimo,

Et facias, quicquid parvula turba cupit.

prior autem satis probus est, *brevem* pro parvo supra vindicavimus cap. XXI. monstrum autem quicunque tandem in priore distichi versu reposuerit, latinissimum esse ajo. vocatur enim monstrum, ut diximus modo, quicquid insigni aliqua nota conspiciendum atque admirandum. ita saepe plane diversa ac contraria monstra dicuntur. sic admiranda virtute praediti monstra appellantur a Floro, ut supra ostendimus, contra mira improbitate homines similiter recte monstra dicentur. Eodem modo rara pulchritudine, imo & rara deformitate virgo vere monstrum appellabitur. haud aliter ergo recte elephas ob vastitatem corporis insuetam, mus ob brevitatem seu parvitatem monstra vocantur. Elephante enim nullum terrestre animal vastius, mure contra nullum quadrupedum fere brevius atque exilius est. Et si tandem ingentia quaeque atque immensa corpora monstrorum nomine sola censentur, qui potuit Virgilius asilum, οἶστρον Graeci dicunt, muscae similem, ut Nigidius definivit & AElianus de Animal. IV. 5. monstrum nominare, vide Georg. III. 151. aut quod corpore tam vasto est quam elephantus, inter ea monstra quae recenset Martial. VII. 86.

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus,
Si fruitur tristi Canius AEthiope:
Publius exiguae si flagrat amore catellae,
Si Cronius simum cercopithecon amat.
Delectat Marium si perniciosus Ichneumon:
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet.
Si gelidum collo nectit Glacilla Draconem,
Lusciniae tumulum si Thelesina dedit:
Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycae,
Qui videt haec Dominis MONSTRA *placere suis?*

Simili modo portenta dicuntur, cum invisitata magnitudine, tum parvitate admiranda, sic Sueton. in Domit. cap. IV. parvum caput *portentosum* nominat. *ac per omne gladiatorum spectaculum ante pedes ei stabat puerulus coccinatus* PORTENTOSO PARVOQUE *capite.* Et sane venuste admodum mus se *monstrum breve* appellat, cum vulnerasset atque elusisset monstrum illud majus, taurum dico. Anne enim monstri simile erat murem tam exiguum atque exiguitate sua memorandum (quare & perpetuum huic epitheton est, *pusillus mus*, Plaut. Trinum. *brevis mus*. Ovid. Fast. II. *exiguus mus*, Virgil. Georg. I. 181. & Prudent. Apotheos. 805. vide cap. XX. tauro impune dare vulnera? Tauri autem monstra dicuntur Poëtis, ut notatum Rutgersio in Lection. Venus. c. VIII. adde Calpurn. ecl. VII.

Non solum nobis silvestria cernere MONSTRA
Contigit.

Ob magnitudinem credo, nam & in eorum numerum olim Romani Elephantes, quos vetus Poëta apud Pith. Catal. 128. *monstrorum principes* nominat, retulerunt, vide Plin. VIII. c. 6. quaesiisse autem ἀντίθεσιν in hac fabula Poëtam, omnia declarant; sic vs. 1. ingenti bovi mus parvus opponitur: & sic eadem ἀντίθεσις intelligenda in his; monstrum magnum, quod bos, & monstrum breve, mus. tametsi enim bos monstri nomine aperte non vocatur a Poëta, qui tamen Latine sapiunt, iis hoc satis notum est; ut autem in hac Fabula monstro majore mus opponitur, sic etiam in veteri fabula de montibus parturientibus, de hac ita fabulatur Anonymus, quem edidit Neveletus fab. XXV.

Terra tumet, tumor ille gemit, gemitusque fatetur
Partum, paene perit sexus uterque metu.
Cum tumeat tellus, monstrat se monstra daturam,
Hinc homines trepidant & prope stare timent.
In risum timor ille redit, nam turgida murem
Terra parit, jocus est, quod fuit ante timor.

Quin apertius ille fabulator monstra mures dixit Fab. XL. quae est de Rustico & Mustela

Non mihi MONSTRA *necans, sed eras tibi provida soli,*
Sic panem poteras rodere sola meum.

facessat ergo Neveletus, imo facessant & manu exarati codices illi, qui eam scripturam damnant, inter quos est, praeter P. A. quos jam Neveletus designavit, Cort. 2. qui *membris* habet: huic consentit Editio Antiqua. at vero Cort. 2. *nostris* probat. imo vero facessant & illi, qui forte nescio quid de auspiciis aut monstris, quae mures facere dicuntur ex Haruspicum disciplina, Cic. Divinat. II. c. 28. hic somniant.

FINIS.



I N-

INDEX
VERBORUM & LOCUTIONUM,
Quae
in Fl. Aviano occurrunt.

Numerus prior Fabulas, posterior versus designat.

D.

Deli-

Di-

Me

G.

I.

Jusso-

M.

Q.

Quum

in



INDEX II.

RERUM & VERBORUM

Memorabilium, quae in Notis explicantur.

In eo *C* caput Dissertationis ostendit. Quibus autem detracta est littera illa; in iis prior numerus paginam, posterior paginae columnam notat.

Aqua

56

Dis-

G.

H.

L.

an

Par

Popu-

S.

stia-



INDEX III.

SCRIPTORUM ANTIQUORUM,

Qui in Notis atque in Dissertatione illustrantur, emendantur.

In numeris *C.* caput Dissertationis designat: quibus autem detracta est haec littera, in iis prior numerus paginam, posterior paginae columnam indicat.

Isca-

Erra-

Errata in Contextu

Fab. 10. v. 9. & 10. male litteris, quas cursivas appellant, distinguuntur.
Fab. 11. v. 12. discutiendus
Fab. 12. v. 4. compellens.
Fab. 13. v. 10. lege & distingue: consequiturque, tremo.
Fab. 14. v. 9. Tunc brevis.
Fab. 20. v. 10. dabit.
Fab. 27. v. 6. calliditate dolos.
Fab. 30. v. 16. distingue. capi?
Fab. 31. v. 11. distingue. Disce tamen, brevibus quae.
Fab. 35. v. 1. simia partum
ibid. v. 16. humiles
Fab. 36. v. 5. distingue: herbas,
Fab. 37. v. 17. redditur
Fab. 39. v. 15. distingue. nec ausus;
Fab. 40. v. 7. gaudentem *vulpis* amictu.

Errata & Addenda in Notis

pag. 4. col. 2. lin. 52. 53. quae vox proba est
pag. 8. col. 1. lin. ult. & col. 2. lin. 1. Babrium & Babriam.
pag. 9. col. 2. lin. 1. post *Ego*, adde, B. M. lin. 23. distingue, exponit. ita namque.
pag. 10. col. 2. lin. 37. 38. post Melian, adde, In emendationibus tamen Pithoei ad Epigrammata vetusta haec notantur: *minimis* al. *animis. alii Minois.* malim *inanimis.*
pag. 13. col. 2. lin. 1. dele, & 4. lin. 5. 6. distingue, celeritate lupi. lin. 44. adde post operarum, in emendationibus tamen ejus editionis haec inveniuntur, *lupus adsit*, fortasse *lupus audiit.*
pag. 22. col. 1. lin. 36. versus ita sunt legendi. lin. 41. dele *in*.
pag. 23. col. 1. lin. 7. actam esse. quin. lin. 49. distingue, diligenter, studiose, largiter,
pag. 27. col. 2. lin. 38. quam dictorum elegantiam.
pag. 29. col. 1. lin. 7. dele quae sequuntur post formatus, usque ad, & ibi. lin. 49. Saxosis; dein ne.
pag. 30. col. 2. lin. 32. Scholiasten.
pag. 38. col. 1. lin. 2. post parte, adde (ut Pulmannus exponit)
pag. 40. col. 1. lin. 40. Boreas & Sol.
pag. 48. col. 2. lin. 50. adde Pithoeus & Pulmannus, quique hos descripserunt, *mutato murmure.*
pag. 51. col. 2. lin. 17. in Adversar. xxxix. lin. 20. medicina iis facta. lin. 22. volvantur. lin. 28. Distingue, Verum, credo, minus Latine dici existimavit.
pag. 52. col. 1. lin. 8. ἀιῶνιος.
pag. 54. col. 2. lin. 25. distingue, nihil. credat.
pag. 55. col. 2. lin. 32. post Neveletus, adde, & Pulmannus.
pag. 60. col. 1. lin. 28. dele, infra fab. IX. II.
pag. 62. col. 2. lin. 11. post, consentit, adde, Ant. Ed. Burm. lin. 19. *Et magnum*
pag. 63. col. 2. lin. 12. *Clesippus Fusor.* lin. 20. *solvit. & hoc.*
pag. 68. col. 1. lin. 35. hunc locum
pag. 69. col. 1. lin. 42. distingue, indignum Poëta.
pag. 77. col. 1. lin. 24. post judicium, adde. Etiam alii Poëtae priorem syllabam corripuerunt, & videtur in promtu esse ratio. a Scylletio tamen, quod duplicato L exaratur, nomen arcessit Strabo lib. 6. pag. 261. & Plinius lib. 3. cap. 10. adde Stephanum in Σκυλλήτιον.

pag. 78.

pag. 78. col. 2. lin. 32. adde post *inquit*. ceteri *referens positos*.
pag. 84. col. 1. lin. 4. hic exponit. lin. 15. distingue, *Tutuli*, videbimus opportuniore. col. 2. lin. 5. adulterinum.
pag. 86. col. 2. lin. 8. ut versu 2.
pag. 89. col. 1. lin. 31. post 2. 3. adde, Voss. 2. 3.
pag. 91. col. 1. lin. 5. addicit. lin. 38. post Vossianorum, adde 3. & 4.
pag. 93. col. 1. lin. 19. distingue, hirsutos gregum ductores. lin. ult. *elidet*. col. 2. lin. 31. *ervum*.
pag. 96. col. 2. lin. 8. Samon. lin. 19. C. 3. Cort. 1. 3. *hocce*, *forte* C. 3. Cort. 3.
pag. 103. col. 2. lin. 26. post addit, adde, AElianus. lin. 28. dele, AElianus, dele & distinctionem post vocat.
pag. 104. col. 2. lin. 21. *post tergum*.
pag. 109. col. 2. lin. 40. cautibus.
pag. 114. col. 2. lin. 18. illud reprehendo, hoc tamen. lin. 39. *transjecit viscera*.
pag. 115. col. 2. lin. 11. *Dum rogat*, *unde*. & lin. 30. Nevelet. & Pith.
pag. 119. col. 2. lin. 28. post *homo* adde NEVELETUS.
pag. 120. col. 1. lin. 1. *Develleret*, adde, P.
pag. 122. col. 2. lin. 27. *animos*] *tauros*.
pag. 125. col. 1. lin. 38. *velum* quod ex glossa.
pag. 128. col. 2. lin. 10. tenerum
pag. 131. col. 1. lin. 4. Babrius.
pag. 134. col. 2. lin. 1. Ventorum carcere,
pag. 141. col. 1. lin. 34. post *primus* adde, de statuis monumentorum.
pag. 148. col. 2. lin. 13. ἀγέληφι.
pag. 158. col. 2. lin. 8. *quae monuit*
pag. 162. col. 1. lin. 4. irrito conatu. lin. 7. immeritum. lin. 8. herum. col. 2. lin. 3. dele, Propert. II. 2. 11. & repone lin. 10. ante, Burm. ad
pag. 164. col. 1. lin. 23. qui ratione & solertia nocet.
pag. 172. col. 2. lin. 18. *cor rapuisse*
pag. 176. col. 1. lin. 5. *quem petat*
pag. 183. col. 1. lin. 12. post *vanescere*] adde in C. 1. Col. 1. est *spirans* sed. lin. 27. 28. dele quae uncis inclusa.
pag. 184. col. 2. lin. 18. post flocci non est, adde, & tamen Pithoeus *vota divina* edidit, typothetarum forte oscitantia, nihilo tamen secius id recepit Melian.
pag. 187. col. 2. lin. 21. *arvaque sub rigido*. lin. 26. post Batav. adde reliqui *gelido*.
pag. 191. col. 2. lin. 21. tradimus. lin. 30. adde in fine, pro *partum*, *natum* habent editiones duae Neveleti & Batav. lin. ult. *pignora bina*.
pag. 192. col. 1. lin. 3. post *bina*, adde, reliqui omnes *pignora nata*. lin. 29. post Cort. 3. adde, & P. Pulmannus in margine haec addit, *dilexit* id est eduxit, quod quorsum pertineat, ignoro. lin. 40. post, male, adde, Barthius *vix saturata*. lin. 41. scripserit Avianus, nam sic. col. 2. lin. 8. post plena, adde, & hoc probo, propter τὸ *tumet* nam insaturata non tumet.
pag. 194. col. 1. lin. 15. post, Neveletus, adde, Pith. col. 2. lin. 37. post hirsuto, dele usque ad, *dente bovem*.
pag. 201. col. 1. lin. 5. *mors cita*.
pag. 205. col. 2. lin. 5. distingue, petam. imperativus namque.
pag. 208. col. 2. lin. 51. apriclum piscem hic convenire, a viris
pag. 217. col. 1. lin. 29. emendavi, imo delevi haec dudum, & nunc deleo usque ad *altius Poenis*.
pag. 225. col. 2. lin. 42. Palatium creditur dictum.
pag. 226. col. 2. lin. 24. *Impiger*] Edit.

pag. 229.

pag. 229. col. 1. lin. 40. post, *nam satius*, adde, emendavit ita ex ingenio Pulmannus.

Errata & Addenda in Dissertatione.

pag. 240. lin. 34. Barthius, adde, Adversar. L. c. 7.
pag. 242. lin. 21. Cordus
pag. 245. lin. ult. post, *opera quae*, adde *dicuntur*
pag. 247. lin. 42. distingue, imo & Romae. res.
pag. 249. lin. 21. post Cajum, adde, *suum*.
pag. 251. lin. 17. distingue, ut si judex a litigantibus, justitia. lin. 29. ut *praeses*.
pag. 225. lin. 27. Petri Rigaudi prologus in Lugdunensi.
pag. 258. in fine cap. 7. adde, nec tamen intercedo, quo minus hae Junones Gabiae referantur ad Matronas Gabias, quarum multa monumenta ad Coloniam reperta exhibet *Keyslerus* in Antiq. Selectis Celt. pag. 433. & seq.
pag. 260. lin. 37. AURARIAR.
pag. 274. lin. 6. arte Oratorem.
pag. 276. lin. 22. quorum hic Principum.
pag. 278. lin. 4. *laudatur in Titiano.*
pag. 279. lin. 7. Frontonianis.
pag. 280. lin. 29. Petronius Probus.
pag. 281. lin. 24. post fuisse, adde, Avianum. lin. 25. *Avianus Theodosio.* lin. 31. *sollicitudinem.* lin. 34. delinire.
pag. 282. lin. 7. plerique
pag. 283. lin. 28. post contumeliis, adde, traductum
pag. 285. lin. 14. interpolatorum manus.
pag. 288. lin. 22. in nullis tamen minus. lin. 38. fabulas arreptas lin. 39. a se contextas.
pag. 290. lin. 42. post vidi. imo vidi tamen, sed non nisi missa jam ad typographum hac Dissertatione. tu vide quae de Knoblouchii editione Argentoratensi dixi in Praefatione.
pag. 301. lin. 10. probabant.
pag. 302. lin. 24. judicii errorem.
pag. 306. lin. 7. CONIS F BREUCU.
pag. 307. lin. 21. distingue, artibus. revinxisse autem.
pag. 308. lin. 41. ἀβέλτερον Aristophanes dixit.
pag. 309. lin. 11. *tortos*. lin. 18. codicibus scriptum
pag. 310. lin. 25, *inquietabatur*
pag. 311. lin. 20. *jurgia ferre*
pag. 314. lin. ult. *fecit iter*
pag. 315. lin. 21. dele *infra* & repone in locum ejus, in notis nostris.
pag. 324. lin. 12. majori. lin. 13. fabulator. lin. 28. Cort. 1.

Cetera quae sunt, ejusmodi esse credo, ut prudentem Lectorem moratura non sint.


Princeton University Library
32101 076531688